JOHANNIS LOCKII ARMIGERI

LIBRI IV.

DE INTELLECTU HUMANO

Denuo ex noviſſima editione idiomatis Anglicani, longe accuratiori in puriorem ſtylum tranſlati; notis criticis DOMINI GOTTELFF HENRICI THIELE, DOMINI COSTE, ac FRANCISCI SOAVE illuſtrati; accedunt nonnullæ meditationes Doct. JOHANNIS LEONARDI MARUGJ ad textum illuſtrationeſque accommodatæ.

TOMUS I.

Cui præfixa ſunt ſcripta, vita, & Elenchus Capitum.

NEAPOLI

Ex officina VINCENTII MANFREDII

SUPERIORUM FACULTATE.

MDCCLXXXVIII.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

JOHANNES LEONARDUS MARUCJ.

EN Opus, quod oculis tuis offero. Nomen JOHANNIS LOCKII ARMIGERI eſt ſatis omnibus notum. In illum laudes conferre perſuadendi gratia, hoc magnum eſſe atque perrarum, idem cenſeo ac aquam exhaurire a puteis, ut multiplicetur Oceanus. Quam debeat tota literarum Reſpublica dignitati hujus celeberrimi philoſophi, ac ſingularis metaphyſici, nemini non conſtat. Ille primus idearum innatarum aggreſſor tanta virtute pervulgatum ſyſtema invaſit, ut e radicibus evulſum, profligatum tandem perbelle viderimus. Ille ante omnes ad intimos, reconditoſque receſſus intellectus humani pertingens, naturam, originem, extenſionem, terminos abſtruſarum implicatarumque notionum: fluxionem verborum in cognitiones humanas: errores ipſos ex eorum abuſu erumpentes, incomparabili modo, ac velut Numine inſpirante, luculentius evolvit. Qui notionum univerſalium,

abſtractarumque ſcientiam (*a*) perparum libavit, non ignorat profecto, hac ſuper re neminem fuiſſe, qui noſtrum æmulaſſet auctorem, neque in poſterum fore, niſi DEUS OPTIMUS MAXIMUS animam pergrandem, ut LOCKIUM, crearet. Fuere, non inficior, *Condillac* & *Bonetus*, quorum alter humanarum cognitionum *originem*, alter animæ noſtræ *facultates* magnâ cum laude exprompſere, ſed ut verum fatear, etſi ſecundo conſcripſerint, copiam, nitorem, univerſitatem, ac idearum convenientiam, quibus hi IV. libri de intellectu humano fulgent, pace tantorum virorum, in eis non video. Jure meritoque igitur *Johannes Clericus* ait, LOCKIUM in eximio tractatu de intellectu humano accuratius

(a) Hæc eſt vera *metaphyſices* definitio. Haud recte vident qui cenſent, metaphyſices nomen ſubjectum eſſe invidioſum ac propemodum infame. In hoc anſam dediſſe arbitror Scholaſticos, qui inhiantes nugarum, ineptiarumque plurimum, nihil vel parum veritatum utilium afferunt, & terminos ita procudunt, ut eos barbaros, & mente caſſos tandem efficiant. Metaphyſices principia non exiſtere, quam in peculiaribus mentibus, ego ipſe audivi; autumant nonnulli in procudendi, altercandique facultate ipſa principia ineſſe. Ex quo factum, a prudentioribus in ludibrium metaphyſicam haberi. At falſum quidem, & collacrymabile eſt. Ex omnibus, quæ ſub pedibus videmus, cum in nonnullis conveniant inter ſe, quaſdam communes habere determinationes, quas nos ſiſtimus, & nobis animo repræſentamus. Has communes determinationes, quæ in pluribus peculiaribus individuis exiſtunt, *univerſales notiones* appellamus, & earum ſcientia metaphyſica recte denominatur.

tius de multis philoſophari, quam hactenus factum ab ullo (*b*), nec ſine ratione hujus præſtantiſſimi Operis in omnes perinde linguas translati, etſi pluries bibliopolæ impreſſerint, penuriam ſemper continuoque viſemus. Studium, quod ad intellectum humanum attinet, eſt quo fieri queat, pulchrius, utilius, ac permagne, dicam, neceſſarium; reliquum quod verſatur in ea, quæ in ipſo homine non ſunt, poſſumus oſcitanter exercere, vel prorſus negligere (*c*). Hominem non debere ad aliud attendere, ajebat philoſophus (*d*), quam ad ſpiritum; nihil enim in nobis admirabile invenimus præter animum (*e*), nihil divinius atque cæleſtius præter rationem (*f*). Omne ergo, quod in his peragitur libris, cum ad majus bonum, cui naſcitur homo (*g*), ſit addictum, quantum humani generis interſit, & ſtudium ejus quantum debeat perutilius exiſtimari, luculenter agnoſcis. Hic ad cogitandum, & ad veritates eruendas ad-

(b) V. Epiſt. crit. *pag.* 340.
(c) Sic ajebat Seneca. *V. Epiſt.* 41.
(d) Hic erat Plato. *V. in Alcib.* 1.
(e) Seneca. *V. Epiſt.* 8.
(f) V. Cic. de leg. 1. idem Sen. *Epiſt.* 66.
(g) Ad *rationem* ſcilicet. Sic Seneca. *V. Epiſt.* 41.

diſcimus : Hic admirabile internoſcimus ; ac incomprehenſibile Hominis: Hic detegimus quouſque ratio pertingat: Hic denique vividius, velut in ſpeculo noſmetipſos intuemur . Hoc admirabile tentamen , victurum uſque dum homines cogitent , ego in deliciis habui , pluries percurri, paſſim annotavi , & in eo ſtudium tam vehementius feci , ut plura perpenderim , non pauca cogitaverim , diverſa conſcripſerim . Videns demum hujus præſtantiſſimi operis penuriam, ut aliam taceam rationem, notis diverſorum collectis , in latium tranſlatis, & textui mea cura appoſitis, una cum meis, quidquid ſint , meditationibus Typis mandavi . An pergratum tibi fecerim , teipſum conſule . Vale .

EPI-

EPISTOLA
AD
LECTOREM.

HIc tibi, Lector amice, in manus ea trado; quibus ſcribendis ægritudines animi atque otium meum conſolatus ſum. Si te forte juxta mecum recreabunt, & legenti vel dimidiam partem oblectationis parient, quam mihi ſcribenti peperere, haud querere magis pecuniam te, quam ego operam me male collocaſſe queror. Non ego perinde velim intelligi quaſi opus hoc laudarem, aut magni illud propterea facerem, quod ſcribendo voluptatem inveni. Etiamſi qui leporem minorem prædam ſectatur, quam qui cervum venatur, non minori tamen delectatione afficitur. Et quidem Intellectum, qui libelli hujus argumentum eſt, parum is intelligit, qui neſcit iſtum, ut præſtantiſſima eſt animi facultas, ita operando aliis omnibus uberiore & perenniore jucunditate perfundi. Vera indagatio ejus, quædam venatio eſt, in qua inquiſitio ipſa magnam partem voluptatis efficit. Gradus ſinguli, quibus mens in cognitione proficit, inventa quædam ſunt, non nova tantum, verum tunc ſaltem temporis, potiſſima etiam.

Cum etenim Mens, oculi ad inſtar, ex viſu ſuo de objectis judicet, nequit non ſemet in iis oblectare, quæ invenit, de aliis, quæ aciem ejus fugere, minus propterea ſollicita, quod incognita prorſus ſint. Qui in aliorum dogmata jurare, & e mendicatarum opinionum fragmentis otioſe vivere dedignatus, ſuis utitur cogitationibus ad verum inveniendum, is (in quodcunque incidit) Venatoris ritu, per ſingula indagationis iſtius

momenta inveniet aliquid, quod dignum erit & par laboris pretium; & licet novum forſitan inventum nullum oſtendere poſſit, operam tamen ſe perdidiſſe dici nequit.

Hac, Lector, oblectatione fruuntur, qui ſcribendo cogitationum ſuarum ductum ſequuntur; haud æquum eſt, ut tu ipſis eam invideres; cum tibi anſam præbeant ſimilis fruendæ delectationis, ſi modo tu tuis cogitationibus in legendo uteris. Ad ſenſus tuos, ſi modo tui ipſius ſunt, lubens provoco. Sin aliorum judicium temere ſequeris, haud illud moremur par eſt, cum illud haud veritatem reſpiciat, verum aliquod turpe emolumentum; nec magni refert, quid ille loquatur aut ſentiat, qui ſe in omnibus ad aliorum ſenſum convertit. Si ſeorſim ab aliorum Sententiis, pro teipſo judicas, cenſuram tuam, quæ candida certe erit, haudquaquam extimeſco. Etiamſi enim novi nihil in hoc tractatu ſit, quod verum eſſe haud ipſe perſuaſiſſimum habeam, puto tamen, me juxta tecum erroribus eſſe obnoxium; & ſcio, libri hujus fatum apud te ex tuo ipſius, non meo judicio, pendere. Si tu novum nihil & quod te eruditiorem reddat, hic invenis, non me idcirco culpare debes. Non ego librum hunc eo conſilio conſcripſi, ut iis prodeſſem, quibus materia iſtius, & quæ ad intellectus ſuos ſpectant, omnia ſunt perſpecta; verum ut mentem meam adverſus errores firmarem, & paucis quibuſdam amicis gratificarer, qui ſibi Argumentum hoc haud ſatis cognitum eſſe dixere. Si tibi exponere haud ridiculum eſſet, quid Tentamini *huic ſcribendo occaſionem primum dederit, dicerem equidem, quinque aut ſex amicos, meum apud Muſæum convenientes, & rem tractantes huic valde abſimilem, in difficiles ſe nodos incidiſſe ſtatim deprehenderunt, quos ſolvere neutiquam poterant. Cum nos, poſt multum ſuper ea re & perplexum valde ſermonem, implicati adhuc erroribus eſſemus, in cogitationem hanc incidi, (quam cum iis ſtatim communicavi), rectam nos haud methodum inveniſſe; verum*

opor-

oportuiſſe , *ut* , *priuſquam ejuſmodi diſputationes ingrederemur* , *vires expenderemus animorum noſtrorum*, *& videremus* , *quibus diſquiſitionibus pares* , *quibus impares ſint*. *Annuere omnes* , *& inter nos conventum eſt* , *ut prima hæc inquiſitio eſſet* . *Præpropera quædam & incompoſita cogitata* , *quorum argumentum novum prorſus erat* ,*& quæ in proximum noſtrum conventum ſcriptis ego tradidi* , Tentamini *huic ortum dedere* : *quod caſu hoc modo inceptum aliorum rogatu* , *horis* ſubſecivis , *carptim & per intervalla in majus auxi* , *& tandem ſolitudinem nactus* , *quam incommoda valetudo deſideravit* , *ad eam* , *qua nunc eſt* , *molem redegi* .

Mos his ſcribendi multis temporum intervallis interruptus , *duo plerumque vitia in ſe quidem contraria parere ſolet* , *nimirum ut minus æquo* , *& plus dictum ſit* . *Si tibi aliquid deeſſe videbitur* ; *gaudebo ſane* , *te ſcriptis meis eo uſque oblectari* , *ut me plura ſcripſiſſe libenter velles* : *ſi quæ ſcripſi* , *prolixa nimis videntur* , *argumentum ipſum culpare debes* . *Nullus enim dubitavi* , *cum primum animum ad ſcribendum appuli* , *quin omnia* , *quæ ſuper hoc argumento dicturus eram*, *in unicam tantum ſchedam complecterer*; *verum quo ulterius proceſſi* , *eo amplior ſe campus aperuit* ; *nova me inventa ulterius ſemper rapuerunt* , *donec cogitationes meæ ad hanc* , *quam vides* , *molem excreverunt*. *Nullus dubito*, *quin quæ ſcripſi*, *in locis quibuſdam contractiora eſſe poſſint*: *repetitionibus hoc modo uti omnibus ferme accidit* , *qui poſt longas temporum intercapedines cogitationes ſuas ſcriptis tradunt* . *At ingenue fatendum eſt* ; *me nunc deſidiorem eſſe* , *quam ut ſcriptis compendia facere poſſim*.

Non me latet , *quam parum in hoc famæ meæ conſulam cum in lucem ea mittam vitio haud emendata* , *Lectoribus quod diſpliciturum eſt* , *quorum limatum maxime & politum eſt judicium* . *Verum qui ſciunt* , *deſidioſos nullam non quærere* , *veniam mihi dabunt* , *ſi deſidia mea ad juſtam*, *ut mihi videtur* , *excuſatio-*

nem

nem recurrat. Haud igitur vitium hoc excuſabo dicendo, notionem eandem, prout diverſos habet reſpectus, percommode adhiberi poſſe ad Tractatus ejuſdem partes diverſas probandas aut illuſtrandas, prout in hoc paſſim videre eſt; verum ut hoc miſſum faciam, fatebor ingenue, me in eodem argumento diutius verſatum fuiſſe, & diverſo plane conſilio, diverſimode illud explicaſſe. Nolim homines exiſtiment, me Tentamen *hoc illorum ergo in lucem edere, quorum acutum valde ingenium eſt; a talibus ſcientiarum conſultis libenter potius erudiri vellem. Illos itaque admoneo, ut nihil hic ſperent, niſi quod craſſa mea Minerva excogitatum hominibus accommodatum eſt ejuſdem mecum animi acuminis, quibus fortaſſe haud ingratum erit, me operam collocaſſe in veritatibus quibuſdam elucidandis, quas alioquin inveterata præjudicia, aut* idearum *abſtractarum nimiæ complicationes obſcuras redderent. Objecta quædam quaquaverſum in omnes partes verſemus, par eſt; & cum Notio nova eſt, prout quidem ex hiſce quædam mihi videntur eſſe, aut ab iis diſcrepans, quæ communiter receptæ ſunt, prout aliis, credo, videbuntur, haud unicus ſimplex intuitus efficiet, ut clare in intellectum utcunque hebetem imprimatur. Pauci, credo, ſunt, qui non in ſemet aut aliis obſervarunt, quod uno modo propoſitum valde obſcurum erat, aliter explicatum clarius multo & ad popularem intelligentiam magis accomodatum fuiſſe: etiamſi mens in ſermonis forma haud magnum poſtea diſcrimen invenit, & mirata eſt, unde una explicatio intelligibilior eſſet altera. At res omnes haud eodem modo omnes intellectus afficiunt. Haud nos Intellectibus minus, quam palatis a nobis invicem diſcrepamus; & qui putat, eandem veritatem æque fore omnibus gratam, quocunque ea verborum habitu ornata ſit, haud ſecus errat, quam ſi putaret, eoſdem epularum apparatus placituros omnibus. Qui apponitur cibus, ſuaviſſimus forſitan eſt, & ad vires nutriendas idoneus, fieri tamen poteſt, ut quidam, iique robuſti, eum aſper-*

aſpernentur , niſi diverſimode conditus ſit . Hac de cauſa , qui mihi auctores erant , ut librum hunc publicarem , monuerunt , ut illud , de quo nunc loquor , vitium haud emendarem : morem iis gero libenter , cupiens nimirum , ut quæ in omnium manus daturus ſum , ab omnibus legentibus intelligantur . Scriptoris ego nomen tam parum affecto , ut , niſi putarem Tentamen *hoc profuturum aliis , prout , puto , mihi ipſi profuit , paucis tantum amicis id conſpiciendum tradidiſſem , qui primum mihi ſcribendi munus injunxerunt . Cum itaque ſcripta mea non alio conſilio ediderim , quam ut aliis , quam poſſem , maxime prodeſſem , debuiſſe me putavi omnia ad Lectorum omnium intelligentiam accommodare . Et malui multo , ut viri acuti & perſpicaces me nonnunquam prolixum nimis fuiſſe quererentur , quam ut aliquis ſpeculationibus abſtractis haud aſſuetus , aut aliis imbutus notionibus , ſenſum meum haud caperet .*

At fortaſſe inſolens dicar , quod ſeculo hoc erudito doctoris partes ſuſcipiam , hoc vero me facere exinde colligent , quod ſcripta mea aliis profutura ſperare me dicam . Si vero libere de iis loqui liceat , qui ſimulata modeſtia ea tanquam inutilia , damnant , quæ ipſimet ſcribunt , mihi videntur multo inſolentius agere , qui alio quovis conſilio librum edunt . Atque is haud meminit , quam literariæ Reipublicæ obſervantiam debeat , qui typis ſcripta mandat , atque ea ab aliis legi vult , quibus nihil ineſſe putat , quod ipſimet aut aliis profuturum eſt . Si nihil aliud in hoc tractatu , at ſcribendi certe conſilium comprobandum eſſet ; quare operis ipſius intentio eorum voluntatem mihi conciliare debet , qui illud prorſus inutile eſſe putant . Ea præcipue efficit , ut minime ſollicitus ſim de animadverſione & cenſura legentium , quæ a me non magis , quam a ſcriptoribus luculentioribus evitari poteſt . Homines ſententiis & guſtu tantum a ſe invicem diſcrepant , ut difficile ſit librum invenire , qui placiturus aut diſpliciturus ſit omnibus . Scio equidem ſeculum ,

culum, in quo vivimus, non eſſe ineruditum, & tale proinde, cui ſcripta inſulſa haud facile imponi poſſint. Quæ ſcripſi, ſi omnibus haud arrideant, nemo mihi ſuccenſere debet. Lectoribus meis omnibus, ſex tantum exceptis, aperte dico, librum hunc iis haud primum deſtinatum fuiſſe, quare haud neceſſe eſt, ut iſto in numero ſint. Attamen ſi cui inſectari & in me invehi acrius viſum fuerit, per me quidem id ipſi impune licebit. Novi enim. quomodo tempus melius impendere poſſim, quam inutiliter rixando. Hoc me ſolatium ſemper certe afficiet, quod mihi conſcius ſim, me Verum invenire & hominibus prodeſſe ſincere, licet humili forſan modo, ſtuduiſſe. Haud literariæ Reipublicæ inſignes nunc Architecti deſunt, quorum generoſi conatus & molitiones ad ſcientias amplificandas, memoriam nominum eorum æternis monumentis conſecrabunt; ſi vero unuſquiſque ſperaret Boylius eſſe aut Sydenhamus, fruſtra eſſet; atque in ſeculo, quo grandes ſunt Artifices, qualis eſt ingens ille Huygenius, & incomparabilis Vir Nevvtonus, cum aliis quibuſdam primæ iſtius claſſis, gloriæ ſatis erit aliis, quod tanquam inferiores operarii adhibeantur ad rudera removenda, quibus aditus ad ſcientias obſtruitur; quæ certe magis viguiſſent, niſi barbaries erudita, & voces quædam abſonæ nec facile intelligendæ, quæ in Scientiarum Album introductæ, eo uſque Artis nomen obtinuere, ut Philoſophia, quæ nihil eſt, quam genuina rerum ſcientia, in quotidianæ vitæ conſuetudinem haud introduci poſſe putaretur, ingenioſorum & induſtriorum hominum conatibus haud obſtitiſſent. Vagæ & abſonæ quædam formæ loquendi, & ſermonis abuſus pro ſcientiarum myſteriis tam diu habita fuere; atque obſcuræ & male uſurpatæ voces, & nullius propemodum ſignificationis, e longinquitate temporis atque uſu inveterato falſo obtinuere, ita exiſtimari altiſſima eruditio atque ſcientia, ut proferentibus eas aut audientibus haud facile perſuaderi poſſit, nihil eas eſſe, quam ignorantiæ integumenta, & impedimenta veræ cogni-

cognitionis. In aſylum hoc inanitatis & erroris irruptionem facere, haud mediocre, credo, intellectui humano emolumentum erit: etiamſi pauci adeo ſunt, qui ſe alios decipere, aut in verborum uſu ab iis decipi putant, aut ſermonem a Secta uſurpatum, quem ipſi ſequuntur, vitium aliquod in ſe continere, quod emendari debet, ut ſperem mihi illud condonatum iri, quod libro tertio huic argumento tam diu immoratus & conatus fuerim illud perſpicuum adeo efficere, ut neque mali diuturnitas, neque conſuetudinis vis inveterata eos in poſterum excuſet, qui vocum, quas proferunt, ſenſum haud curabunt, nec permittent, ut in illarum ſignificationem ab aliis inquiratur.

Huc uſque Auctor Clariſſimus. Alia quædam in Epiſtola hac ad Lectorem ab eo commemorantur, quæ ex induſtria hic omiſi, cum priores libri hujus Editiones injectos ab uno & altero leves quoſdam ſcrupulos & dubitationes tantum reſpiciant.

JOHANNIS LOCKII
ANGLI
VITA ET SCRIPTA

Ex Gallico Johannis Clerici elogio Tomo VI. Bibliothecæ extante, Latio donata variiſque acceſſionibus aucta.

NAtale ſolum *Johannis Lockii* Wrington in Anglia vocatur, quod ſeptem aut octo milliaria a *Briſtolio* meridiem verſus diſtat; ex baptizatorum vero hujus Parochiæ Catalogo pateſcit, eum vigeſimo nono Auguſti Anni MDCXXXII. baptizatum fuiſſe.

Patrem habuit ejuſdem prænominis ex urbe *Pensfort* in Comitatu Sommerſetienſi ortum. Originale tamen genus *Lockii* a loco quodam in Provincia Dorſetia, *Channon-Court* vocato, ducitur (a). Pater ejus Capitaneus exercitus Parlamenti tempore belli civilis ſub infelici Carolo I. fuit, pluriumque bonorum hæres quam filio reliquit; ſive belli injuria ſive alio modo partem eorum amiſerit. Filius enim ſemper de eo tanquam viro probitate & honeſtate conſpicuo loquebatur, multumque reverentiæ ac tenerrimi in parentes amoris conteſtatus eſt. „ Omnem „ ſcientiam fruſtraneam judicabat, niſi praxis acce„ deret, probe perpendens debitas parentibus gratias „ re-

(a) *Vid. Joh. Clerici Bibliotheque choiſie T. VI. pag. 345. ſeq.*

„ referri non poſſe, quoniam eis gignendi vicem „ reddere non valemus (*a*), & hominis ſalus benefi- „ cio nullo penſatur (*b*). Matrimonium pater juvenis adhuc contraxit, ex quo duos tantum ſuſcepit filios, *Lockium* noſtrum natu majorem, & alterum ante quadraginta & quod excurrit annos jam defunctum; „ ne forte parentes amore diviſo educarent „ Johannem, ſed quaſi in centro uno curam omnem „ conjungerent „.

Nec ſatis hac in parte parentis induſtriam filius laudare potuit. Quamdiu enim in tenera adhuc conſtitutus erat infantia, ſeveritate quadam erga filium utebatur, qua reſarciebat, quæ defectus judicii & ſtimulus inadvertentiæ denegabant. Ex Ephebis autem egreſſum majoris confidentiæ participem reddidit, donec maturitas intellectus omnem fere ſuſtulit differentiam. „ Maximum ſane fortunium, quo pauciſſimi fruuntur! Vitam ducebant tanquam duo „ amici, non tanquam diverſæ perſonæ, quarum una „ ab altera jure merito reverentiam poſtulare poterat. In tantum, ut pater aliquando remiſſionem „ a filio peteret, quod ſemel in juventute magis ex „ nimio fervore iræ quam pro merito plagis illum „ affeciſſet. Ita incrementum fiduciæ & illa removere ſtudebat, de quibus patria poteſtas & filialis „ reverentia ne cogitare quidem permittebant „.

Prima ſtudiorum fundamenta Londini in ſchola Weſt-Monaſterienſi uſque ad annum MDCLI. jecit. Poſtea Oxonium ſe contulit, ibique in *Collegio Eccleſiæ Chriſti* locum Socii (prout Angli loqui amant) accepit. Jam tunc temporis *Lockium* capaciſſimum & ingenioſiſſimum hujus Collegii judicatum fuiſſe membrum, teſtatur Dn. Ty*rell*, nepos Archiepiſcopi

(a) *Sunt verba Philonis Judæi Lib. II. Allegoriarum.*
(b) *Ita Amm. Marcellinus Lib. XIV. c. 10. loquitur.*

pi Armachani in Hibernia *Jacobi Usherii* (a), cui ſcripta eruditiſſima famam conciliarunt. „ Virtus & „ habilitas duorum inſtar ſolium ſunt, qui aurora „ ſua noctem perfringunt „.

Nihilominus Dn. *Lockius* præſertim ab initio, graves Oxonii duxit querelas, & ſæpius optavit, ne unquam parens de itinere Oxonienſi cogitaſſet. Studia enim Ariſtotelica maxime ibidem florentia, intellectui ejus parum lucis & lucri promittebant. Adſcribebat vero horrorem ſuum non ſtudiis ipſis ſed propriæ ineptitudini. „ Magna ſane convictio & ex„ traordinarius ſtimulus requiritur, ut illa inutilia „ judicemus, quæ a tot viris honore & eruditione „ claris in pretio habentur; præſertim quando defe„ ctus judicii horum manuductione opus habet, & „ quotidie alta voce exclamatur, in obſcuritate con„ ſiſtere eruditionem. Multitudo exemplorum acce„ dit, quæ in illo errore nos pertinaciores reddit, „ ple-

(a) *Jacobus Usherius Dublini a.* 1580. *natus, inter præcocia numeratur ingenia. Anno ætatis vigeſimo primo jam Diaconus Dublinenſis factus eſt. Poſtea an.* 1620 *Epiſcopus Meathenſis, & an.* 1624. *Archiepiſcopus Armachanus creatur. Sed an.* 1640. *in Angliam profectum bella civilia impediverunt, ut reditum pararet. Ann.* 1647 *ad munus eccleſiaſticum Societatis in loco, quem vocant of Lincolns-Inn, vocatus, reliquam vitæ ibidem, duobus annis ultimis exceptis, tranſegit. Defectus enim dentium & hebetudo oculorum coegerunt; ut concreditum officium deponeret. Obiit a.* 1655. *in urbe Riega in Surria anno ætatis LXXV. Vitam ejus dedit Thom. Smith in Vitis eruditiſſimorum & illuſtrium quorundam Virorum a* 1707. *Londini in* 4. *impreſſis. Quam maximam partem ex Clerici & Croſæi Bibliotheca Univerſalis T. II. deſumſit. Fuit Usherius non ſolum Theologiæ, ſed Hiſtoriæ quoque civilis & eccleſiaſticæ peritiſſimus, id quod Opera ejus ſatis ſuperque demonſtrant. Hinc eruditiſſimus Conr. Sam. Schurtzfleiſch in diſputationibus Hiſtor. Civilibus Diſp. LXIII. pag.* 13. *Antiquitatis Britannicæ illum peritiſſimum nominat; & Joh. Henr. Beclerus in Hiſt. Univ. IV. priorum a Chriſto nato Sec. pag.* 58 *edit.* 1695. *Opus Usherii, de Antiq Britann. Eccleſ. Memorabile & nunquam ſatis laudatum Opus prædicat.*

Digitized by Google

„ plerique enim brutorum inſtar eunt, non qua eundum eſt, ſed qua itur (*a*). Ipſe *Clericus* teſtatur „ ſe ex ore *Lockii* ejuſmodi querelas audiviſſe, & „ dum illi narraverit, quod ipſe Præceptore Carteſiano uſus ſit, hoc reſponſi tuliſſe: Hoc honore „ privatus vixi (*b*) licet alias Carteſium non ſequeretur. Si dicendum quod res eſt, & hæc circumſtantia *Lockii* præeminentiam indicat. Dum enim „ illos prædicamus, qui aliorum auxilio nixi extra „ ſphæram vulgi eruditorum ducuntur, multo magis qui gradum eruditionis ſingularem abſque ſubſidiis aliorum occupant „.

Primum medium, quo Dn. *Lockius* labentem fulciebat animum, in commercio quodam literario conſiſtebat, quod non tam cum hominibus eruditione inſignibus quam induſtriis & excitatis ingeniis recreationis gratia inſtituit, ac per aliquot annos continuavit. „ Optandum ſaltem, ut omnes ejus epiſtolas „ reliquas haberemus, quo quotidianum *Lockii* in „ agnitione veritatis incrementum aliis ad imitationem & æmulationem inſervire poſſit „.

Ad minimum homines haud corrupti ſaporis in Anglia, de literis ejus, quas aliis rebus implicitus ſcripſit, judicarunt, eas quoad ſuavitatem *Voiturio* neutiquam eſſe inferiores, licet quoad ſtyli puritatem in ſermone anglicano ſtylo ejus gallico cederent (*c*). Apparet hoc ex literis duabus ejus poſterioribus *de Tolerantia*, ex defenſione *Chriſtianiſmi rationalis*, ex reſponſionibus ad Dn. *Stillingfleotium* Epiſcopum

---

(a) *Eſt hæc locutio Senecæ l. 1. de Vita beata.*
(b) *Dn. Clericus Bibl. choiſie T. VI. p. 347.*
(c) *Vincentius Voiture, mercatoris vinarii filius, a ſummo Hiſpaniæ Miniſtro Duce D'Olivarez olim magni habitus, membrumque Academiæ Regiæ Pariſienſis, ſenex obiit.* Vid. Perralt. de Homin. illuſtribus. *Laudatur in illo ſingularis ſtyli gallici puritas a pauciſſimis hactenus obſervata.*

Worceſtrienſem (*a*). In illis enim locis ubi materia ironiam & jocos permiſit, ſingulari id acumine præſtitit; ità ut nec gravitatem in ejuſmodi diſputationibus occurrentem, nec reverentiam Epiſcopo Worceſtrienſi debitam unquam violaret (*b*).

Notandum quoque Dn. *Lockium* exiſtimationem ſuam Oxonienſem non more tunc uſitato diſputationibus publicis acquiſiviſſe. Dn. *Tyrell* teſtatur, eum ſemper affirmaſſe, publicas altercationes ſcholaſticas non ad veritatis indagationem, ſed ad rixas & vanam oſtentationem anſam ſuppeditare. „ Poſito enim, artem ſyllogizandi, ſive pontem Aſinorum, ut vocant, omnibus munimentorum generibus eſſe inſtructam; Poſito unum ex diſputantibus inquiſitionem veritatis pro ſcopo habere: Oſtende quæſo! vel unicam diſputatiunculam, ubi rariſſima hæc virtus tam ex parte Præſidis & reſpondentis, quam ex parte opponentium ſimul reperiatur? Niſi interdum auctoritas Præſidis, vel edictum adverſus Duella animalia litigioſa coërcerent, a verbis ad verbera ſæpiſſime perventum fuiſſet. Quoties accidit, ut abſque clamoribus de victoria in diſputationibus res peracta ſit? Auditores ſemper plus verba quam rem, de qua agitur, ponderant. Qui itaque alterum aculeatis verbis & prægrandibus faucibus ſuperat, illi palmas tribuunt, non ſecus ac ruſtici illum circumforaneum pro optimo „ ven-

(a) *Impreſſerunt poſt Lockii obitum Londini* 1708 *in* 8. *Literas ejus familiores, partim anglico, partim latino idiomate ſcriptas, a Guilhelmo Molinæo, Leibnizio, Limburgio & aliis, una cum reſponſionibus Lockii; ſed exiguus earum numerus notiſſimum facit, permultas fuiſſe deperditas. Inter impreſſas eminent illæ, in quibus Lockius a priori, ut in ſcholis loquuntur, ens aliquod perfectiſſimum probare, & doctrinam Remonſtrantium de libertate ſtabilire voluit*. Vid. Dn. Clericus Biblioth. choiſie Tom. XVII. pag. 234. ſeqq.

(b) *Eſt hoc judicium acutiſſimi Clerici c. l. T. VI. pag* 348.

„ venditant Doctore, qui contumelioſis verbis os „ alteri obturare poteſt „.

Alium itaque *Lockius* quærebat Ductorem. Primi libri, qui guſtui ejus in ſtudio Philoſophiæ conveniebant, Libri erant famigeratiſſimi *Carteſi* (*a*): cujus fundamenta licet non omnia ſtatim cognita illi fierent, placebat tamen ſingularis perſpicuitas. Ex quo concludebat eſſe forte vitium auctorum non proprium, ſi quando alios Libros philoſophicos haud æque intellexiſſet. „ Quemadmodum Natura in rebus corpo„ reis nihil per ſaltum operari ſolet: ita & in agni„ tione veritatis res comparata eſt. Non uno im„ petu errorum tenebræ diſpelluntur, ne animus ve„ ritatis cupidus improviſo quaſi fulgure terrefactus, „ in alium prolabatur exceſſum „.

Poſtquam itaque Dn. *Lockius* majori deſiderio ſtudia ſua tractare incepit, Medicinæ quam maxime operam dedit. Nunquam tamen hac arte uſus eſt, ut lucrum exinde traheret, quoniam ſe adeo robuſtum non ſenſit, ut labores iſtos tolerare poſſet, quos Praxis Medicinæ requirit. „ Cognitio propria„ rum virium Lydius Lapis eſt potentiarum noſtra„ rum, & Philautia eſt cauſa plerorumque errorum „ humanorum. Hoc tamen non obſtante pauciſſimi „ diffidentia, plurimi amore proprio laborant. Jam „ in iſta ætate *Lockius* noſter ab his Furiis ſe libe-

„ rave-

(a) *Renatus Carteſius natus Hagæ Tunum a. 1596, & mortuus Holmiæ a. 1650. militia æque ac ſcriptis clarus.* Vid. Clar. Dn. Joh. Burch. Menckenius in diſp. de Viris militia & ſcriptis claris a 1708. habita §. 33. *Matheſin amavit & quæ exinde ſequuntur, ideas claras. Nugæ Scholaſticorum hunc exorientem ſolem ferre non poterant; hinc tot in Carteſium ſtricturæ & perſecutiones enatæ, ut vix mirari ſatis queat, cur non penitus oppreſſus fuerit. Sed reperiebantur quoque homines intolerabilis obſcuritatis & cæcæ obedientiæ jugi pertæſi, qui odium iſtud non ipſi Carteſio, ſed temporum corruptioni adſcribebant. De quibus conſulendus Adrianus Bailletus in Vita Carteſii gallice conſcripta Pariſiis 1691.*

„ raverat, qua alii vix cognitionem aliquam guſta„ re incipiunt „. Licet vero *Lockius* nunquam vel rariſſime praxim Medicam exercuerit, maximi tamen illius temporis Medici maximi illum æſtimarunt. Quo ſpectat teſtimonium *Thomæ Sydenhamii* in Præfatione Libri *de Morbis acutis* (a): *Noſti præterea, quem huic meæ methodo ſuffragantem habeam, qui eam intimius per omnia perſpexerat, utrique noſtrum conjunctiſſimum, Dominum* JOHANNEM LOCKE; *quo quidem viro, ſive ingenio judicioque acri & ſubacto, ſive etiam antiquis, hoc eſt, optimis moribus, vix ſuperiorem quemquam, inter eos, qui nunc ſunt homines, repertum iri confido, pauciſſimos certe pares.*

Ad calcem dictæ præfationis verſus quidam Elegiaci a *Lockio* confecti reperiuntur, judicii & ingenii pleniſſimi, licet ſtylus non adeo exactus & poeticus ſit. Non multum enim temporis in Poetarum lectione conſumſit, quod illis, qui Poetas imitari ſolent, commune eſt. Facili negotio comprehendebat: „ Poetas naſci, non vero ſolis artis regulis „ pingi, & quod ſupra *Johannis Sachſii* Sphæram „ non aſcendant, quibus natura ſtimulum denega„ vit „.

Eandem circa honores ambiendos oſtendebat prudentiam. Subſcriptio verſuum citatorum talis erat: *J. Locke Artium Magiſter, ex æde Chriſti Oxon.* Titulo Magiſtri artium contentus vixit, nec unquam Doctoris Medicinæ titulum affectavit; licet illi, qui *Lockium* non noverant, vulgo Doctorem *Locke* vocarent. Et hoc eſt, quod ipſe *Johanni Clerico* notum fecit, quum hic a. 1692. partem Philoſophiæ ſuæ illi dedicaret. „ Attamen jure merito de *Lockio* noſtro „ dici

(a) *Prima vice liber iſte Thomæ Sydenhamii comparuit a. 1675. latine conſcriptus, & auctor ipſe inter principes Practicorum Londinenſium hominesque vitæ innocentiſſimæ refertur.* Vid. Du. Cleric. c. l. T. VI. p. 350.

„ dici poterat, quod olim nunquam intermoriturus „ *Lutherus* de doctiſſimo *Melanchtone* prædicavit: „ Hic humili quidem Magiſtri nomine incedit, ſed „ re ipſa omnibus Doctoribus doctior eſt. Maluit „ *Lockius* eſſe, quam videri; præſertim cum hodie „ tituli non merentibus tribuuntur, ſed pecuniam of„ ferentibus publice venum exponuntur „.

Anno MDCLXIV. Dn. *Lockius* ex Anglia in Germaniam ſe conferebat ſub titulo Secretarii Equitis *Wilhelmi Swan*, qui charactere Legati ornatus ad Electorem Brandeburgenſem aliosque Germaniæ Principes mittebatur. Sed anno nondum elapſo in Angliam reverſus, ſtudia ſua in Academia Oxonienſi proſequebatur. „ Forte tunc temporis experientia „ edoctus, peregrinationes omnes fruſtraneas judica„ vit, niſi jacto prius firmo ac ſtabili fundamento, „ vel re ipſa percepit, eandem tam in aliis regio„ nibus quam in Anglia regnare tyrannidem quoad „ libertatem ſentiendi „.

Inter reliqua ſtudia Phyſicam eligebat, uti apparet ex Indice de aeris mutatione, quæ in hac civitate a die XXIV. Junii anni MDCLXVI. uſque ad diem XXVIII. Martii anni MDCLXVII. confecit. Ut vero eo melius ſcopum ſibi præfixum attingeret, in ſubſidium adhibuit Barometron, Thermometron & Hygrometron. „ Sana ratio illi dictabat, ne in in„ quiſitione potentiarum naturalium ſolis abſtractio„ nibus pinealibus miſſis experimentis artificialibus „ fideret „. Reperitur iſte index in *Hiſtoria generali aeris Roberti Boylii* (a) a. 1692. Londini publici juris facta.

(a) *Robertus Boyle ex celeberrima & generoſa ſtirpe in Anglia oriundus; Frater Richardi Comitis de Corck & Rogerii Baronis Broghill & Comitis de Orrery in Hibernia; Membrum Societatis Regiæ Anglicanæ; Medicus celeberrimus; Defenſor Philoſophiæ corpuſcularis. Quem pretioſiſſimis experimentis ita bonis* ex-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quum adhuc a. MDCLXVI. Oxonii degeret *Lockius*, in notitiam Domini *Aſhlei*, qui poſtea Comes de Shaftesbury & magnus Angliæ Cancellarius creatus eſt (*a*) pervenit. Dn. *Aſhleus* longo abhinc tempore poſt lapſum aliquem male ſeſe habebat; in illo enim tam graviter pectus læſerat, ut abſceſſus exinde formaretur, qui per tumorem aliquem ſub ſtomacho comparebat. Suaſerant ea de cauſa Ashleo, ut aquam medicinalem Aſtropicam biberet. Quapropter ad Dn. *Thomas*, Medicum Oxonienſem ſcripſit, ut in hac urbe ejuſmodi aquam afferri curaret, quo eo adveniente præſto eſſet. Quoniam vero iſte Medicus aliorum negotiorum cauſa Oxonii permanere non poterat, a *Lockio* amico ſuo petiit, ut commiſſum in ſe reciperet negotium. Accidit autem ex culpa illius, cui aquæ cura concredita erat, ut circa adventum *Aſhlei* adhuc deficeret. Obſtrictum itaque ſeſe agnovit *Lockius* ad excuſationem interponendam, & Dn. *Bennet* (*b*), qui una cum *Aſhleo* in rheda ejus

exhauſtum dicunt, ut vix poſt mortem ſupereſſet, quo ſepeliri poſſet. Obiit autem a. 1692. Vide Parrhaſiana T. I., p. 387. *Politiſſimum & acutiſſimum Philoſophum, Societatis Anglicanæ ingens decus illum appellat diligentiſſimus* Imhofius in Not. Proc. Britan. c. 65. P. II.

(a) *Shaſtesburienſis Comes Antonius Ashley Cooper appellatur, patre & avo ejuſdem prænominis natus. Huic genitores erant Johannes Cooper de Rockburne & Anna Antonii Ashley de Wimborne St Giles filia ac heres, quorum nomina iſte conjunctim gerere occepit, ſuoque erga Carolum I ſtudio in ampliorem ordinem pervenit. Statim enim poſt ſolemnia inaugurationis dicti Regis, creatus eſt Baro Ashley Wimborne, deinde officiis Cancellarii Fiſci Regii & locum tenentis Dorſatiæ, atque a. 1672. die 3. Aprilis novis honoribus Baronis Cooper de Paulet, nec non Comitis Shaftesburgiæ auctus & denique munere Præſidis privati conſilii cumulatus.* Vid Cl. Inhof. in Not. Proc. Brit. P. II. c 66 *De morte Ashlei infra erit dicendi locus.*

(b) *Henricus Bennet a Carolo II. a. 1664. Baronis dignitate auctus ſub titulo: Lord Arlington of Arlington a. 1672 Vice Comes de Thetfort & Comes Arlingtoniæ creatus eſt. Inter equites S. Georgii numeratur munuſque primi Camerarii Regii geſſit* V. Dn. Inhof. c. I. *iit vobero a. MDCLXXXV. die 9. Auguſti.*

ejus advenerat, præſentiam *Lockii Ashleo* annunciabat. *Ashleus* conſueta urbanitate illum excepit, excuſationique ejus locum reliquit; *Lockium* autem abitum parantem dimittere noluit, ſed ad cœnam deduxit. Sermones enim *Lockii Ashleum* totum occupaverant, & *Lockium* ipſum *Ashlei* ſingulare judicium, quod eum etiam ab hominibus ſui ordinis diſtinguebat, alliciebat. „ Inter homines virtuoſos ita „ res comparata eſt, ut plus ſuavitatis & ſatisfactio- „ nis ex aliorum actionibus quam ex propriis perci- „ piant. Dum enim omnia ſecundum ſanam ratio- „ nem dijudicant, facile ſentiunt, dona naturæ non „ conjunctim ſed diſperſe reperiri. Quæ vero ipſi „ non poſſidemus, vel multis demum laboribus ac- „ quirere poſſumus, ad aliorum admirationem ma- „ gno quaſi impetu nos trahere ſolent „.

Dn. *Ashleus* ſingulari vivacitate, penetratione intellectus, judicio ſolido & exacto, memoria excellenti, generoſis & nobilibus cogitationibus ac temperamento hilari & induſtrio præditus erat; quod ultimum & illo tempore conſervabat, quo res ejus admodum acerbæ apparebant. Vir erat multæ lectionis ſed majoris experientiæ, quæ eum in tali ætate ad ſummos Status honores evexit, qua alii vix primis labiis cognitionem talium rerum deguſtare ſolent (a). Occupationes, quibus immixtus tunc temporis fuit, cum Rex *Carolus II.* illo uteretur, impedimento fuerunt, quo minus lectioni multum va-

(a) *Confirmationis loco eſſe poterit particula illa de Vita Ashlei, quam Lockius conſcripſit; Clericus vero* Tom. VII. Bibliothecæ *ſelectæ prima vice inſeruit. Vix vigeſimum ætatis annum expleverat, cum infeliciſſimo Regum Carolo I. haud ineptum de motibus internis ſedandis conſilium ſuppeditaret: ut omnibus & ſingulis generalem amneſtiam publice intimaret. Et licet effectus votis non reſponderit, notum tamen, hoc non ex defectu conſilii ortum eſſe, ſed quoniam Princeps Mauritius Palatinus optimum conſilium nimia feſtinatione irritum fecit.* Vid. Clericus c. l. pag. 151. ſeqq.

caret ; attamen tali judicii promtitudine pollebat, ut, libro vel obiter perlecto, interdum pondera vel levitatem melius aperiret quam alius, qui data induſtria perlegerat. Alias mores ejus ſinceri & aperti complimenta omnia reſpuebant ; in tantum ut in converſatione omnem aliis Libertatem, quam optare poterant, permitteret. Erga omnes familiaritatem ſine animi ſubmiſſione & rebus eum non decedentibus exercebat. Neque in aliis neque in ſemetipſo ſervitutem tolerare poterat (*a*). Ipſe *Lockius* per totam vitam ſuam ſumma cum ſatisfactione converſationes ejus in memoriam revocans ; quando de bonis ejus qualitatibus loquebatur, non ſolum cum æſtimatione ſingulari, ſed quoque cum admiratione verba faciebat. Si itaque illi, qui *Lockii* penetrationem & ſinceritatem notam habuerunt, magnam exinde de *Ashleo* ideam concipiunt ; illi quoque, qui cum *Ashleo* converſati ſunt, dubitare nequeunt, *Lockium* prudentia ſingulari fuiſſe exornatum, ſi illius æſtimationem erga *Lockium* conſiderant. Imo admiratione dignum haud eſt, amicitiam inter illos fuiſſe perpetuam, quoniam duo homines tali charactere inſtructi non niſi conſtantiſſime ſe invicem amare poſſunt.
„ Intereſſe maximum merito amicitiæ impedimentum, paritas morum vero firmiſſimum ejus vinculum vocatur. Illi enim enormiter errant, qui cum „ *Vitellio* (*b*) amicitiam donis dimetiuntur. Amor „ uti inviſibilis eſt ; ita & ſibi ſimilibus ſe commu-
„ ni-

(a) *Occaſionem inde ſumſit Dn Tempelius Ashleum tanquam Virum animi inquieti deſcribendi. Cauſam cur Tempelius male de Ashleo ſentiat, infra aperiemus. Unicus & primarius ejus finis erat tranquillitas Status, ſalvis tamen Legibus & conſuetudinibus Anglicanis. Lubens fateor, Ashleum Republicanum, ut dicunt, fuiſſe : ſed rationabiliter etiam defendebat, praeminentiam Regis & libertatem populi non eſſe oppoſita; id quod glorioſiſſimum Reginae Annae regimen ſatis ſuperque confirmat.* Vid. Cleric. c. 1 pag. 189 ſqq.

(b) *Evolve Tacitum Hiſtor. l. III. c.* 86.

„ nicat. Videbimus ergo, quales effectus in præſenti exemplo produxerit, antequam ad maturitatem „ pervenit „.

Sequenti die Dn. *Ashley Lockio* perſuadebat, ut prandium ſecum ſumeret, imo illum efflagitabat, ut non minus quam ipſe aqua medicinali uteretur, quo eo diutius converſatione ejus frui poſſit. „ Antequam „ amicitia firmatur, angore quodam circumdata eſt „. Oxonium tandem relinquens *Ashleus* petebat locum *Sunning hill* vocatum, ubi dictam aquam bibebat; Sequebatur ex promiſſo *Lockius* (a). Poſtea Londinum ſe conferens *Ashleus*, antequam diſceſſit, cautionem a *Lockio* petiit, ut propediem ſequeretur, apud illum diverteretur, nec domum ejus relinqueret. „ Quo majus incrementum amicitia ſumebat, „ eo firmiorem optabat unionem.

Itaque *Lockius* Londinum iter faciebat, & licet nunquam Praxi Medicinæ incubuiſſet, *Ashleus* tamen ſummam in eo ponens fiduciam, conſilium ejus de ulceris apertura arripiebat. Id quod vitam *Ashlei* conſervavit, licet apertura nunquam obduci potuerit.

Curatione feliciter peracta, tantam exiſtimationem erga *Lockium Ashleus* concepit, ut Medicam artem meritis illius non reſpondere affirmaret. Suaſit itaque *Lockio*, ne praxim exerceret, quin potius rebus ad Statum & Eccleſiam Angliæ pertinentibus operam impenderet, & quæ alias Miniſtrum Status decerent. Annuit *Lockius* & brevi temporis ſpatio diligenti inquiſitione eo rem perduxit, ut abdita Politicæ arcana rimaretur. Succurrit *Ashleus*, maximorumque arcanorum *Lockium* participem reddidit, dataque occaſione conſilia ejus expiſcabatur. „ Ne mireris quæſo! Hominem acutiſſimi ingenii docente Viro experientiſſimo tales progreſſus feciſſe. Ipſe *Ashleus* „ ex ſermonibus *Lockii* capacitatem ejus ad altiora „ viderat. Ipſe *Lockius* de *Ashleo* certiſſimus erat, „ quod

(a) *Vide citatum Indicem de aeris mutatione*.

„ quod perniciosa non ſit daturus conſilia & rationes „ ducente judicabat, utilius eſſe toti reipublicæ inſervire, quam medendo quibuſdam prodeſſe, præ„ ſertim quum neceſſariæ Practici vires abeſſent „.

Sed non contentus erat *Ashleus*, quod ſuaſor fuerit *Lockio*; & Bibliothecam & conclave obtulit, imo occaſionem ad altiora aſſurgendi ſuppeditavit, dum converſationem cum Comitibus *Buckinghamio* (*a*) & *Halifaxio* (*b*) aperuit. Taceo alios ſana mente & lectione præditos viros, qui non minorem quam *Dn. Ashleus* ex ejus ſermonibus trahebant delectationem. „ Licet enim vultu ad ſeveritatem compoſito incederet, ſemperque erga hos dominos modeſto reſpectuque pleno uteretur ſermone, mille tamen gratas & judicioſas cogitationes converſationibus ſuis immiſcuit. „ Etſi revera ſunt, quæ in communi efferuntur „ proverbio: Omne tulit punctum, qui miſcuit uti„ le dulci, *Lockio* palma erit porrigenda. Libertas, „ quam adhibebat quam optime conveniebat chara„ cteri hominum hujus fortunæ. Libertas loquendi „ cum debita veneratione conjuncta acumen & fidu„ ciam ingenii indicat, quod magis arridet viris ma„ gnis quam taciturnitas ſervili timore onuſta, diffi„ dentiæ & aſtutiæ indicium certiſſimum „.

Accidit aliquando, ut tres aut quatuor horum dominorum *Ashleum* non tam negotiorum quam colloquii

---

(a) *Georgius, poſt fratris Franciſci obitum Dux Buckinghamiæ a Carolo II. Eques Periſcelidis ordinis, Hipparchus & Præfectus Comitatus Eboracenſis obiit a.* 1690, Vid. Dn. Imhof, c. l. P. II. c. 8.

(b) *Georgius Savile, ex itineribus & librorum lectione naturalem auxit habilitatem. Nunquam inteſtinis malis implicitus a Carolo II. a.* 1667. *honorem Baronis ſub titulo: Lord Savile of Eland, a.* 1668. *Vice-Comitis Halifaxii, a.* 1679. *Comitis &* 1682. *Marchionis & Cuſtodis magni Sigilli impetravit. Tandem* 1684. *Cancellarius Reginæ denominatus eſt, licet* Gregor. Lethi in Theatr. Britann. *referat, illum Commiſſarios Theſauri & Cancellarium Magnum Laurentium Hyde Comitem de Roſſendi accuſaſſe cauſaque cecidiſſe*. Vid. Dn. Imhof. c. l. P. II. c. 18.

quii cauſa viſitarent; finitis uſitatis cæremoniis chartas luſorias adſportabant ſervi, cum nihil fere collocuti invicem fuerint. *Dn. Locke* per longum temporis ſpatium hoſce dominos ludentes conſiderabat. „ Dandum, inquit *Seneca*, eſt otium animis, quod „ virium aut alimenti loco ſit „. Tandem aſpectus pertæſus pugillares ſuos e marſupio ſumens, magna cum attentione ad ſcribendum ſe præparavit. Quidam Dominorum hæc obſervabat, & ex illo ſciſcitabatur, quidnam ſcriberet. Mi Domine, reſpondit *Lockius*, quantum fieri poteſt ex converſatione veſtra emolumentum aliquod quæro. Poſtquam enim impatiens expectavi honorem ſapientiſſimæ & judicioſiſſimæ noſtri temporis hominum congregationi intereſſe, tandemque hoc honore fruor; me nihil melius facere poſſe credidi, quam ut converſationem veſtram deſcriberem, & re ipſa hic annotavi, quod intra ſpatium unius vel duarum horarum collocutum eſt. „ Excitata ingenia maximas ſentiunt moleſtias, ſi quando occaſionem vident, qua ſe virtute poſſent commendare, ipſa vero occaſione uti nequeunt. Ipſa potius occaſione defraudati viverent; non ſecus ac homo eſuriens famem potius maximam toleraret, quam præſentiam ciborum, quos tangere non licet „. Non opus erat, ut *Lockius* multa ex hocce dialogo recitaret, cum quilibet harum perſonarum illuſtrium ridiculum facile ſentiret. Luſus itaque finiebatur, & vel recitatione aut nova appoſitione ridiculum augebant. „ Animus noſter aliis rebus alligatus eo ſæpius ducitur, quo ſe fuiſſe ne ſomniat „ quidem „. Reliquum diei decentiori converſationi conſecratum eſt.

Anno MDCLXVIII. Comes de *Nort-humberland* ejuſque Uxor, iter in Galliam parantes, *Lockium* exoptabant ſocium. „ Eſt hoc novum eminentiæ ejus „ indicium. Mores Pedantarum & Ariſtotelicæ abſtractiones minime omnium hominibus negotiis publicis aſſuetis longeque ab odio hominum diſſitis

„ arrident „. *Lockius* voti compotes illos reddens, in Gallia cum uxore Comitis permanſit, cum ipſe Comes Romam proficiſceretur. Sed fato infauſto aggreſſus Comes, in itinere obiit (*a*). „ Pallida enim „ mors æquo pede pulſat pauperum tabernas Regum- „ que turres „.

Inopinata Comitis mors uno quaſi ictu propoſitum mutavit; citius enim reditum in Angliam Vidua parabat, quam conſtitutum erat. „ Conſilia hominum „ ſemper cum conditione intelligenda ſunt. „ Sine dubio tamen Dn. *Lockius* in hoc itinere permultum ſatisfactionis ſenſit; hæc enim Vidua optimis naturæ & pulchritudinis donis ornata, magnas fecit impenſas, & ubique locorum magnis honorum ſignis excepta fuit (*b*). „ Quo rarius iſtæ qualitates in uno „ ſubjecto conjunctæ apparent, eo majorem promerebantur admirationem „.

Redux in Angliam *Lockius* ad *Aſhleum*, ut antea divertebatur, qui Cancellarius Fiſci Regii conſtitutus erat. Nihilominus locum ſuum (*c*) in *Collegio Eccleſiæ Chriſti* Oxonii retinuit *Lockius*, ad quem locum interdum commoratus eſt. Eo tempore unicus *Aſhlei* filius decimum quintum aut ſextum ætatis annum vix impleverat, & ipſe *Lockius* eligebatur, qui reliquum educationis perficeret (*d*). Nec hac in parte ſpes *Aſhleum* fefellit. „ Quem enim alias eligere potuiſſet, quum „ *Lockius* tot prudentiæ indi- „ ciis

(a) *Joſcelinus Comes Northumbriæ obiit Auguſtæ Taurinorum in Pedemontio a* 1670. *abſque heredibus. Hinc Carolus II. Rex filium ſuum naturalem Georgium Fitz-Roy hoc titulo poſtea inſignivit*. Vid. Inhof. c 1 cap. 16.

(b) *Eliſabetha nominabatur; filia Thomæ Wriotheslei Comitis, de Southampton & ſupremi Theſaurarii*. Vid. Inhof: c. 1. Tab. XXXIII *Nupſit deinde Eduardo Baroni de Montagu & Boughton.*

(c) *Vide ſæpius citatum Indicem pag* 116. *ſeqq.*

(d) *Ex tertia demum uxore Aſhlei, Margaretha Wilhelmi Baronis de Spenſer filia, unicum iſtum filium Antonium, qui in Comitis Shafteburiæ titulum ſucceſſit, natum eſſe, referunt.*

„ eiis ſeſe illi probaverat „ : Dolendum ſaltem, quod *Lockii* labores firmiori eventu non ſint coronati: nihil enim omiſit, quod ad perfectionem *Ashlei* junioris requirebatur.

Quoniam vero *Ashleus* junior ſanitatem poſſidebat admodum fragilem, parens ejus de uxore illi adjungenda mature cogitavit, ne tota familia una cum eo interiret. Ipſum vero filium electorem conſtituere non poterat, „ quia defectus experientiæ in re tam „ delicata cauſa infortunii maximi eſt „. Ipſe autem *Ashleus* ob alia impedimenta tempore carebat; optabat itaque, ut *Lockius* hocce negotium in ſe reciperet. „ Magnum ſane, dum „ *Ashleus* fortunam toti- „ us familiæ in manus *Lockii* tradidit „. Addebat tamen conditiones ſequentes: Ne multorum bonorum perſonam, ſed bonæ familiæ, temperamenti dulcis, bonæ habitudinis corporis, maxime vero ſingularis educationis & a moribus Londinenſibus & aulæ remotam inquireret. „ Conditiones certe graviſſimæ, „ quæ raro disjunctim rariſſime conjunctim reperiun- „ tur „. Hoc tamen non obſtante, nodum iſtum feliciſſime ſolvit *Lockius* (*a*), nam Mylord *Shaftesburiæ* hodiernus (*b*) & ſex alii infantes ex matrimonio illo procreati ſunt, qui omnes ſanitate conſtanti præditi, licet defunctus Comes *Shafteburienſis* ante annos aliquot mortuus, fragiliſſimus eſſet (*c*).

Quemadmodum igitur Dn. *Locke* partem educationis hujus Domini in ſe ſuſceperat, ita & filio illius primogenito præpoſitus fuit. „ Qui enim capacitatem „ ſuam jam uno probaverat exemplo, dignus erat, „ qui altera vice tentamen iniret „. Officio ſuo vero in tantum functus eſt *Lockius*, ut *Clericus* ipſe affir-

(a) *Dorotheam elegit Lockius Joannis Mannours Comitis Rutlandiæ filiam.*

(b) *Antonius Ashley Cooper Comes Shafteshurgiæ dictus.*

(c) *Nempe a. 1687. menſe Julio diem ſuum obiit.*

affirmet, ſe ex converſatione cum illuſtri iſto juvene in Hollandia didiciſſe, eum optima indole, penetranti judicio, lectione haud vulgari, moribus ſingularibus, odio cæremoniarum, vivida & plana explicatione, ac horrore adulationis præditum fuiſſe (*a*). Quid quod omni occaſione magnam *Lockio* recognitionem teſtatus eſt, & adhuc extraordinaria de eo loquitur veneratione. „ Licet *Alexandro M.* calculum non „ addam, quod præceptoribus plus debeamus quam „ parentibus; rationi tamen convenientiſſimum ju- „ dico, ne fidelem & utilitate conjunctam informa- „ tionem pecunia compenſari poſſe putemus. Caduca „ enim & incerta bona cum firmis & perpetuis com- „ parari nequeunt „.

Primas cogitationes de Libro ſuo de *Intellectu humano* anno MDCLXX. obtinuit. Quibus Dn. *Tyrell*, Dn. *Thomas* & alii amici calcaria addiderunt (*b*). „ An plus debeamus eruditis his viris, quod *Lockium* „ impulerint, an *Lockio*, quod petitus eorum locum „ reli-

---

(a) *Vid. Clerc. Bibl. choiſie T. VI. p. 360.*

(b) *Enarrat Lockius anſam ſcripti poſtea emiſſi in Præfatione ad Lectorem his verbis: Si tibi exponere haud ridiculum eſſet, quid tentamini huic ſcribendo occaſionem primum dederit, dicerem equidem quinque aut ſex amicos meum apud Muſæum convenientes & rem tractantes huic valde abſimilem, in difficiles ſe nodos incidiſſe ſtatim deprehenderunt, quos ſolvere neutiquam poterant. Cum nos, poſt multum ſuper ea re & perplexum valde ſermonem, implicati adhuc erroribus eſſemus, in cogitationem hanc incidi, (quam cum iis ſtatim communicavi) rectam nos haud methodum inveniſſe; verum oportuiſſe, ut, priusquam ejuſmodi diſputationes ingrederemur, vires expenderemus animorum noſtrorum, & videremus, quibus diſquiſitionibus pares, quibus impares ſint. Annuere omnes, & inter nos conventum eſt, ut prima hæc inquiſitio eſſet. Præpropera quædam & incompoſita cogitata, quorum argumentum novum prorſus erat, & quæ in proximum noſtrum conventum ſcriptis ego tradidi, tentamini huic ortum dedere: quod caſu hoc modo inceptum aliorum rogatu horis ſucciſivis, carptim & per intervalla in majus auxi, & tandem ſolitudinem nactus, quam incommoda valetudo deſideravit, ad eam, qua nunc eſt, ſimilem redegi.*

„ reliquerit, aliis dijudicandum relinquo. Alia tamen „ negotia maturitatem operis tunc impediverunt. „ Forte ut res maturiori judicio & meditatione tra„ ctaretur „.

Conjectura aſſequitur *Clericus*, *Lockium* circa idem tempus inter membra Societatis Regiæ Londini fuiſſe receptum (*a*). „ Uti lubens profiteor, *Clericum* vir „ abſque probabilitate unquam aliquid affirmaſſe; „ parum tamen refert, ſive hoc ſive alio tempore „ locum in Societate iſta accepit. Sufficit quod ma„ gnum addiderit ſplendorem.

Anno MDCLXXII. Dn. *Ashleus* ad dignitatem Comitis Shaftesburiæ & Cancellarii magni Angliæ evectus eſt, *Lockioque* obtulit officium Præſentationis beneficiorum, quod uſque in annum MDCLXXIII. geſſit, quo Comes *Shaftesburgenſis* magnam ſuffragiorum collectionem Regi tradidit.

Dn. *Lockius*, quem *Ashleus*, maximorum arcanorum Status participem reddiderat, non minus ac ipſe Comes gratia Regis excidit, poſteaque Adjutor *Ashlei* erat in edendis ſcriptis quibuſdam, quæ Nationem Anglicanam ad vigilantiam & oppoſitionem adverſus Catholicorum machinationes excitabant. „ Qui „ rebus ſecundis amicitiam coluerant, in adverſis „ quoque conjuncti manebant. In adverſis enim vera „ demum amicitia conſpicitur; quia tunc intereſſe „ plerarumque unionum ligatura deficit „.

Ut

(a) *Non opus erit, ut Societatem hanc a Rege Carolo II. a.* 1660. *confirmatam deſcribamus, quia Thomas Spraat illud Anglice, alii Gallice, alii Latine, alii Germanice præſtiterunt. Commendamus ſaltem Symbolum Societatis: NULLIS IN VERBA; & admonemus lectorem, ne notiſſimi Collectoris* Dn. Chriſtiani Franc. Paullini *æquivocatione, qua in* Feriis Philoſophicis p 681. *utitur deceptus credat, Verulamium poſt Confirmationem iſtud Collegium deſcripſiſſe. Alias magnum in Hiſtoria literaria exorireretur dubium. Notum enim Verulamium circa finem ſeculi XVI. floruiſſe, & delineationem talis Collegii non deſcriptionem dediſſe.* Vid. Clar. Morhoſius in Polyh. Liter. l. 1. c. 14.

Ut vero eo melius de ſubitanea hac mutatione judicium ferri poſſit, attendenda paucis, quæ anno MDCLXXII. in Parlamento acta ſunt. Notiſſimum eſt, Regem *Carolum*, juncto Rege Galliæ, bellum fœderato Belgio intuliſſe. Quoniam vero pecunia a Rege Galliæ oblata non ſufficiens erat, *Carolus* a Parlamento impetrare pecuniam conabatur. Ea de cauſa in Conſilio Regis delineationem ejus, quod Cancellarius poſt Regis propoſitionem loqui deberet, cudebant; ad Parlamentum exhortandum, ut bellum Belgis declaratum approbaret. Prima delineatio Regi & Conſiliariis debilis admodum comparebat, mutatione contra Cancellarii voluntatem ſuſcipiebatur, inſertis verbis; *Delenda Carthago* (a). Quaſi vero intereſſe Angliæ ruinam Hollandiæ expoſceret. „ Conſiliarii, qui non tam communem quam ſolius Regis utilitatem præfixam habent, ſimiles ſunt Medicis, qui morbos ex capite in pectus transferunt. „ Reges vero magnam præ ſubditis poſſident eminentiam, propter ſubditorum tamen utilitatem exorti ſunt „. Nihilo minus Officium Cancellarii expoſcebat, ut ſermonem, prout confectus erat, pronunciaret. Dn. Comes *Shaftesburienſis* horrorem ſuum & *Lockio* & alio amico, qui publico ſcripto id confirmavit, ea de re aperuit. Sed quia Cancellarius tanquam os Regis conſiderabatur, nec ſuo nomine & ſæpius contra opinionem propriam loquebatur; obſtrictus erat Comes ad ediſcendam propoſitionem, & licet facilitate linguæ & magni animi præſentia præditus eſſet, perturbatione tamen preſſus, *Lockio* injun-

(a) *Alludebant Rex & Conſiliarii ad verba M. Portii Catonis, qui tempore tertii belli Punici Romæ in Senatu deſolationem Carthaginis aliquoties repetita exclamatione : DELENDA Carthago, ſuaſit. An vero ex auſtero & crudeli animo, an ex vero in Carthaginenſes odio, an ex amore in patriam, jam inquirere nec vacat nec lubet*. Vid. Florus Hiſt. Rom. l. 2. c. 15. Sext. Aur. Victor de Viris illuſtr. Plutarchus in Vita Catonis.

injungebat, ut a tergo ſermonem, quem pronunciare deberet, in manu teneret, ſi forte hæſitaret. „ Quem „ amor veritatis & Patriæ obſedit, ille ſimulationem „ omnem reſpuit; non ſecus ac homo fame fere ene- „ catus deſiderium ſuum celare nequit. Multos in „ Hollandia hæc propoſitio excitavit clamores, & „ illi, qui opinionem & officium Cancellarii non „ intelligebant, peſſimam de ipſo *Ashleo* concipie- „ bant ideam „.

Mox autem aulæ ſcopum ſentiens *Ashleus*, per Ducem *Buckinghamiæ* certior factus, quod non ſolum Dux *Eboracenſis* (*a*), ſed etiam ipſe Rex *Carolus II.* (*b*) Catholicæ Religioni faveret, licet poſterior indifferentiam tantum religionis ſimularet, aulam relinquebat, nec ullis promiſſis impediri poterat. „ Religio ſedem in corde fixit, & perſcruta- „ tioni aliorum hominum exemta eſt. Nemini niſi „ DEO, a quo orta, ſubjecta jacet, nulliſque le- „ gibus coerceri poteſt, quoniam ipſi non per alium „ rationem reddere debemus. Attamen amor vani- „ tatis homines ſæpiſſime eo ducit, ut gratiam Prin- „ cipis aut aliud quid præferant quieti internæ „.

(a) *Jacobus Dux Eboracenſis natus a.* 1633. , *poſt mortem fratris Caroli II. regimen Angliæ ſub nomine Jacobi II. geſſit. Obiit in Gallia exul a.* 1701. *Dubium de fide ejus Catholica nullum ſupereſt. Omnium vero maxime ſuſpicionem auxit, cum Titum Oatem Catholicorum hoſtem inſenſiſſimum injuria afficeret.* Vid. Rev. Dn. Benthemius in Statu Angliæ Scholaſtico & Eccleſ p. 632 ſeqq.

(b) *An Carolus II. Angliæ Rex Catholicis addictus fuerit, alii affirmant, alii dubitant. Ego prioribus ſubſcribo. Nam licet famigeratiſſimus Eduardus Hyde, magnus Angliæ Cancellarius & Comes de Clarendon, in Hiſtoria ſua Rebellionis in Anglia & reſtitutionis Caroli II. Anglice conſcripta taceat; ab ejus tamen ſilentio debilis ad rei ipſius negationem nectitur concluſio. Omiſit enim & Jacobi apoſtaſiam & alia, quæ propter proſcriptionem ſcribi non poterant. Imo ipſæ literæ Caroli II manu conſcriptæ &* Tom. I. Artic. VII. Bibliothecæ Univerſalis *inſertæ additis circumſtantiis de vitæ exitu Caroli II. affirmativam ſatis ſuperque confirmant.*

Verum *Aſhleus* modeſtiſſimus alias, adverſus religionem Romano-Catholicam tamen invincibili ardebat averſione. Nec minori intolerantia arbitrariam & tyrannicam ferre poterat potentiam. Id quod illis, qui eum cognoverunt, vel apud alios de eo verba fecerunt, minime latebit. „ Et eo facilius excuſa-
„ tionem promeretur, quoniam non ſolum ſana ra-
„ tio, ſed Leges quoque fundamentales Angliæ ſervi-
„ tutem illimitatam reſpuunt „.

His non obſtantibus, Eques *Tempelius* in *Memoriis* ſuis (*a*) haud optime de *Aſhleo* ſenſit, eumque pro Auctore Belli Belgici an. 1672 incepti venditavit. Notandum autem, *Tempelium* odio proſecutum eſſe *Aſhleum*, quoniam ut Cancellarius Fiſci ſeſe oppoſuit, cum *Tempelius* pro more ſolito ex legatione redux donum in vaſe argenteo conſiſtens peteret. Putabat nempe Cancellarius, hoc redditibus Regiis maxime eſſe nocivum. Quæ ratio tam firma eſt, ut *Tempelio* in Capite de Comite *Shaftesburiæ* fidendum haud ſit.

Jam in viam. Dn. *Lockius* an. MDCLXXIII. Secretarius factus eſt Commiſſionis cujuſdam Commerciorum; ex quo officio ſingulis annis quingenta Sterlingorum pondera trahere poterat. Sed quemadmodum menſe Junio dicti anni ceperat, ita menſe Decembris anni ſequentis finiebatur.

Tempore æſtivo anni MDCLXXV. (*b*) Comes *Sha-*

(a) *Wilhelmus Tempelius nomine Regis Caroli II. negotio Pacis Noviomagi interfuit. Directæ ſunt ejus Memoriæ Anglice* 1676. *Londini & Gallice* 1692., 12. *impreſſæ ad filium, ut inſtructioni eſſent & delectationi, tribuſque partibus abſolvuntur. Interim quæ ſola invito auctore prodiit pars ſecunda imprimis multa continet ſingularia, quæ ad pacem Neomagenſem ſpectant. Sunt verba laudati* Dn. Menckenii in Schediaſmate de Memoriis. §. 61. *Subtraxit ſe Tempelius ann.* 1679. *negotiis publicis & obiit an.* 1699. Vid. Summe Rever. Dn. Buddei Lexicon Univerſ. voce Temple.

(b) *Vide Catalogum ſupra citatum pag.* 121.

Shaftesburienſis neceſſarium judicavit, ut *Lockius* iter faceret, quoniam timebat, ne in Phthiſin incideret. „ Aeris permutationem in corpora noſtra certiſſimum „ habere influxum vel puerulis notum eſſe poterit. „ Sereno cælo & ipſi ad agenda aptiores ſumus quam „ tempeſtate imminente. Qui lineam æquinoctialem „ attingunt, graviſſimis morbis obnoxii ſunt. Hi„ ſpani, Hollandi in India habitantes mutant genium „ & inclinationes „. Sequebatur *Lockius Ashlei* conſilium, *Montemque Peſſulanum* petit, ibidemque per aliquod tempus moras nectit.

Hinc accidit, ut cum Comite de *Pembrock*, qui alias, quamdiu adhuc frater natu major in vivis erat, Dn. *Herbertus* vocabatur (*a*), amicitiam erigeret. Quæ amicitia poſtea conſtantiſſima fuit, & *Lockius* non ſolum Librum ſuum *de Intellectu* ei dedicavit; ſed quoque ſumma cum veneratione de eo collocutus eſt. Licet veritatis amans invidiam & perſecutionem comites experiatur, hoc tamen maximum affert ſolatium, quod homines ratione recta utentes primi exiſtant ejus amici.

Pariſios poſtea ſeſe contulit *Lockius*, & in notitiam Dn. *Juſtelli* pervenit (*b*), cujus domus concurſus hominum doctiſſimorum erat. Conſpiciebat quoque Dominum *Guenelonium* celebrem Medicum Amſtelodamenſem, qui ſummo cum applauſu anatomicas ibidem inſtituebat ſocietates. Nomen & locum domicilii ejus expetens, pugillaribus inſcripſit; ac ſi jam animo prævideret amicitiam hujus viri illi in poſterum utilem fore. Specialem vero cum Dn. *Toinar-*

(a) *Nomen duxit; Thomas Herbertus Comes de Pembrock & Montgomery.*

(b) *Henricus Juſtellus, Chriſtophori an.* 1649. *defuncti filius doctiſſimus, præſertim per editionem Bibliothecæ Juris Canonici veteris, quam aſſumpto Socio Wilh. Voello Doctore Sorbonico, an.* 1661. *publicavit, immortale nomen promeritus eſt.* Vid. Maſtricht in Hiſt. Jur. Canon. pag. 445. edit. Thomaſianæ de an. 1705. 8.

do (*a*) amicitiam pandebat, qui Exemplar *Harmoniæ ſuæ Evangelicæ Lockio* concredidit, de qua vix quinque aut ſex exemplaria completa poſſidebat, & hactenus inſtantiſſimis aliorum precibus poſthabitis nihil publicare voluit (*b*). „ Cautelæ circa librorum „ divulgationem minime ſpernendæ ſunt, quoniam „ lectores plerumque verba captant & editoribus mo„ leſtias creant, dum in alienum ſenſum detorquent „. Verum in *Lockio* talia timenda non erant, qui præter qualitates reliquas & vivam novi Teſtamenti ſcientiam acquiſiverat. De qua in fine quædam annotanda venient.

Interea Comes *Shafteſburienſis* in gratiam Aulæ rediit, & anno MDCLXXIX. locum Præſidis in Conſilio eo animo occupavit, ut patriæ, quantum poſſet,

---

(a) *Nicolaus Toinard, Aurelianenſis, eruditos ſæpius ſpe ſed inani de libris novis edendis lactavit. Præter notas enim in Librum Lactantii de Mortibus perſecutorum, quæ Pariſiis 1690. & Ultrajecti 1692. impreſſæ ſunt, parum aut nihil reperitur. Sive inter illos numerandus ſit, qui perpetua ſui diffidentia torquentur; ſive inter illos, qui indiſcretos timent rixatores; ſive inter illos, qui citius promittunt, quam ſerio de re cogitant. Hoc certum eſt, Notas ejus promiſſas in Harmoniam ſuam etiam poſt mortem non fuiſſe repertas. Diſſertatio de Numiſmatibus Samaritanis & Harmonia Antiquitatum Joſephi cum illius Hiſtoria belli Judaici nunquam comparuerunt, licet de ultimo Tractatu jam folia quædam apud Weteſtenium Amſtelodami impreſſa fuerint; prout teſtatur* Joh. Clericus in Bibl. Sel. T. XV. p. 247.

(b) *Sæpius Toinardus editionem Harmoniæ Evangelicæ promiſit. Daniel Elzevirius, Weteſteinius promiſſa ab eo acceperunt de impreſſione libri ejuſque in Hollandiam adventu. Sed eventus contrarium probavit. Videtur quidem, ac ſi ante obitum mentem ſuam a promiſſo liberare voluerit, quia an. 1690. privilegium expetiit, Verum præfatio incompleta, cui poſt mortem quædam addiderunt editores, de novo inconſtantia arguit. Tandem eo defuncto, nempe an. 1707. Pariſiis in folio prælo ſubjecta eſt, quam eo vivente nec amici nec oblatæ a Clericis impenſæ extorquere potuere. An hæc ſingularitas ſtatui ejus ſolitario & animo a lucro remoto, ut* Clericus c. l. pag. 249. ſeq *judicat tribuenda, hactenus capere non potui. Quoniam editio librorum & vita ſolitaria & lucri contemptus mea quidem ſententia ſimul ſtare poſſunt.*

ſet, prodeſſet. Et hæc cauſa eſt, cur *Lockius* revocabatur. Obtemperavit ad verba *Ashlei*, ſed quia in integrum reſtitutus non erat, diu *Londini* permanere haud poterat, præſertim cum & aſthmate vexaretur & carbones foſſiles magis magiſque moleſtias crearent. Cogebatur itaque, ut quandoque per aliquot ſeptimanas rus peteret, quo aeris ſalubritate frui poſſet, quam carbones *Londini* corrumpebant. Interdum etiam *Oxonium* proficiſcebatur, ubi locum in *Collegio Eccleſiæ Chriſti* aſſervaverat. „ *Ashleus* „ hac in parte *Lockio* libertatem permiſit, ne ni„ mia circumſcriptione penitus illo careret „.

Quemadmodum vero notavimus Comitem *Shafteſburiæ* magis ex amore Nationis Anglicanæ, quam ut aulæ faveret, inter Conſiliarios de novo comparuiſſe, Hæc autem Religionem Catholicam & illimitatam potentiam ſtabilire conabatur; iterata vice perduellionis inſimulatus, Regiſque juſſu in vincula conjectus eſt (*a*).

Abſolutus tamen *Ashleus* contra machinationes aulæ, quia convinci non poterat, fuga ſaluti ſuæ conſulens, in *Hollandiam* menſe Decemb. an. MDCLXXXII. trajecit. „ Facillimum Regi fuiſſet Comitem vel e me„ dio tollere, vel perpetuis carceribus includere, „ niſi innocentia ejus notiſſima fuiſſet. Imperantes „ ſubditis os occludere, non vero cogitationes adi„ mere poſſunt. Et forte ex tali proceſſu ſubditi re„ giminis pertæſi occaſionem rebellionis deſumſiſſent, „ quæ deeſſe ſolum videbatur „.

Hollandia Aſylum alias tutiſſimum innocentiæ vocari poterit; ſed longæ Regum manus & aſſentatores mendaciorum fuco ſæpius eos ſecundum benepla-

 citum

(a) *Notat Cl. Inhofius tanta ſeveritate rem tractatam eſſe ut quoque nomen ejus ex Catalogo Conſiliariorum expungeretur. Miror autem Joh. Parc in Scripto Italico de conſpiratione an. 1683. detecta & an. 1689. Berolini Germanice a Joh. Wolfgang Bev-ere edito Ashleum pro auctore conſpirationis venditare.*

citum ſuum ducunt. Ea de cauſa *Ashleus* licet a Principe *Auriaco* in *Hollandia* cum approbatione reciperetur, qui noverat eum propter oppoſitionem erga aulæ conatus reum judicatum eſſe; majoris tamen ſecuritatis ergo jus Civitatis *Amſtelodami* ſibi acquiſivit. *Hollandi* enim vi pacti *Angliæ* obſtricti erant, reos tradendi niſi in numerum Civium recepti eſſent: ſicuti e contra *Angli* idem *Belgis* fœderatis promiſerant. „ Delinquentes ſana ratio punire „ dictat, & intereſſe cujuſque regionis, ne vitia de- „ fenſores obtineant. Alterum vero convincere reum „ eſſe ſontem, multis ſæpe neceſſitatibus munitum „ eſt, præſertim ſi quando ipſi Imperantes accuſato- „ res agunt, quorum voluntas accuſatos damnare & „ judices nos ad confirmationem cogere ſolet „.

His rebus perturbatis *Lockius* haud conſultum putabat diutius in *Anglia* permanendi. Noverat quidem ſe nihil a legibus prohibitum pœnaque dignum commiſiſſe; timebat tamen, ne forte ad tempus captivus teneretur, quod ſanitati & vitæ ejus præjudicare poſſet. „ Conſiderate ponderans, interdum ſub „ pallio intereſſe Status injuſtitiam celari, offenſum- „ que autem teneri ad gratiarum actionem, regreſ- „ ſum autem omnem addita ut vocant Urpheda præ- „ cludi, Comitem in *Hollandiam* ſequebatur „.

Aſt brevi poſt hunc mundum Comes *Shafteſburiæ* (*a*) reliquit, in *Hollandia*. Magnus ſane honos hujus Provinciæ & ſpecialiter urbis *Amſtelodamenſis*, quod tam illuſtrem exulem receperit & defenderit, poſthabita ſiniſtra impreſſione, quam alii, propter habitum an. 1672. in Parlamento ſermonem, excitarunt. Deſcendentes hujus Viri magni conſervant recognitione pleniſſimam hujus rei memoriam; uti Comes de *Shaftesbury* demortui nepos ſæpius teſtatus eſt: Si poſſibile eſſet, ut hæc civitas uſque ad finem ſeculi aſylum tutum innocentiæ permaneret, laudes &

(a) *Nempe an.* 1683. *die* 31. *Januarii*.

& benedictiones omnium, qui amant virtutem tam rebus ſecundis, quam perſecutionibus obortis, nunquam deeſſent.

Dn. Lockius maxima ſolatii ſui parte defraudatus circa finem an. MDCLXXXIII. *Amſtelodami* degens, priorem cum Dno *Guenelonio* amicitiam reſtaurabat, qua occaſione *Dn. Veen Guenelonii* vitricum, Decanum Medicorum hujus urbis, habiliſſimum & feliciſſimum Practicum, cognovit. Menſe Januarii an. MDCLXXXIV. *Guenelonius* in domo ſua Leænam, ex nimio hujus anni frigore mortuam, cultro anatomico diſſecavit, cui ſectioni *Lockius* intererat, & hoc modo in multorum perveniebat notitiam.

Conſpiciebat quoque Dn. *de Limborch* Profeſſorem Theologiæ Remonſtrantium, cum quo amicitiam nexuit, quæ ad mortem uſque perduravit, & magna cura conſervata eſt, cum *Lockius* in *Anglia* viveret. „ Similis ſimili gaudet; vere eruditi exercitum non „ conficiunt. Quid igitur mirum amicitiam erudito- „ rum morte demum terminari „. Paulo poſt *Joh. Clericus Lockio* innotuit, qui ipſe fatetur, ſe multas horas utiliter & contente cum *Lockio* tranſegiſſe (a) præſertim poſtquam *Clerico* opiniones ſuas Philoſophicas aperuit, qua de re longas converſationes inſtituerunt.

Quemadmodum Dn. *Lockius* meliori quam in *Anglia* & *Gallia* fruebatur tunc temporis aere: ita & Tractatum ſuum *de Intellectu Amſtelodami* perfecit. Vix autem annus impletus erat, poſtquam *Lockius* Angliam reliquerat, cum apud Regem accuſaretur,

 quaſi

(a) *Johannes Clericus Genevenſis, Profeſſor Amſtelodamenſis, Remonſtrantium ſcriptis pariter ac vita celebris, in Præfatione Operum ſuorum Philoſophicorum P. I. fatetur, ſe multum debere Lockio quoad Philoſophiam rationalem. Nec male elegiſſe Clericum oſtendunt exempla virorum eruditiſſimorum in Germania, v. g. Dn. Buddei & aliorum, qui Clericum fideliſſime ſequuntur. Quamvis ignorem, an abſque crimine plagii ipſiſſimis alterius verbis uti poſſem, omiſſa ipſius auctoris denominatione.*

quaſi libellos quoſdam adverſus Regimen Anglicanum ex *Hollandia*, ut fama ferebat, venientes, elaboraſſet. Sed eventus alios aperuit auctores.

Unica hæc fuit cauſa, cur Rex *Dn. Fellio*, Epiſcopo Oxonienſi & Decano Eccleſiæ Chriſti, præciperet, ut *Lockio* locum Socii hujus Collegii adimeret. Epiſcopus ille homo doctus & virtuoſus, qui magna ſemper Lockium conſideratione & amicitia proſequebatur, ſingulari perturbatione hocce mandatum accepit. Mittebat itaque amicum *Lockii Dn. Tyrellum*, ut ea de re cum illo colloqueretur, & loco executionis, innocentiæ *Lockii* certiſſimus, octavo Novembris literas ad eum exaravit, ut primo Januarii anni ſequentis ipſe advocatum ſuum ageret. Imo eodem tempore ad Comitem *Sunderlandiæ* Secretarium Status (a) talibus verbis ſcripſit, quæ characterem *Lockii* clariſſimum reddunt: *Dn. Lockius homo erat, in quo defunctus Comes Shafteſburiæ maximam poſuit fiduciam, & quod male affectam putent erga Regimen Angliæ, ſumma cum attentione per aliquot annos curam illius geſſit; ſed tam circumſpecte ſemper ſe geſſit, ut poſt multas exactas ea de re inquiſitiones, aſſeverare poſſim, nullam in hocce collegio, quam conjunctiſſime etiam cum illo vixerit, reperiri perſonam, quæ unquam eum vel de regimine, aut quod illud concernit, verba feciſſe audiverit. Licet ſæpius tam publice quam privatim etiam, quod Comitem Shafteſburiæ attinet, male de ultimo loquutus fuerit, nunquam tamen eo adductus eſt, ut vel verbis ſuis intereſſe aliquo modo teſtaretur. Credimus igitur, neminem inveniri, qui tanta auctoritate Linguæ*

(a) *Robertus Comes Sunderlandiæ, Caroli II. in Gallia Legatus an 1679 Secretarius Status factus eſt, quem locum 1681 amiſſum recuperavit an. 1683., & ſub Regimine Jacobi II. conſervavit; dein Jacobo regno expulſo, Roterodamum aufugit, ibique habitu mulieris indutus aliquamdiu latuit. Tandem agnitus carceri mancipatus eſt.* Vid. Dn. Inhof. c. l. I.

gue & paſſionibus ſuis imperat. „ En novam *Lockii* „ præ aliis hominibus eminentiam ! Linguam compeſcere, quando illud, quod magni facimus, contemnitur, rariſſima in his terris avis eſt. Sed ſigna quoque animi parum quieti celare humanitatem fere ſuperat „.

Quæ eo majorem in *Lockio* promerentur admirationem, qui naturaliter linguæ ſuæ indulgebat. Inſidias vero ſtructas ſentiens, inviolabilem ſilentii legem ſibi poſuit. Probe percipiebat, quod verba in præſentias faciens illorum, qui eum tali ſermone capere volebant, nec benefactoribus ſuis prodeſſet, ſibi ipſi vero moleſtias attraheret. Licet vero Epiſcopus Oxonienſis in gratiam *Lockii* dictas Epiſtolas conſcripſerat; attamen ſecunda Epiſtola Regis cogebat, ut *Lockium* Societate excluderet. „ Superiorum „ prima mandata ſpernere audaciæ quid oſtentare videtur; ſecunda contemnere inevitabili infortunio conjunctum eſt „.

Poſt mortem Regis *Caroli II.*, qui in an. MDCLXXXV. d. 16. Februarii incidit (*a*), *Dn. Penn.*, qui *Lockium* in Univerſitate cognoverat, & exiſtimationem ſuam ſub *Jacobo II.* conſervabat, interceſſionem ſuam *Lockio* obtulit; & ſine dubio voti compos factus fuiſſet, niſi *Lockius* reſponſum illi dediſſet: Non opus eſſe remiſſione, pro eo, qui nullius criminis eſſet reus. „ Illis quoque ſuſpicionem omnem præſcindere voluit, qui actionem non cauſam conſiderant, meliuſque duxit innocenter pati, quam aliis anſam criminis ſuppeditare „.

Cir-

(a) *Carolus II., filius Caroli I., aſtu Cromwellii decollati. natus an.* 1630., *poſt fata patris exul, an* 1660 *aſſiſtentia fortiſſimi Moncki ſolium recuperavit*. V. Exe. Dn Sweder in diſp. de Fevolut. & mutation. Seculi XVII. *Naturali ne an violenta morte e vivis per fratrem Jacobum ſublatus ſit. illorum eſto judicium, qui offas Comitiſſæ de Portſmouth & maculas in corpore inventas obſervarunt.*

Circa initium anni MDCLXXXV. Dux *Monmouthius* (*a*) una cum multis aliis ob regimen Anglicanum male contentis Dominis in *Hollandia* commorabatur, ſeque ad conatum, qui poſtea lamentabilem ſortitus eſt exitum, præparabat. Simul ac Rex *Jacobus II.* de hac re certior factus eſſet a Statibus Hollandiæ per Legatum ſuum *Hagæ Comitis* degentem *Dn. Skelton* petiit, ut viginti quatuor traderent perſonas.

In iſto catalogo & *Lockii* nomen annotatum erat, quem ſic circumſcripſerunt: *Secretarius olim Comitis Shaftesburiæ*, licet neque illud officium neque titulum unquam in domo Comitis geſſerit, ubi ſaltem amici inſtar commorabatur. Nomen ejus ultimum occupabat locum, & *Clericus* refert (*b*) famam tuliſſe, nomen *Lockii* non repertum fuiſſe in Catalogo ex *Anglia* miſſo, ſed Conſulem Anglicanum *Amſtelodami* tunc degentem illud addidiſſe. „ Virtus quo ſecurior, „ eo majoribus expoſita eſt telis „.

Hoc certum eſt, *Lockium*, cum Duce *Monmouthio* nullam exercuiſſe ſocietatem, quem tanti non fecit, ut felicitatem ſibi de eo promitteret. Ut taceam, eum alias haud inquieti animi fuiſſe, magisque ad timiditatem quam audaciam inclinaſſe.

Circa finem an. MDCLXXXIV. *Lockius Ultrajecti* vivebat, vereque ineunte *Amſtelodamum* revertebatur

(a) *Jacobus Fitz-Roy, filius Caroli II. naturalis, natus Roterodami anno 1649., a patre anno 1663. in Baronem de Tiredale, Vice-Comitem Doncaſtriæ, Comitem Monmouthium in Anglia & de Bucklengh in Scotia, Magnum Camerarium Scotiæ. Hipparchum Angliæ, Conſiliarium intimum & Equitem Periſcelidis evectus eſt. Poſt mortem patris ipſe Regnum affectavit, ſub prætextu, ac ſi ex legitimo ortus eſſet matrimonio. Adhærebant multi tyrannidis Jacobi pertæſi. Sed nimia ejus mora Jacobo ad vires colligendas tempus ſuppeditavit; hinc ad Bridwateram profligatus & captus capitis pœnas Londini 1685. die 25. Julii luit*. Vid. Hiſtoire de Charle II. Jacque II.

(b) *Vid. Clerici Bibl. choiſie T. VI. p. 372.*

tur eo animo, ut iterum *Ultrajectum* ſe conferret; id quod etiam effectui dedit, ne in negotio Ducis de *Monmouth* implicitus accuſaretur.

Antea Dn. *Guenelonius* ſe erga *Lockium* excuſaverat, quod eum recipere non poſſet, quia conſuetudinibus urbis contrarium eſſet, ut peregrini in domum ſuam diverterent; licet *Lockii* viſitationem quam benigniſſime acciperet. Perſpiciens vero, *Lockium* in timore conſtitutum, & tempus adeſſe, quo placere ei poſſit, ſumma cum generoſitate ad id operam dedit, ut *Dn. Veen* diverſorium in domo ſua permitteret. Per literas igitur ipſum *Amſtelodamum* invitavit, & Dn. *de Limborch* nomine Dn. *Veen* idem præſtitit.

Redibat igitur *Amſtelodamum Lockius* & per aliquot menſes apud *Dn. Veen* latebat. „ Animus generoſus in anguſtia dejectus contentus vivit, dummodo vel tempore nocturno amica converſatione frui liceat „.

Sollicitabat interea Dn. *de Limborch Lockium* noſtrum, ut literas ad eum ſcriptas communicaret. *Dn. Lockius* non literas ſolum ſed teſtamentum quoque tradidit, quod cuidam agnatorum, quem nominabat, mitti morte appropinquante vellet. „ De exitu vitæ vita ſana cogitare vaniſſimorum hominum non eſt, quippe qui ſi etiam ejuſmodi cogitationes ſuboriantur, non firmo propoſito ſed immutabilitate coacti, id agere aſſolent „.

Ut vero omnis *Lockio* adimeretur ſcrupulus, an tute *Amſtelodami* permanere poſſet, unum ex primariis urbis Magiſtratibus in Conſilium adhibebant amici. Reſponſionis loco reportarunt: Non eſſe in poteſtate Magiſtratus poſitum, ut illum protegerent, ſi quando Rex Angliæ illum deſideraret, ſed ad minimum non extraderent, ut potius de omnibus hoſpiti nuncium mittere vellent. Quietum hoc aliquo modo *Lockii* animum reddidit, & ipſe uſque in menſem Decembris apud *Veenium* permanens, nonniſi veſpertino

tino tempore exibat, ne agnoſceretur. „ Ut inimi- „ cos vincas, laboribus multis non indiget. Silen- „ tium ſanum pleraque conſilia inimica deſtruit „.

Perſuaſit aliquis *Lockio*, ut *Cliviam* potius peteret; ſed initio Novembris *Amſtelodamum* reverſus, priſtinum diverſorium occupabat. Scripſit ibidem Literas primas Latinas *de Tolerantia ad Limburgium* (*a*) Tergoviæ impreſſas an. 1689.

Eodem tempore ſcripta quædam *Epiſcopii* (*b*) perlegit, quæ ad guſtum ejus maxime compoſita erant. Hactenus enim Remonſtrantes ex auditu & converſationibus quibuſdam ſaltem noverat. „ Audire & „ experiri res ſunt diverſiſſimæ. Maxima ſæpius „ mendacia communis confirmat fama. Homines „ enim perſuaſi ſunt, verba non multum valere nec „ faci-

(a) *Totus Epiſtolæ titulus hiſce literis eſt repletus : Epiſtola de Tolerantia ad Clariſſimum virum T. A. R. P. T. O. L. A. ſcripta a P. A. P. O. I. L. A. Indicant vero ſequentia : Theologiæ apud Remonſtrantes Profeſſorem, tyrannidis oſorem Limburgium Amſtelodamenſem a Pacis amico Perſequutionis Oſore Johanne Lockio Anglo. Anglice bis editæ ſunt Londini* 1690., *Germanice* 1710. *Extractum dedit Clericus in Bibl. Univerſali Tomo XV. artic.* 14. *Amſtelodami apud Waesbergium venduntur.*

(b) *Simon Epiſcopius, natus Amſtelodami an.* 1583. *poſt varia itinera peracta Miniſter Blyſwicenſis an.* 1610. *electus eſt. Eo tempore inclaruit, quo certamina de Prædeſtinatione Hollandiam affixerunt. Locum Gomari an.* 1612. *inter Profeſſores Leidenſes occupat. Poſt obitum Arminii tanquam Arminianorum Promachus, perſecutiones patitur, & anno* 1619. *decreto Synodi Dordracenæ Profeſſionem amittit. Antwerpiam fugiens, libris ſcribendis vacavit, Galliam petiit, tandemque an.* 1634. *Profeſſionem Theologiæ in Gymnaſio Remonſtrantium Amſtelod obtinet, ubi obiit an.* 1643. *Eruditio Epiſcopii ex Inſtitutionibus Religionis Chriſtianæ, Epiſtolis & aliis Scriptis eluceſcit. Tolerantiam quam maxime commendat Epiſcopius &* Clericus in Bibl. Sel. T. V. p. 307. *pro optimo Theologiæ ſuæ articulo Tolerantiam venditat, quæ humanitate & amore Chriſtiano innitatur. Opera Epiſcopii Stephanus Curcelleus duobus Vol. folio edidit. Epiſtolæ Epiſcopii tertia vice opera Limburgii* 1704. *in fol Amſtelodami editæ. Qui Epiſcopii quoque vitam a Richardo Epiſcopo Bathenſi & Wellenſi Anglice verſam conſcripſit.*

„ facile probari. Abſurdum igitur eſt judicia ex auditu ſibi formare; abſurdius ex teſtimonio inimicorum „. Mirabatur *Lockius*, quod Remonſtrantes cogitationum ſuarum plenos reperiret, & magnam poſtea utilitatem ex luce ſuborta trahebat. „ Præjudicia ipſa experientia maxime diſpelluntur, dummodo irrationalis abſit pertinacia. *Lockius* ex illorum numero non erat, qui Sectæ nomine occæcati; bonum & malum aliorum ſimul abjiciunt; aut Doctoribus ſuis tanta cæcitate adhærent, ut reliqua omnia idolo iſto contraria, cane pejus & angue ſub veneni colore vitare ſoleant „.

Circa finem hujus & ſequenti anno *Dn. Lockius* apud *Guenelonium* commorabatur. Anno vero MDCLXXXVI. in publicum denuo prodibat, quoniam quilibet certus erat, *Lockium* Ducis *Monmouthii* rebus non eſſe immixtum. „ Eventus optimus innocentiæ defenſor eſt, & tempora futura præſentium præcipitantiam produnt „.

Eodem anno *Dn. Lockius Joanni Clerico* novam ſuam *Methodum Locos Communes*, ut vocantur, conficiendi tradidit, quæ Tomo II. Bibliothecæ Univerſalis inſerta eſt (*a*). Impreſſerunt quoque ſeorſim quædam exemplaria, quæ *Clericus Lockio Ultrajecti* degenti tranſmiſit. Deſideravit *Lockius*, ut unum *Toinardo* mitteretur, cui & *Lockii* nomine omiſſo obſecutum. Confecit & *Lockius* Extractus quoſdam Librorum, uti ex Libro *Boylii de Remediis Specificis* & aliis, qui

(a) *Eadem methodus inter opuſcula Lockii poſthuma reperitur, de quibus infra. Addimus ſaltem judicium* Joh. Clerici Art. Criticæ Vol. 1. Part. I, c. 5. Multi multa hanc in rem ſcripſerunt & nos etiam experti ſumus, ſed nulla occurrit methodus commodior & facilior ea, quam ab amico acceptam Gallice dudum edidimus. Non modo enim Latinæ ſed etiam Græcæ linguæ aptatam ab aliquot annis utiliſſimam eſſe comperimus; neque unquam in manus collectanea noſtra Latina aut Græca ſumimus, quin optimo & doctiſſimo viro, qui eam methodum nos docuit, gratias habeamus.

qui Tomo ſecundo & tertio ejuſdem Bibliothecæ inſerti comparent.

Ad finem properante anno *Dn. Lockius Amſtelodamum* reverſus recuperavit domicilium penes *Guenelonium*. A. MDCLXXXVII. petiit a *Limburgio*, *Clerico* aliiſque amicis, ut ſingulis ſeptimanis jam apud hunc, jam apud alium convenirent. Proponebatur quæſtio, de qua in ſequenti converſatione quilibet ſententiam ſuam aperiebat (a). Sed abſentia *Lockii* colloquia iſta interrupit, *Roterodamum* enim proficiſcebatur, & *Amſtelodamum* regreſſus, brevi valedixit. „ Ecquid laudabili hocce propoſito laudabilius „ excogitari poteſt? Scientia mortalium fines certos „ experitur. Hic alio quam alter rem conſiderat „ modo. Hic majori præ altero pollet judicio. Sed „ conjuratione quaſi in rem unam facta, quid veri„ tatis apprehenſioni obeſſet? Fruſtraneum eſt, ſi „ pigmæus centenarios quoſdam auferre putat, quos „ vires unitæ contemnunt „.

Ad finem anni *Lockius* ipſe Compendium Libri *de intellectu humano* Anglice compoſuit, quoniam Liber adhuc in Manuſcripto reperiebatur. *Clericus* in Gallicam linguam tranſtulit, & tam in *Bibliotheca univerſali* (b) quam ſeorſim (c) publicavit. Hæcce delineatio multis tam grata fuit, ut elaboratum opus proximis exoptarent. Alii, quibus *Lockius* obſcurus

---

(a) *Mentionem injicit* Clericus T. VI. Bibl. Sel. pag. 376. *Legum hujus converſationis propria Lockii manu Latine ſcriptarum. Non inutile fore confido, ſi quando Clericus curioſis hac in parte capacitatem doctiſſimi Lockii communicaret. Forte converſationes eruditæ obſervatis hiſce regulis felicius inſtitui poſſent. Doleo autem quam maxime Converſationis Lockianæ finem præmaturum, præſertim quum a Viro doctiſſimo doctiſſima Collegii membra electa fuerint, quæ non ſecus ac in iſta* Auli Gellii *Societate quotidie Lauream promerita eſſent.* Noct. Att. l. 18. c. 2.

(b) *Tomo VIII. an. 1688. menſe Januario.*

(c) *Exemplaria ſeorſim impreſſa auxit Lockius, cum dedicationem ad Comitem de Pembrock adjiceret.*

ſcurus erat, & qui ſaltem extractum in iſta Bibliotheca viderant, ſibi imaginabantur eſſe Sciagraphiam operis imperfecti, cujus auctorem *Clericus* Anglum diceret, ut aliorum judicia expiſcaretur. „ Judicia „ hominum ſæpiſſime præmatura ſunt, dum cogitant „ ſe rem quam optime ponderare, toto cælo a ſcopo „ aberrant vero „.

Tandem denique feliciſſima revolutio in *Anglia*, quæ circa finem anni MDCLXXXVIII. & initio ſequentis accidit, *Dn. Lockio* reditum in patriam aperuit. Fortitudo & prudentia *Principis Arauſionenſis* (a) Anglos a jugo Romano & ſervitute ſecuros reddidit. „ Nullum violentum diuturnum. Tolluntur in al„ tum, ut lapſu graviore ruant. Maximas lux ſpar„ git flammas, ſi quando interitus appropinquat. „ Et *Jacobus II*, dum *Ludovicus Magnus* & *Ponti„ fex Maximus* ſuppetias ferunt, infirmo Principi „ regnum tradere cogitur „.

Dn. Lockius igitur an. MDCLXXXIX. menſe Februarii in *Angliam* trajecit & quidem cum illa claſſe, quæ *Principem Arauſionenſem* (b) comitabatur.

Londinum ſe conferebat eo animo, ut in antiquum jus, quod olim in *Eccleſia Chriſti Oxonii* poſſederat, reſtitueretur; non ac ſi ibidem commorari vellet, ſed ut injuriam ſibi illatam omnium oculis exponeret. Compos autem deſiderii factus fuiſſet, niſi ipſe propoſitum ſuum mutaſſet. „ Videns enim reſti„ tutionem non alio modo locum invenire poſſe, niſi „ re-

(a) *Inter maximas Angliæ mutationes preterito ſeculo exortas & Jacobi II. dethronizatio numeranda venit. Princeps Auriacus, cui in juventute ſpes omnis ad præfecturam Hollandiæ præſcindebatur ab Anglis, Angliam ipſam ſceptro ſuo gubernat. Erat is Wilhelmus Regum Angliæ Tertius, qui ad annum uſque* 1702. *vitam & regimen perduxit*. Vid. Hiſtoire des Pais bas. T. IV.

(b) *Intelligo Uxorem Wilhelmi III. Mariam Stuartam, Jacobi II. Regis Angliæ filiam, natam an.* 1662. *una cum marito an.* 1689. *coronatam, & an.* 1694. *denatam*.

„ remoto illo, qui occupaverat, noluit aliorum damno propriam promovere utilitatem „.

Quoniam vero *Lockius* magni æſtimabatur ab illuſtribus Viris, qui poſt dictam revolutionem ſumma auctoritate præditi erant, facillimum ei fuiſſet officium aliquod ingens adipiſcendi. „ Sed ſapiens non „ tam honores ambit quam expectat „. Igitur *Dn. Lockius* contentus vivebat, ut inter illos numeraretur, quos Appellationum Commiſſarios vocabant. Quod officium annuatim ducentas Sterlingorum Libras reddens, quam optime illi ob exiguam aſſiduitatem conveniebat. Penes illos, qui theſauro præpoſiti ſunt, erat, cuinam hocce officium conferrent, & *Dn. Mordantius* poſtea Comes *Monmouthiæ & Peterborough* factus, conſenſu reliquorum (*a*) *Dn. Lockio* obtulit. „ Et cui melius competeret quam illi, cu„ jus merita digniſſimum proclamarent „?

Offerebatur *Dn. Lockio* eodem tempore character aliquis publicus, & in ejus poteſtate poſitum erat, an Legatum ad Imperatorem vel Electorem Brandeburgenſem vel alio loco agere vellet, prout ſanitati ſuæ aerem convenientem judicaret. Sed timens, ne aere ſibi adverſante, negotia Regis negligerentur, aut aere ſalubri parum promtus eſſet, Officium tale recuſavit. „ Qui vel mica judicii *Lockio* fuiſſet, in„ ferior, ambabus, quod ajunt, manibus arripuiſſet, „ quod reſpexit. Pauciſſimi vires ponderant ante „ quam rem aggrediuntur. Plerique non citius ſa„ piunt, quam deſipuerunt „.

Interea temporis non otio tranſegit *Lockius*, ſed negotio erudito. Primæ ejus *de Tolerentia* literæ (*b*) a Theologo quodam aggreſſæ erant, quibus objectionibus

---

(a) *Carolus Vice-Comes de Mordant, ex antiqua familia de Peterborough & Baronum de Mordant oriundus, a Wilhelmo III. an.* 1689. *Comitis Monmouthiæ titulum impetravit*. Vid. Cl. Inhof. c. l. Tabb. LXXVII.

(b) *De quibus ſupra* §. 59. *mentio injecta*.

nibus in *ſecunda Epiſtola* a. MDCXC. reſpondit (*a*). Nomen ſuùm non addidit, ne perſonale certamen ſubiret ſibi & veritatis propagationi nocivum. Simul ac vero ejus ſcribendi ratio innotuit, avem e plumis agnoverunt. „ Veritatis propoſitio cautelis quibuſdam „ præmunita eſt. Licet enim amans Veri tantis la„ boribus circa agnitionem ejus opus non habeat, re„ quirit tamen in aliis a vero aberrantibus perſuaſio „ Veritatis certas cautelas. Pauciſſimi capaces ſunt, „ ut opinionem in ſuccum & ſanguinem verſam ob „ exempla eruditionis laude ſuperbientium & Phi„ lautiam abjiciant „.

Eodem anno Tractatus *Dn. Lockii de Intellectu humano* lucem adſpexit (*b*), & quidem idiomate An-

 gli-

(a) *Extractum hujus epiſtolæ reperies Tomo XIX. artic.* 1. *Bibliothecæ Univerſalis.*

(b) *Prima editio a.* 1690., *altera* 1694., *tertia* 1697., *quarta* 1700., *quinta* 1706. *Londini in folio Anglice prodierunt. Licet vero quarta vivente auctore optima fuerit, habet tamen & quinta ſive poſthuma quædam in prioribus non extantia. Ut enim immixta ex reſponſionibus Lockii Epiſcopo Worceſtrienſi Stillingfleetio datis loca taceam, quæ obſcuriora illuſtrant; comparent quoque mutationes quædam ab ipſo Lockio confectæ. Quoniam vero Lockius in iſto Tractatu ſolam experientiam propriam, non aliorum effata ſequitur; hinc adverſarios quoſdam expertus eſt. De quibus inferius plura. Præſertim editio quinta additiones de Voluntatis Libertate profert, quibus* Joh. Clericus in Bibl. Sel. T. XII. p. 102. ſeq. Tom XVII. p. 235. *dubia opponit, quia Lockius iſtam libertatem non in indifferentia poſuit. Defendit tamen Clericus Anglum noſtrum adverſus Petrum Baylium & Stillingfleetium, quorum ille in libro, quem vocat :* Reponſes aux Queſtions d' un Provincial, *Lockium Spinoſiſmi accuſat, quoniam aſſerit nobis de Subſtantiis ſaltem proprietates quaſdam notas eſſe, quas experientia edocemur, ſubjectum vero harum proprietatum in obſcuro latere. Idem fecit George Hickes D. Theologiæ in libro:* Spinoza redivivus, an. 1709. *Londini* 8. *impreſſus.* Vid. Clerc. Bibl. choiſie T. XXI P. 1. p. 38. *Sed Dn. Hickes affectibus indulgens, & Joh. Clericum calumnioſe Spinoſæ jungit. Alter autem putat Lockii ſententiam: ac ſi Deus in uno ſubjecto*

cogi

glicano. Quo opiniones ejus cis mare certius & prolixius innotuerunt, quam ex extractu iſto a. 1688. impreſſo. Eminet inter reliquas editio quarta Anglicana, in qua effectus ejus ſinceritatis & amoris Veritatis præſertim *Cap. XXI.* ubi *de Potentia ſive facultate* agit, comparent. Nam ſuaſu amicorum quorundam multa quoad ideas de modo ſeſe determinandi & volendi mutavit. „ Pauci Philoſophorum capa„ ces ſunt, ut cogitata corrigant, & quicquid potius „ quam errores ſuos profiteantur. Præſertim cum per„ tinaciam plerumque virtutis maximæ nempe Con„ ſtantiæ nomine palliant „. *Dn. Lockius* plus amabat Veritatem, quam ut illos imitetur, & ipſe in præfatione ſua fatetur, quod examine ſolidiori inſtituto ſententiam mutavit.

Edidit eodem anno Librum ſuum *de Gubernatione civili* (*a*), ſed tecto nomine, quoniam principia ibidem defenſa illis contrariebantur, quæ communiter in *Anglia* ante revolutionem defendebantur, & poteſtatem arbitrariam ſine reſpectu ad aliquam Legem requirebant. Penitus Turcicam iſtam Politicam, a multis ſub religionis prætextu arreptam, deſtruxit, ut illis, qui poteſtatem ſupra naturam humanam adſpirabant, adularentur. „ Principes propter ſubditos, „ non hi propter illos, enati ſunt. Si de Regentium

„ in

cogitationes & extenſionem unire poſſit, Scepticiſmum ſapere, quia hoc modo nihil reperiatur, quod infinitati DEI impoſſibile ſit. Quid Illuſtris Leibnitzius deſideraverit, ex Epiſtolis familiaribus, de quibus ad §. VII. mentio facta, pateſcit. Hoc tantum notandum, Lockium ultimo nunquam reſpondiſſe. Quod ipſum Lockii librum attinet, Gallice an. 1700. *a Dn. Coſteo verſus eſt, cui verſioni & Coſtei diligentia & Lockii reviſio laudem conciliant. Latine impreſſus eſt an.* 1701. *a Dn. Burrigd Extractus Anglicus Dn. Wyenne abſcribitur. In Germania comparuit Latine an.* 1709. *in* 8. *apud Theoph. Georgium Bibliopolam celeberrimum una cum imagine Lockii æri inciſa.*

(a) *Extractum invenies in Bibl. Univerſali Tomo XIX. Articulo VIII. novæ editiones an.* 1694., 1698. *&* 1706. *in Anglia lucem viderunt, ut verſiones diverſas Gallicas taceam.*

„ in ſubditos amore certiores ſemper eſſemus, adu-
„ lantium adulationes aliquid valerent: cum vero
„ quotidie ſimulationes, morum permutationes &
„ odium adverſus ſubditos erumpant, ad maledictos
„ Chami poſteros barbarica hæc ſapientia relega-
„ tur „.

Poſt revolutionem *Dn. Lockius* per biennium & quod excurrit cum ſumma omnium, quibus notus erat, veneratione *Londini* commorabatur. Viri in ſummo honore poſiti familiariter cum illo vixerunt; nullius autem converſatio magis *Lockium* affecit, quam ordinaria ſingulis hebdomadibus inſtituta converſatio cum Comite *Pembrokio*, qui tunc Cuſtos ſuffragiorum & poſtea Præſes Conſilii Regii communi omnium approbatione fuit, & cum ipſa Majeſtate Regia. Quando autem affectus pectoris propter aeris inclementiam *Londini* oriebatur, ad dies quoſdam in prædium aliquod Comitis *de Peterborough* haud procul diſſitum ſe contulit, ubi ſemper hilari excipiebatur fronte.

Tandem coactus cogitavit de *Londino* ad minimum tempore hyemali relinquendo. Interdum Equitem *Mashamum* in loco *Oaetes* dicto, qui viginti circiter milliaria a *Londino* diſtat, habitantem, viſitabat; ubi aerem tam clementem ſenſit, ut meliorem ſuæ conſtitutioni vix crederet. Accedit grata converſatio cum familia Equitis *Mashamii*, quæ vel triſtiſſimum locum exhilarare poterat. Quæ omnia in cauſa fuerunt, ut *Lockius* ab iſto nobili peteret, quo illum in domum ſuam reciperet; quo mortem expectare, & ſtudiis, in quantum ſanitas debilis permitteret, operam dare ibidem poſſet. Recipiebatur ejuſmodi conditionibus, quas exoptabat, in tantum ut ſumma frueretur libertate, ac ſi in propria habitaret domo. In ſuavi iſta ſocietate reliquum vitæ tranſegit & rariſſime iter fecit, quoniam aer *Londinenſis* quotidie intolerabilior fiebat. Æſtivo ſaltem tempore per tres aut quatuor menſes *Londinum* petiit, &, quampri-

mum aliquam incommoditatem percipiebat, ſtatim aere ſalubriori in priſtinum ſtatum redigebatur. „ Maximum in perturbato mundo bonum quies appellatur, quam multi quærunt, pauci impetrant. Omnes hunc ſcopum præfixum habent, ſed plerique ad metam properantes vel retrocedunt vel ſecedunt, dum propria meditatione & experientia deſtituti alios imitari ſolent „.

Tertias *de Tolerantia* literas *Dn. Lockius* anno MDCXCII. publicavit, ut novis objectionibus reſponderet (*a*), tantaque officio ſuo functus eſt efficacia accurata, ut neceſſarium non eſſet de novo hanc materiam reaſſumendi. Peregrinum eſt, quod homines, qui naturaliter convicti ſunt, ſe erroribus obnoxios eſſe pauciſſimaſque res perſpicue percipere, alios tamen ob diverſitatem opinionum eodem licet jure fruentes, perſequantur, & quidem ſub religionis prætextu, quæ expreſſe contrarium injungit. Cauſa hujus mali non aliunde propullulat, quam ex ambitioſo & tyrannico animo, qui neſcio quo pietatis velo involvitur; non ſecus ac poteſtas arbitraria bono publico, cui tamen maxime contraria, tegitur. *Anglia Lockio* debet, quod permultis hominibus errorem iſtum ademerit, qui ex defectu attentionis perſecutorum principia approbarunt. „ Quatenus enim religio pro conceptibus ſumitur, eatenus ferro & igne dirigi nequit, quia vis externa facta externa ſolum coercet; quatenus vero fons Religionis in voluntate poſitur, omnes Religiones tranquillam & juſtam inculcant vitam „.

Moneta tunc temporis in *Anglia* valde erat adulterata, quia ſub regimine præterito præſcindebatur, nec

---

(a) *Literas Lockii de Tolerantia Germanice an* 1710. *verſas eſſe, omnibus eruditi hujus viri admiratoribus cognitum erit. Addimus, particulam adhuc quartæ epiſtolæ ſupereſſe, quæ inter opera poſthuma an.* 1706. *Londini in* 8. *Anglice edita conſpicitur.* De quibus ad §. 99. plura dicemus.

nec hactenus de regimine hujus corruptionis proceres cogitaverant, cum tamen vel tertia parte levior eſſet, quam juſtus valor requireret. „ Moneta haud „ leves de viribus & debilitate Status ſuppeditat ob„ ſervationes; quæ eo minus occultari poſſunt, quia „ monetæ in omnium manibus verſantur „. Illi, qui hanc vel illam auri ſummam poſſidere putabant, non poſſidebant in Anglia; licet enim Moneta non auctoritate publica diminuta erat, in commerciis tamen minus valebat, quam valor requirebat; id quod commerciis diverſimode ruinoſum fuit. „ Si enim „ merces majori pretio expeditæ fuiſſent, *Belgæ* „ emptores attraxiſſent. Si diminutio monetæ Regi „ adſcripta fuiſſet, nomine crimen Læſæ Majeſtatis „ vel rebellionis accuſator incurriſſet; attamen ſilendo „ commercia, Angliæ Ærarium, conſervari non pot„ erant „.

Dn. *Lockius* quam primum in *Angliam* reverſus eſſet, malam hoc obſervans, ſæpius de illo verba fecit; ut nationem Anglicanam ad remedii impetrationem incitaret. Aliquando in hæc erupit verba: *Malum reperitur in Anglia a nemime animadverſum, multum damni nationi allaturum, imo majus, quam illud, quod maximum creat timorem; et ſi iſti malo non mature obviam itur, hoc ſolo reliqua omnia proſternentur*. Cum aliquando admodum inquietus ea de cauſa compareret & aliquis rideret; quod imaginario torqueretur timore, reſpondit: *Unicuique ridere licitum eſſe, ſed brevi, niſi alia Conſtitutio fieret, eventurum, ut pecunia ad panem emendum deficeret*. Et hoc anno MDCXCII. accidit; quare Parlamentum ſequenti anno cogebatur ad curam huic rei adhibendam. „ Animus de patriæ da„ mno ſollicitus parvi æſtimat, ſi quando optima ejus „ monita ab inadvertentia contemnuntur; certus „ enim vivit exitum conſilia ſua comprobare „.

„ Quemadmodum vero illi magnum prudentiæ gra„ dum attigerunt, qui vitia Status obſervant: ita

„ illis cedunt, qui media monſtrant, quibus tolli „ poſſent „. Et hac in parte eminentiam ſuam expoſuit Dn. *Lockius*, dum anno MDCXCV. Libellum edidit ſub titulo: *Conſiderationes de conſequentiis diminutionis Intereſſe argenti, & augmentationis pretii Monetæ*. Multas in iſto libello obſervationes tam quoad Monetas quam commercia Anglorum exhibet. Reaſſumſit iſtam materiam Dn. *Lockius* a. MDCXCV., cum prædictionis ſuæ adimpletio Parlamento ferias inſpiraret cogitationes. Ex quibus elucet, eum non minus accurate de ordinariis vitæ negotiis quam de rebus abſtractiſſimis judicaſſe; & quod illis Philoſophis annumerandus non ſit, qui veritates pure ſpeculativas inquirunt, nullum vero ſalubre Status conſilium ſuppeditare poſſunt.

Anno MDCXCIII. *Dn. Lockius* cogitationes ſuas *de Educatione Infantium* prælo ſubjecit (*a*). Quæ licet multos errores in *Anglia* occurrentes contineant; attamen & multa omnibus nationibus proficua offerunt. „ Tam privati quam negotiis publicis admoti „ hac in parte *Lockio* gratias agendas habent, quia „ educatio præcipuam fortunæ noſtræ partem conficit. Sicuti enim educatio, ita & ſequens converſatio & conſtitutio, comparatæ ſunt, quoniam per „ aſſuefactionem in naturam tranſmutatæ actiones difficulter mutari queunt „.

Anno MDCXCV. officium *Commiſſarii Commerciorum & Coloniarum Lockio* demandatum eſt. Commiſſarii illi conſilium formant, quod Commerciorum Anglicanorum & Coloniarum curam gerit, & quilibet illorum annuatim loco honorarii mille Sterlingorum libras accipit.

Geſſit hoc officium ſummis vigiliis & communi approbatione ad annum uſque MDCC., quo depoſuit; quia diutius *Londini* permanere non poterat. „ Bona „ for-

(a) *Libellus iſte an 1693., an. 1694. & an. 1698. Anglice editus, poſtea Gallice & Germanice verſus eſt.*

„ fortunæ cedunt bonis corporis & animi, imo illa „ ſæpius hæc deſtruunt. Illa pluribus obnoxia ſunt „ caſibus, majorique cura aſſervantur. Hæc abun-„ dantiam fortunæ non requirunt „. Nemini propoſitum ſuum aperuit Lockius, donec occaſionem nanciſceretur, qua ipſi Regi officium in manus reſignare poſſet. Rex ſingulari perturbatione percitus regerebat: *ſervitia ejus ſibi grata eſſe, quamcumque etiam aſſiduitatem adhiberet, nec velle, ut per unum diem in perniciem Vitæ in urbe perſiſteret*. „ Talem ex „ ore Regis gratiæ confirmationem audire non ulti-„ mum capacitatis indicium eſt „. Regeſſit vero *Lockius*; *quod tale officium honorario ſingulari inſtructum abſque debita obſervantia retinere non poſſet*, *petebatque*, *ut Rex reſignationem acciperet*. Permulti tam ſcrupuloſi non fuiſſent, & ex permiſſione Regis utilitatem ſuam auxiſſent. Ad minimum tale officium fructuoſe reſignaſſent. Promerebatur *Lockius*, ut abſque ullo negotio honorarium retineret, quia inter illos numerabatur, qui Parlamento demonſtrabant, non aliud ad Commercia in Anglia conſervanda ſupereſſe medium, quam monetæ abſque pretii augmento publicis ſumtibus factam reſtitutionem.

Componebat eam ob rem novum libellum a. 1695. ſub titulo: *Conſiderationes novæ augmentationem pretii monetæ concernentes* (*a*). Parlamentum conſilium ejus ſequens, in medio belli furore præſtitit, quod aliæ Reſpublicæ vix in florentiſſima pace ſuſcepiſſent. Notiſſimum enim in multis regnis pro lubitu augeri & diminui monetam, ad augendum modo licet cum ſubditorum detrimento, ærarium Principis. Id quod principiis Status Anglicani ex aſſe contrariatur. „ Di-„ vitiæ enim ſubditorum tempore neceſſitatis Princi-

 „ pem

(a) *Hic Libellus una cum aliis an. 1696 conjunctim publicatus eſt ſub titulo: Papiers touchant la Monnoie, l'interet & le Commerce.*

„ pem adjuvant, in ærariis vero aurum raro rubigine obducitur, ſed ab adulatoribus extrahitur „.

Eodem anno MDCXCV. *Dn. Lockius* Librum emiſit in lingua Anglicana inſcriptum: *the Reaſonableneſs of Chriſtianity* (*a*), in quo oſtendit, nihil Religione Chriſtiana, qualis in Scriptura ſacra invenitur, eſſe rationabilius.

Huic libro ſeſe oppoſuit Theologus quidam acutus & inconſideratus in *Anglia* (*b*), cui *Lockius* tam fortiter an. MDCXCVI. reſpondit, ut ſperandum fuiſſet, adverſarium ejus publicam reparationem famæ *Lockio* eſſe præſtiturum; dummodo tale genus hominum ſpeciem quandam pudoris & æquitatis poſſideret. *Dn. Bold*, Miniſter *Steeplenſis* in Dorſetia, duobus ſermonibus an. 1697. editis *Lockium* defendit,

(a) *Chriſtianiſmus rationabilis prima vice Anglice an* 1695. *poſtea* Gallice 1696. *Amſtelodami editus eſt. Habet hoc Gallica verſio ſingulare, quod in capita ſit diviſa.*

(b) *Altera editio* Chriſtianiſmi rationabilis *Anglice una cum reſponſionibus adverſus Anglicum quendam Theologum an.* 1696. *comparuit. Nomen hujus Theologi Eduardus eſt, & puto eundem fuiſſe, qui Clerico ejuſque editioni Hammondi objectiones movit. Ita enim* Clericus in Epiſtola ad Danielem Witbyum T. IV. Bibl. Sel. p. 406. *ſcribit*: Johannem Eduardum, cui merito obduratam & pertinacem iniquitatem exprobrare poſſum: cum omnes ejus objectiones diluerim in Epiſtola de Hammondo & Critica, quæ quidem reſponſione non omnino indignæ videbantur, nec eo ſecius virulentum ſtylum in me ſtrinxerit. *Quicquid autem ſit, ſufficit, Lockium novas ab Eduardo accepiſſe objectiones, quibus an.* 1697. *ſatisfecit. Et hec nova reſponſio Amſtelodami* 1703. *in* 8. *Gallice impreſſa eſt, de qua pluribus egit Clericus c. l. T II. p* 284. *ſeqq. Limburgii de hocce Libro judicium inter Literas familiares Lockii conſpicitur, quod eo minus partialitatis accuſandum, quoniam Lockius erga Limburgium nomen ſuum tacuit. Aliorum in Lockium emiſſa fulgura ut taceam, unicum ſaltem Librum ſub nomine illuminati Petri Poireti an.* 1701. *Amſtelodami in* 8. *publicatum titulo tenus adducam: Fides & Ratio collatæ ac ſuo utraque loco redditæ adverſus principia Johannis Lockii. Verum auctorem hujus libri celebrem Germanum nominans.*

dit, licet ignotus ipſi eſſet, & ipſe *Lockius* ſecundam reſponſionem eodem anno emiſit.

Paulo ante *Londini* librum impreſſerunt hoc titulo; *Chriſtianiſmus non myſterioſus* (a), in quo auctor monſtrare voluit, *nihil in Religione chriſtiana reperiri non ſolum Rationi non contrarium, ſed nec ſupra Rationem*. Dum vero oſtendere voluit, quid ſit Ratio, ratiocinationes quaſdam adhibuit *Lockii* cogitationibus in Libro *de Intellectu humano* ſimillimas. Accidit quoque, ut Unitarii quidam in Anglia Libellos quoſdam ederent, in quibus multa de Ratione ejuſque oppoſitis loquuti erant, & inter alia quod nihil Rationi adverſum in Chriſtianiſmo reperiatur. *Dn. Lockius* quoque rationabiliter defenderat, nihil eſſe in revelatione, quod notionibus certis Rationis contrarietur. „ Ratio & Revelatio duo lumina ſunt „ a ſapientia ſumma hominibus accenſa, quæ ſine „ mutationis accuſatione contraria eſſe nequeunt „.

Hæc omnia conjunctim ſumta defunctum Epiſcopum Worceſtrienſem *Dn. Stillingfleetium* permoverunt, ut *Lockium* in defenſione, quam adverſus illos homines de Doctrina de Trinitate anno 1697. emiſit, conjungeret. In illo Libro & quidem capite decimo cogitationes quaſdam *Dn. Lockii* de cognitione ſubſtantiarum aliaſque refutat, timore malo fundato ductus, ac ſi iſtæ cogitationes hæreticam ſaperent pravitatem.

Dn. Lockius ſtatim reſpondebat, & *Dn. Stillingfleet* eodem anno quædam regeſſit. Hanc replicam alia Epiſtola *Dn. Lockius* rejecit, quare eruditus ille Epiſcopus an 1698. nova dubia oppoſuit, quæ an. 1699. tertia *Lockii* reſponſio ſuſtulit. Tractat ibidem prolixe nimis *de Certitudine rationis & idearum*, *de Certitudine fidei*, *de reſurrectione cum eodem corpore*, *de immaterialitate animæ*, & *probat*, quod principia ſua optime conveniant fidei, neutiquam vero, prout *Stil-*

(a) *Auctor hujus libri Johannes Tolandus.*

Stillingfleetius judicavit, Scepticiſmum ſapiant. Brevi poſt mors Epiſcopi litem finiit. „ Quando duo eru„ diti invicem pugnant, nunquam argumenta deſunt, „ quibus ſententiam ſuam palliare poſſunt. Et licet „ unus ex illis infirmitatem ſentiat, veneratio tamen „ impetrata pertinacem potius defenſionem quam ra„ tionabilem erroris agnitionem ſuadet.

Duas res in hac controverſia *Joh. Clericus* obſervat (*a*), una objectum ipſum concernit, altera modum tractandi. Admiratur in *Lockio* ſoliditatem doctrinæ, pulchritudinem & exactitudinem tam in explicatione propriarum, quam in explanatione cogitationum adverſarii. Admiratur, quod homo tam eruditus ut *Dn. Stillingfleet* ſe immiſcuerit diſputationi, ubi ex omni parte periclitabatur; quoniam nec cogitationes adverſarii ſui, nec rem ipſam intellexit, nec in ſtatu defenſionis fuit. Illuſtris ille Præſul vitam ſuam principaliter in ſtudio antiquitatum eccleſiaſticarum & lectione multorum librorum conſumſit; parum vero in Philoſophicis intellexit, nec aſſuetus erat exacte cogitandi & ſcribendi, in quo tamen *Lockii* vires conſiſtebant. Nihilo minus excellentiſſimus ille Philoſophus, quamcumque etiam in hac diſputatione prærogativam & cauſam ſeſe conquerendi habuerit, cum *Stillingfleetius* injuſte & ſine cauſæ cognitione aggreſſus erat, nunquam tamen ſuperioritate ſua abuſus eſt, ſemperque adverſarii ſui nævos lenitate & reſpectu excepit. „ Magnum „ ſane illi non nocere, qui nobis nocere laborat, „ præſertim ſi in poteſtate noſtra poſitum eſt „. Certum quidem, illum aperire, quod rem non intelligat & parum exacte ſeſe exprimat; ſed monſtrat potius propriis ipſius verbis, quam ut exprobret, & tam accurate characterem Ironicum, qui in ejus reſponſis regnat, obſervat, ut non niſi ipſam materiam intelligens jocum invenire poſſit. Addo, me nun-

(a) *Vid. Clerc Bibl. choiſie T. VI. p. 391. ſeqq.*

nunquam diſputationem legiſſe, in qua ab una parte tantum æquanimitate, arte, & prudentia, ab altera modo tam injuſto, perturbate, & ſine auctoris honore res peracta ſit.

Miratur quoque *Clericus* cenſuram *Stillingfleetii* de Dno *Curcellæo* (a), & quomodo in *cap. VI.* ſuæ defenſionis refutationem ejus tam facilem ſibi imaginatus ſit. Addendum quidem, quod cum ratione *Curcellæum* reprehenderit, dum citando locum *S. Hilarii* ex Libro ejus de *Synodis* (b) credidit, quod cum Epiſcopis Galliæ & Germaniæ loquatur, cum tamen ad Orientales verba faciat. Sed agnoſcendum quoque eum mentem *Hilarii* in diſſertatione *de Trinitate* fideliter expoſuiſſe. Dn. *Stillingfleetius* non attente ſatis Librum* *S. Hilarii* perlegerat. Nullus enim fere liber eſt, ex quo clarius probari poſſet, Orthodoxos illius ſeculi unum DEUM in ſpecie & trinum in numeris crediediſſe. Explicat *S. Hilarius* in loco quodam non procul ab illo diſſito, propter quem *Dn. Stillingfleet Curcellæum* magnæ negligentiæ accuſat, quomodo dici poſſet Patrem & Filium habere eſſentiam eandem, uti Semi-Ariani loquebantur (c): *Caret igitur, fratres, ſimilitudo naturæ contumeliæ ſuſpicione; nec poteſt videri filius idcirco in proprietate paternæ naturæ non eſſe, quia ſimilis eſt, cum ſimilitudo nulla ſit, niſi ex æqualitate naturæ; æqualitas autem naturæ non poteſt eſſe, niſi una ſit; una vero non perſonæ* (d) *unitate, ſed generis*. Parum attentus eſſet, qui non com-

(a) *Stephanus Curcellæus Genevenſis natus an.* 1586. *magnus inter Remonſtrantes Theologus. Poſt obitum enim Epiſcopii an.* 1634. *Profeſſionem Theologicam in Gymnaſio Remonſtrantium Amſtelodamenſi obtinuit & obiit* 1659. *Opera conjunctim edidit Limburgius an.* 1675. Vid. Buddei Lexic. Univerſ. *Immiſcet vero Joh Clericus ejus defenſionem, quia frater fuit aviæ Clerici.*

(b) *Num.* 81. *edit. Bened.*

(c) *Num.* 76. *Edit. Bened.*

(d) *Per* perſonæ *intelligi debet ſubſtantia non modus, quem Perſonalitatem appellant.*

comprehenderet, quod ſuppoſita unitate naturæ divinæ numerica, non poſſet dici naturam Filii eſſe ſimilem vel æqualem Patris, ſed quod ita loqui liceat, ſi ſunt unus in ſpecie aut in genere, prout *S. Hilarius* dicit (*). Eadem res clariſſime ex Libris ejus de Trinitate oſtendi poſſet. Si *Dn. Stillingfleet S. Hilarium* ſolum attente & abſque præjudicio examinaſſet, *Curcellæum* rationem habuiſſe affirmaſſet; nec ob exiguum incidens, quoniam in fundamento veritatem de doctrina Patrum aperit, egreſſus fuiſſet.

Ad *Lockium* ut revertamur, mirandum eſt, quod in ætate tam provecta, & ſanitate admodum fragili tantos labores ſuſtinere potuerit, præſertim quia ex pectore laborabat. Maximam autem hujus mali gravitatem anno MDCXCVII ſenſit, cum *Londinum* tempore frigido proficiſci cogeretur, quia Rex cum illo colloqui optabat. Tunc enim per tres dies inſomnis vixit *Londini*, & ad *Clericum* ſcripſit, ſe recidiſſe in veram Orthopnœam. Reverſus quidem ad *Mashamum*, ſed tam miſerabiliter, ut nunquam poſtea penitus reſtitui poſſet. „ Deſiderium Regum mandati „ inſtar eſt, cujus contemtus magnam minatur infe„ licitatem. Nihilo minus obſervantia ejus interdum „ cum vitæ periculo conjuncta eſt. Quoniam vero „ poſterius incertius quam prius, ad hoc potius quam „ ad illud reſpiciendum „.

Affirmat *Lockius*, Regem ipſum Aſthmaticum fuiſſe, & quoniam de capacitate *Lockii* certior factus erat, optaſſe, ut de incommoditate ſua colloqui cum illo poſſit. Suadebat Regi, ut vino & cruda carne abſtineret. Nihil tamen Rex ipſe de vivendi genere priori mutavit; licet erga quoſdam ſibi proximos benevolentiam in *Lockium* teſtaretur. „ Homines eo „ adacti, ut errores ſuos agnoſcant, rariſſime tamen „ conſilia intellectus ſequuntur, ſed pravas voluntatis cupiditates ex naturæ inſtinctu eligunt. Id quod „ diſ-

(*) *Art. 15. edit. Benedictinorum.*

„ diſcrimen quidem hominis a beſtiis, non vero præeminentiam oſtentat „.

Annos quoſdam ante obitum ſuum *Dn. Lockius* ſtudiis Scripturæ ſacræ unice conſecravit, tantamque exinde percepit voluptatem, ut ipſum pœniteret, quod non citius hiſce meditationibus operam impendiſſet. „ Pauciſſimi Politicorum de Sacra Scriptura „ cogitant, nedum ut ejus indagationi incumbant. „ Chriſtum in ore gerunt, de intellectu autem Sa„ crorum Bibliorum aliorum ſententias amplectuntur „ & fide carbonaria ducuntur. Miſelli homines! qui „ ſana ratione rejecta gregis inſtar antecedentis ver„ vecis veſtigia premunt „.

Fructus hujus ſtudii *Dn. Lockius* omnium oculis expoſuit in Libro ſuo *de Chriſtianiſmo rationabili*, qui inter illos, quos hactenus de hac materia vidimus, primum occupat locum. „ *Paraphraſes ejus* „ *in Epiſtolas Pauli* (a) poſt obitum *Lockii* impreſ„ ſæ, teſtimonium omni exceptione majus exhibent, „ quod

---

(a) *Lockius vivens labores ſuos in Epiſtolas Pauli prælo ſubjecit; vix autem folia quædam Paraphraſis & notarum in Epiſtolam ad Galatas impreſſa erant, cum vivere deſineret. Factum igitur, ut dicta Paraphraſis demum a. 1705. Londini in 4. ad perfectionem perveniret. Excipiebant illam a. 1706. Paraphraſes & Notæ in priorem & poſteriorem Epiſtolam ad Corinthios. Tandem denique an. 1707. Paraphraſes & Notæ in Epiſtolas ad Romanos & Epheſios ſequebantur. Præmiſſa præfatio Regulas & methodum, quibus in Explicationibus Pauli uſus ſit, monſtrat, & judicat Clericus Biblioth. Selectæ Tomo XIII. pag. 37. ſeq. hocce proœmium non abſque ſingulari utilitate perlegi poſſe. Rationem ſi quæris, cur iſtæ Paraphraſes dicto ordine impreſſæ ſint? Scias oportet, Lockium in ea fuiſſe opinione, omnes Pauli Epiſtolas uno eodemque tempore anno LVII. poſt Chriſtum natum ſcriptas eſſe; licet Uſſerius & alii diſcrepent. Vid. Boeclerus in Hiſt. Univerſ. IV. poſt Chr. Sec. pag 12 Joh. Alb. Fabricius in Bibl. Gr. l IV. c. 5. p. 152 ſeq Lockius, ut connexionem Apoſtoli & primum ejus in unaquaque Epiſtola ſcopum aperiret. Nec infeliciter quæ enim fundamentalis linguarum Originalium ignorantia denegabat, id interpretum collatione & judicii acumine compenſavit.*

„ quod inquiſitio ipſius textus Originalis unicum fi-
„ lum ſit, quo mediante ex labyrintho hæreſum ja-
„ nua aperiatur.

Uno ante mortem anno in tantam incidit infirmitatem, ut nihil ſerio agere, imo ne literas quidem ad amicum abſque laboribus ſcribere poſſet. Antea enim omnia manu propria confecit, nec dictando aſſuetus amanuenſi ſe conſolari valebat. Corpore vero licet infirmo oneratus, nunquam tamen animus ejus mutabatur, & ſi Aſthma loquelam permiſiſſet, ſemper idem in converſando fuiſſet. „ Cum alias ſe-
„ nectus nihil aliud ſit quam receptaculum deſidiæ
„ & ſedes faſtidii omnium hominum „.

Paucis ante mortem ſeptimanis vitæ ſibi prædixit finem, ratione tamen utebatur firma, & ſi quis contriſtationem ea de cauſa teſtaretur, reſpondit: *Vivimus quamdiu vivimus*. „ Optimum appropinquan-
„ te ultima hora ſolatium in eo conſiſtit, ut inevi-
„ tabilem naturæ legem in animum revocemus.
„ Æquo enim animo fertur, quicquid corrigere eſt
„ nefas, & expectatio mortis horrorem minuit „.

Studium Scripturæ ſacræ vivam & maxime ſinceram, ab omni tamen affectatione remotam, in *Lockio* produxit pietatem. Et quia per longum tempus eccleſiam viſitare non potuerat, utile duxit, ut ſeptimanis quibuſdam ante mortem in domo ſua pro more Anglicano Sacram cœnam ſumeret, una cum duobus amicorum ſuorum. Miniſtro officio ſuo functo, *Lockius* ad illum dixit: *Quod perfectam charitatem erga omnes homines & unionem ſinceram cum eccleſia Jeſu Chriſti, quocumque etiam nomine appelletur, foveat*. Majori pollebat judicio, quam ut Communionem pro ſymbolo ſchiſmatis & diviſionis cum hominibus male informatis ſumeret; qui dum in Eccleſia ſua Communionem celebrant, omnes reliquas Societates Chriſtianas damnant. Certiſſimus de Sapientia divina quoad ſalutem humanam, exclamavit: *O profunditatem divitiarum ſapientiæ & cognitionis divinæ*

vinæ ! Perſuaſiſſimus erat, eos hanc veritatem comprehendere, qui Scripturam abſque præjudicio legerent, & ea de cauſa circa finem vitæ ſuæ ſæpius illos, quibuscum loquebatur, adhortatus eſt. Applicatio ad lectionem Scripturæ nobiliorem & excellentiorem de Religione chriſtiana ideam illi indiderat, quam antea poſſidebat. Et ſi vires ad novos libros conſcribendos ſuffeciſſent, certum eſt, eum compoſuiſſe librum, quo ſublimem iſtam ideam aliorum animis imprimere poſſet. „ Tota enim ejus vita „ oſtendit, quod utilitati proximi unice litaverit, „ nec inter illos numerandus ſit, qui invidia pulſi „ aliis invident, quæ forte invenerunt „.

Per aliquot ſeptimanas per domum in ſella ſedens circumferebatur, quia ambulare amplius non poterat. Domina vero *Mashamia*, cum an. MDCCIV. die 27. Octobris *Lockium* viſitaret, non in Muſæo more conſueto, ſed lecto affixum reperiebat. Cum ea de cauſa conſternata appareret, reſpondit *Lockius*, quod in lecto permanere velit, quoniam die præterito ſurgendo omnes fere amiſiſſet vires, & quod neſciat, an unquam ſurrecturus ſit. Iſta die nihil prandebat, & finito prandio ſocii illi offerebant, quod ad ſpirituum excitationem aliquid legere vellent, ſed recuſavit *Dn. Lockius*. Hoc tamen non obſtante, chartas quaſdam adſportavit quidam, quarum contenta ſcire voluit; voti compos factus, dixit: *quæ agere debuiſſet facta eſſe, & quod eapropter grates DEO perſolvat*. His auditis omnes ad lectum appropinquabant, & addidit *Lockius*, *ut ejus in precibus veſpertinis meminiſſent*. Regeſſerunt adſtantes, ſi libitum eſſet, ut tota familia in ejus camera DEUM invocare deberet, quod approbavit. „ Preces juſtorum multum poſſunt, ſi quando ex intimis cordium penetralibus effunduntur; magis placatur Deus, quando „ conjunctis viribus ſanctæ elevantur manus „.

Quærebant porro *Lockium*, an putaret, quod morti eſſet vicinus? regeſſit; *Fortaſſe ſequenti nocte*

vel

vel ad minimum intra tres aut quatuor dies moriar. Poſtea ſudor frigidus illum invaſit, ſed mox vires recolligebat. Tunc paululum cereviſiæ fortis Brunſuicenſis, quam Moum vocant, ei obtulerunt, quoniam ante ſeptimanam valde ea delectabatur, & hanc cereviſiam minime omnium nocivam inter fortes cereviſias judicabat. Cochlearia quædam ſumſit & in ſanitatem Societatis ebibit, additis verbis: *Vobis omnibus proſpera quæque abiturus apprecor*. Reliquis abeuntibus ſola Domina *Mashamia* lecto ejus aſſedit, *quam exhortatus eſt, ut hunc mundum ſaltem tanquam ſtatum præparationis ad meliorem conſideraret*; addidit, *ſe DEO gratias perſolvere, quod tamdiu vixerit vitamque feliciter tranſegerit; nihilo minus hanc vitam nil niſi vanitatem eſſe*. „ Adveniente hora ultima ſe ipſum conſolari poſſe ratum eſt; multo „ magis mirandum, infelicitatem ſuam felicitatem „ judicare; omnium rariſſimum in ipſa felicitate „ vanitatem ſapere „. Poſt cœnam tota familia in cameram ejus aſcendit, ut DEUM invocaret, & poſt horam undecimam paulo melior apparebat. Nolebat vero permittere, ut *Dn. Mashamia* vigilaret ad multam noctem, & dixit, quod fortaſſe ſomnum caperet, aut ſi aliquid humani pateretur, protinus ei nunciare vellet. Inſomnem duxit noctem, ſequenti tamen die pro more conſueto ſurgere voluit. Portarunt itaque in muſæum, ſellæque impoſuerunt, ubi diu, multis tamen expergefactionibus mixtis, dormivit. „ Hic ultimus quaſi aſpectus fuit, quo mun„ do valedixit „. Tandem deſideravit, ut ſecundum morem conſuetum induerent, petiitque levem cereviſiam, quam rariſſime guſtavit. Poſtea Dominam *Mashamiam* in Pſalterio legentem rogavit, ut fortius legeret, dum indueretur. Petitis annuit, & *Dn. Lockius* maxime attentus videbatur, donec adventus mortis impediret. Oravit tunc temporis illam Dominam, ne amplius legeret, paucisque minutis abſolutis exſpiravit die *XXVIII. Octobris* ſtylo veteri

teri *a. MDCCIV.* hora tertia pomeridiana *ætatis anno ſeptuageſimo tertio*. Sic quidam excellentiſſimorum noſtri temporis Philoſophorum moriebatur, qui poſtquam fere omnes Philoſophiæ partes penetravit, ejuſque myſteria abſcondita ſingulari judicio & exactitudine aperuit, animum ſuum feliciſſime ad religionem Chriſtianam vertit; quam in ipſo fonte eadem libertate, qua alias ſcientias examinavit, & quam adeo rationabilem & gratam invenit, ut reliquum vitæ eidem conſecraret, aliiſque magnam exiſtimationem inſpirare allaboraret. Non immiſcuit melancholiam aut ſuperſtitionem, uti illis accidit, qui ex mœrore ad devotionem pervenerunt. Idem lumen, quod illum in ſtudiis philoſophicis duxerat, duxit quoque in ſtudio Novi Teſtamenti, & in corde ejus maxime rationabilem excitavit pietatem, dignam illo, qui rationem nobis dedit, ut cum fructu revelationem adhibeamus; & cujus revelata voluntas requirit, ut ſana ratione ad ejus cognitionem, admirationem & obſequium utamur.

Non opus eſt, ut hic elogium *Dn. Lockii* conſcribam & de ejus judicio, penetratione & juſtitia verba faciam; Opera ejus in pluribus linguis translata æternum horum omnium exhibent monumentum. Addam ſaltem ejus effigiem a perſona illuſtri *Lockio* quæ notiſſima confectam (*a*).

Erat *Lockius* profundus Philoſophus, & homo ad maxima negotia capax. Multum cognitionis bonarum artium, mores civiles & attrahentes poſſidebat. Omnes fere humano generi utiles res cognitas habebat, & quæ ſtuduerat, fundamentaliter intellexit; hoc tamen non obſtante, non majorem de ſe ipſo alebat opinionem. Nemo eo ad diſcendum promtior fuit, nec offendebatur, quando aliquis aſſenſum denegabat.

(a) *Domina Mashamia uxor Franciſci Mashamii equitis Anglicani, filia eruditiſſimi Roberti Cudworthii, quæ an. 1708. obiit, hujus deſcriptionis auctor eſt.*

Datur tamen genus hominum rixatorum, quod licet ſæpius refutatum crambem toties coctam apponere ſolet. Non poterat ejuſmodi homines tolerare, & interdum cum vehementia quadam de illis loquebatur; ſed primus quoque erat, qui animi levitatem hac in parte agnoſceret.

Tam in rebus hujus vitæ levioribus, quam in opinionibus ſpeculativis paratiſſimus erat, ut eum, qui ratione utebatur, ſequeretur. Fidelis veritatis ſervus aut ſi mavis mancipium extitit, quam nunquam rejecit, ſed propter ſeipſam amavit.

Illis, qui mediocri ratiocinatione præditi erant, ſe accommodavit, & cum illis diſputans, non rationum pondera adverſus ſeipſum diminuit, licet haud optime expreſſa. Converſatione cujuſcunque generis hominum delectabatur, & ex eorum lumine proficeri volebat; id quod non ſolum ex optima ejus educatione, ſed ex opinione, quod nemo reperiatur, a quo non aliquid boni diſcendum ſit, oriebatur. Tot quoque res ad artes, & negotia ſpectantes didicerat, ac ſi ſpeciale ſtudium illis impendiſſet, & profeſſores harum rerum ſæpius cum utilitate illum conſulebant.

Si quid fuit, quod tolerare non potuit, pravæ conſuetudines huc advocandæ ſunt; quoniam videbat, eas non ex experientia exigua, ſed ex ambitione, elatione, naturæ malignitate, ſtupiditate brutali & aliis vitiis ſimilibus ortum ducere. Alias neminem contemſit, qui externa facie indecora præditus erat. Civilitatem non ſolum ut rem gratam & ad corda hominum convincenda aptam, ſed tanquam debitum chriſtianiſmi, quod magis ſolito urgeri deberet, conſideravit. Ea occaſione Tractatum Dominorum *de Port-royal*: *de mediis pacem inter homines conſervandi* commendavit, & ſermones Domini *Wichkot* Doctoris Theologiæ, quos de hac materia audivit, & poſtea impreſſi ſunt, approbavit.

Converſationes ejus omnibus, etiam ſexui ſequiori gra-

gratæ fuerunt, & nemo magis ab hominibus illuſtribus æſtimabatur. Nec melancholicus erat, & ſicuti converſationes cum hominibus optime educatis ordinarie liberiores minuſque formalitatibus circumſcriptæ ſunt; *Dn. Lockius*, ſi natura hocce talentum denegaſſet, ex converſatione cum illis acquiſiviſſet. Et hæc eum tanto gratiorem fecerunt, quo minus illi, qui eum non noverant, hos mores in homine ita ſtudiis dedito expectabant. Qui commercium cum *Lockio* inſtituebant, ut ab eo addiſcerent, quod ab homine ſuorum ſtudiorum diſcendum erat, & cum reſpectu eum adibant, mirabantur, quod non ſolum mores hominis optime nati, ſed quoque omnis gratitudo reperirentur.

Sæpius erga jocos locutus eſt, qui optimum & periculoſiſſimum in converſatione exiſtunt, ſi immoderati compareant. Omnium optime jocari poterat; nihil vero offenſivum aut præjudicabile loquebatur. Omnia moderari & grate flectere noverat. Jocos cum amicis de rebus parvi momenti, & quorum cognitio ipſis uſui erat, inſtituit. Singulari civilitate inſtructus etiam jocis indulgens, certiſſimus quis eſſe poterat, quod rem gratam adderet. Nunquam vero vitium deriſit naturale.

Erga pauperes admodum benevolus fuit, dummodo pigritiam contemnerent, nec libertini eſſent, qui templa ſpernunt, vel diem dominicum in popinis celebrant. Maxime pietatem erga illos exercuit, qui in juventute laboribus vacantes, in ſenectute pauperes facti erant. *Non ſufficere*, dixit, *ut a fame illos liberemus*, *ſed ut quoque cum ſolatio vivant*. Quæſivit quoque occaſionem, ut mœrentibus prodeſſet, & ſæpius obambulando vicinos pauperes viſitavit, eorumque indigentiam ſublevavit; vel medicamenta, quæ præſcribebat, procuravit ægrotis medicoque deſtitutis.

Nolebat ut aliquid corrumperetur, quod aliis uſui eſſe poſſet, aut ut aliquid abjiceretur, niſi quod aliis inutile

 foret,

foret. Hoc ſecundum *Lockii* opinionem idem erat, ac bona ſua, quorum DEUS nos Oeconomos conſtituiſſet, dilapidare. Ordinis amans rationes exactas de omnibus confecit.

Si paſſioni cuidam ſubjectus fuit, iram illam dixeris; ſed per rationem ſibi ſubjecerat in tantum, ut rariſſime ſuccumberet. Perfectiſſime eam deriſit. Ad nihil eam prodeſſe dixit, neque ad educationem infantum neque ad ſervos in ordinem reducendos, quin potius omnem auctoritatem auferret. Erga famulos bonum ſe exhibuit, operamque dedit, ut cum hilaritate eos officii ſui admoneret.

Secretum ſibi concreditum non ſolum exactiſſime aſſervavit; ſed nihil quoque aliis nocivum aperuit, licet nihil de fide ſilentii additum eſſet. Verba ſua accuratiſſime obſervavit, & quod promittebat, ſacrum fuit. Homines ſibi ignotos laudare non potuit, nec commendare, quos indignos commendatione judicavit. Si quis diceret, commendationem ejus abſque effectu fuiſſe, reſpondit: *Hoc exinde oritur, quod neminem defraudavi plura affirmando, quam cognovi*, addidit, *ut talem ſe gerat, qualem ſe profitetur, alias omnis ejus commendatio fruſtranea eſſet*.

Summa ejus voluptas in eo poſita fuit, ut cum hominibus ratione præditis colloqueretur, quorum converſationem inquiſivit. Omnes ad gratam amicitiam neceſſarias poſſidebat qualitates. Non luſit niſi ex decoro, licet ſæpius inter homines reperiretur, qui ludebant, nec male luderet. Alias nunquam auctor fuit, ut luſus inſtitueretur, & dicebat, *eſſe luſum ſaltem pro illis, qui converſationis carerent, ut tempus perderent*. In veſtitu decorus ſine affectatione & ſingularitate inceſſit.

Naturaliter laborioſus fuit, in quantum ſanitas illi permiſit. Interdum horto delectabatur, cujus culturæ haud ignarus erat. Obambulationem amavit, ſed incommoditas pectoris non permiſit, ut pedibus multum incederet, equitavit itaque poſt prandium, & quan-

quando motionem iſtam ferre amplius non poterat, curru uſus eſt. Semper converſationem ambivit. & in caſu neceſſitatis infantibus bene educatis delectatus eſt.

Infirmitas valetudinis nemini niſi ipſi incommoditatem creavit, nec dolores oſtendit, niſi quod ſufferre voluit. Nutrimentum ejus idem cum aliis fuit, niſi quod ordinarie aquam biberet, cui vitæ longævitatem adſcripſit ſanitate admodum fragili præditus. Eidem cauſæ conſervationem oculorum tribuit, qui circa vitæ finem parum imminuti erant; omnis enim generis libros ad candelam legere potuit niſi minutiſſimis literis conſcriptos, nec unquam ſpicillo uſus fuit. Non alio morbo quam Aſthmate afficiebatur, niſi quod quarto ante mortem anno ſurditate laboraverit; ſed hæc incommoditas ſaltem per dimidium anni duravit. Quoniam vero hoc modo converſationis commodo privatus vivebat, neſcivit, meliuſne eſſet, cæcum an ſurdaſtrum agere. Incommoditates tamen ſuas patientiſſime tulit.

En effigiem magni hujus Viri abſque adulatione ex ejus naturali conſtitutione confectam. Vellem, ut in mea poſitum eſſet poteſtate, non ſolum memoriam ejus æternam faciendi, ſed quoque intellectum ejus, ducendo eruditos ad veritatis inveſtigationem, amorem & defenſionem. Sed hoc lectio Librorum *Lockii* melius præſtabit, quam omnia mea encomia omneſque exhortationes. Imo ipſe Scriptum reliquit *de modis circa inveſtigationem veritatis obſervandis* (*a*).

(a) *Opera quædam Dn. Lockii poſthuma Londini anno 1706. in 8 Anglice impreſſa ſunt. Quorundam jam mentio paſſim injecta fuit, quædam vero incognita hactenus fuerunt. Sex partes comprehendunt: 1. Obſervationes quædam de rationis in veritatis inveſtigatione modis reperiuntur, quæ dignæ omnino fuerunt, ut lucem aſpicerent, licet Lockius morte impeditus pleniſſimam elaborationem adhibere non potuerit. 2. Examen Opinionis P. Malebran-*

Addam ſaltem, libros quoſdam *Lockio* adſcriptos eſſe, quorum auctor non eſt, & quod in relicta quadam ſchedula libros, quos ſuppreſſo nomine edidit, agnoverit. Male exempli gratia illi tribuitur Tractatus Anglice conſcriptus *de Amore divino* (*a*), quem Perſona maximorum meritorum haud incognita *Lockio* elaboravit.

Concluſionis loco Epitaphium *Lockii* ab illo ipſo confectum a *Clerico* vero in Elogio Dn. *Lockii* omiſſum, communicamus; ne mutila & manca hæcce vitæ deſcriptio lucem adſpiciat. Debemus illud operibus poſthumis *Lockii* a *Fritſchio* Gallice an. 1710. editis. Tenor vero talis eſt:

HIC

---

branchii: quod in DEO omnia reperiantur. 3. Sermo de Miraculis, quæ Lockius ita depingit, quod aliquid ſint ſupra captum Spectatoris poſitum, & tanquam divinum conſideratum. 4 Particula quartæ Epiſtolæ de Tolerantia. Non ea animum Lockii obſedit opinio, ac ſi homines ad Religionem veram cogendi ſint. Immoderatus Theologus Eduardus, de quo jam ſupra quædam dicta, poſt duodecim annos tertiam Lockii epiſtolam refutare voluit; dum vero loca quædam, aliis rebus poſthabitis, perſtringeret, Lockius in quarta hac Epiſtola merito illum perſtrinxit. 5. Pars Vitæ Comitis de Shafteſbury; de qua antea. 6. Methodus Extractus & LL. Communes conficiendi; de qua etiam ſuperius actum. Hoſce tractatus conjunctim una cum elogio Lockii ex Clerici Bibl. Selecta Amſtelodami impenſis Friſchii & Bohmii an. 1710. in 12. Gallice impreſſos eſſe, notandum venit.

(a) *Meliori jure adſcribitur liber* de Amore divino *Dominæ* Mashamiæ, *de qua nota* a pag.65. *quædam inſperſimus. Gallice verſus eſt a* Dn. Coſteo *an.* 1705. *in* 12. *Amſtelodami impreſſus. Adverſus* P. Malebranchium *& Theologum quendam Anglicanum* Dn. Norriſium *directus eſt, qui putarunt, nullam creaturam amandam aut ad minimum deſiderio proſequendam eſſe, ſed ſolum DEUM; quia DEUS ex eorum opinione omnia immediate in noſmet agit, nulla vero creatura in ſe vel mærorem vel gaudium nobis creare poteſt.* Vid. Clerc Bibl. choiſie T. VII. p. 383. ſeq. *Falſo quoque Lockium pro auctore Libri* de Religione hominis honeſti, qui Profeſſionem Theologicam non ſequitur, *venditant. Confitetur enim* Molinæus *in Literis* Lockium, *Anglum quendam nomine* Eduardum *Synge illum elaboraviſſe. Vid. Clerc l. c. T. XVII. p.* 237.

HIC JUXTA SITUS EST

JOHANNES LOCKIUS.

SI QUALIS FUERIT, ROGAS?

MEDIOCRITATE SUA CONTENTUM

SE VIXISSE RESPONDET.

LITERIS INNUTRITUS EOUSQUE

TANTUM PROFECIT,

UT VERITATI UNICE LITARET;

HOC EX SCRIPTIS ILLIUS DISCE.

QUÆ QUOD DE EO RELIQUUM EST,

MAJORI FIDE TIBI EXHIBEBUNT,

QUAM EPITAPHII SUSPECTA ELOGIA,

VIRTUTES SI QUAS HABUIT
MINORES SANE QUAM SIBI LAUDE
DUGERET
TIBI IN EXEMPLUM PROPONERET;
VITIA UNA SEPELIANTUR.
MORUM EXEMPLA SI QUÆRAS;
IN EVANGELIO HABES,
VITIORUM UTINAM NUSQUAM!
MORTALITATIS CERTE (QUOD PROSIT)
HIC ET UBIQUE.
NATUM ANNO DOMINI MDCXXXII.
MORTUUM XXVIII. OCTOBRIS MDCCIV.
MEMORAT HÆC TABELLA
BREVI ET IPSA INTERITURA.

CO

TENTAMEN PHILOSOPHICUM DE INTELLECTU HUMANO.

INTRODUCTIO.

§. I.

Inveſtigatio Intellectus jucunda & utilis.

CUM intellectui omne id tribuendum ſit, quod genus humanum reliquis antecellat animantibus, quodque præſtantiores præ iis naturæ dotes, atque adeo quandam imperii in illa ſpeciem teneat (*); certiſſimum eſt, illum materiem nobis ſuppeditare, in qua, ob dignitatis ſuæ præſtantiam, operæ pretium erit, ſtudium collocare. Intellectus, oculorum inſtar, in cauſa eſt, cur reliqua omnia intueamur & percipiamus, ſed aciem ſuam in ſe ipſe non intendit: atque arte & ſolertia opus eſt, ut ipſe quaſi ad diſtan-

(*) Eorum omnium quæ ſine nomine ullius Auctoris in notis extant, auctor eſt Johannes Leonardus Marugj; reliqua nomine proprio Auctoris ſignantur.

ſtantiam aliquam a ſemet ſiſti, & ita ſuarum contemplationum objectum fieri poſſit. Quocunque vero modo nos in hac inveſtigatione ingredienda impediamur, & quicquid demum id ſit, quod efficit, ut, quod ad noſtri ipſorum notitiam attinet, in tenebris & ignoratione verſemur, certiſſime tamen ſum perſuaſus, omne illud lumen, quod hujus indagationis beneficio in mente accendere noſtra poterimus, omnemque cognitionem, quam exinde de noſtro intellectu adipiſcemur, non ſolum maximæ nobis fore jucunditati, verum etiam ſingulari adjumento ad mentem noſtram in aliarum rerum inveſtigatione recte dirigendam.

§. II.

Conſilium ſcribendi.

Cum noſtri itaque inſtituti ſit, originem, evidentiam, & amplitudinem humanæ cognitionis indagare; nec non & fidei, opinionis, & aſſenſus fundamentum & cauſas, varioſque gradus perſcrutari, id quod aſſequi poſſumus per relationem ad diverſa ſubjecta, quæ ſe offerunt noſtro intellectui, haud ego in præſenti mentem *Phyſicè* (1) conſiderabo; nec mihi negotium faceſſam, diſquirendo, in quonam poſita ſit ejus eſſentia (2); vel quibus ſpirituum motibus

(1) Physicè, adnotetur. Negat Lockius, mentem eſſe ſubſtantiam incorpoream, ut inferius aperte ait.

(2) Eſſentia diſpeſcitur in *nominalem & realem*, appellant nominalem notionem rerum vocabulis expreſſam, *realem* id per quod res præciſe ſit hæc non alia, vel id, ope cujus res ab omnibus aliis ſimul exiſtentibus internoſcitur. Hinc eſt, quod eſſentia realis eſt poſita in indiviſibili eſſentialium, attributorumque unione, per conſequens male opinantur Carteſiani, eſſentiam eſſe conſtituendam in ſingulari rerum proprietate, e qua emanantur cæteræ. Res pluribus eſſentialibus conſtatur, ablata una qualitate, non eadem exurgit res. Lockius in Carteſiana ſententia hic loquitur, an recte, ſatis perpenderimus.

tibus, aut corporum alterationibus accidat, ut, ſenſus organis corporeis, *Ideæ* mentibus inſint; & utrum omnes iſtæ *Ideæ*, aut earum ſaltem nonnullæ, eo tempore, quo formantur, dependeant a materia, nec ne. Contemplationes iſtas, etſi delectationis jucunditatiſque pleniſſimas, miſſas nunc faciam, ut a noſtris hiſce inſtitutis alienas. Satis habeo in opere jam ſuſcepto, facultates animi, quæ rationis atque intelligentiæ ſunt participes, eatenus contemplari, quatenus circa ea, quæ ipſarum propria ſunt, objecta verſantur: neque in his cogitationibus fruſtra operam collocaturus videor, ſi hiſtorica facilique methodo potuero vias inveſtigare, quibus mens noſtra eas, quæ in nobis deprehenduntur, rerum notiones adipiſcatur: aut modos quoſvis tradere certitudinis noſtræ cognitionis, aut rationes ſententiarum exponere, quæ, quamvis valde diſcrepantes, & plane contradictoriæ in genere humano cernantur, earum tamen ſingulæ patronos alicubi reperiunt, qui illas amplexantur, atque aſſenſum ſuum tam confidenter venditant, ut ſi quis omnes opiniones, quæ hominum imbuerunt mentes, intueretur, ſi illarum animadverteret repugnantias, & ſecum cogitaret, quam avide homines iſtas amplectantur, & quam acriter de illis tuendis inter ſe digladiari ſoleant, haud immerito fortaſſe ſuſpicaretur, illud, quod *verum* dicitur, aut nuſquam inveniri, aut latere in occulto, nec hominibus idonea ſatis adjumenta ſuppetere, quibus cognitionem ejus aſſequi poſſint.

§. III.

§. III.

Methodus.

OPerte itaque pretium erit, fines & terminos, qui opinionem a ſcientia ſeparant inveſtigare (3): & inquirere, quibus obſervatis regulis gradus noſtræ opinionis in iis rebus, quarum cognitionem certam non habemus, rite moderari debeamus (4); in hunc finem hac ego Methodo utar (5).

Pri-

(3) Permagne confert ad inveſtigandas veritates, opinionem a ſcientia ſejungere. Opinio recte definitur per *propoſitionem inſufficienter probatam*, quatenus ex principiis non dum certis deducitur, non ita ſcientia: vocabulo SCIENTIÆ intelligimus *claram evidentemque cognitionem*; hanc cognitionem duplici modo comparamus, demonſtratione, & ſimplici intuitione; hæc habetur ſine ratiocinio: ſentio, me cogitare, affectibus agitari, voluptatem ſentire, eſt tum mihi clara, ac evidens cognitio, nec animi fallor, ſi aſſero, me ſcientiam habere hujuſmodi cogitationis, affectuum, voluptatis &c. Illa tantum ratiocinio acquiritur. Plura Theoremata nequeunt concipi ſine demonſtratione „ Aeris particulas continuo rapideque moveri motu rotationis „ „ Ejuſmodi particulas ita moventes ſe ad invicem repellere „ propoſitiones ſunt veræ ac evidentes, nihilominus ſi medias omitto ideas, earum veritates ignoro. Ergo vides, ad veritates inveſtigandas quam debeat conferre, opinionem a ſcientia ſejungere, fines, & terminos, quibus una removetur ab altera, perſpicere, atque ſtatuere. Si in meis ratiociniis, utor opinionibus, incerta eſt conſequentia, vel tantum probabilis, nam precariis incertiſque principiis eſt innixa, non ita ſi ex longa ſcientiarum ſerie erueretur.

(4) Etſi in nonnullis veritate certi ſimus, nec debeamus noſtris ratiociniis admitti quod ſatis perſpectum non ſit, ac evidens, attamen utplurimum meditari debemus de quibus nulla adſit certa cognitio, & per conſequens in opiniones neceſſario incidimus. En ratio, qua tam noſtræ, quam ceterorum opinionis gradus ponderare ac moderari debemus: ſi in exceſſum, credamus eos præcellere, præjudicio *nimiæ confidentiæ* nobis exorto, errores noſtro animo imprimamus, & a recto tramite ſeducimur.

(5) Hæc methodus in ſcholis methodus philoſophica dicitur; aptior in ſcientiis pertractandis, ſi religioſe obſervatur.

Primo, *Idearum* iſtarum, notionum, aut quocunque alio nomine eas appellare lubet, quas in mente ſe habere, homo ſibi conſcius eſt, originem inveſtigabo, modos etiam oſtendam, quibus ingens illarum apparatus intellectui ſuppeditatur.

Secundo, quæ ſit iſta cognitio, quam iſtarum idearum adminiculo intellectus adſequitur, quam certitudinem, qualem evidentiam, quos habeat terminos, explicare conabor.

Tertio, *Fidei*, aut *Opinionis* naturam & fundamenta exquiram: de iſto nunc *aſſenſu* loquor, per quem effato cuipiam, tanquam vero, aſſenſum præbemus, de cujus tamen veritate cognitionem certam non habemus; atque ita *aſſenſus* cauſas, rationes, varioſque gradus tractandi occaſio nobis oblata erit.

§. IV.

Metam ultimam intelligentiæ noſtræ ſcire utile eſt.

SI examinata ita, & inveſtigata *intellectus* natura, vires ipſius primarias exploratas habere potuero; quouſque nimirum pertigant; ad quem uſque gradum illæ nos poſſint juvare ad inveniendam veritatem; & in quibus ſtudia noſtra nihil valeant; magno arbitror uſui illud fore ad curioſa nimis & negotioſa hominum ingenia commonefacienda, ut, quæ ipſorum intelligentiam excedunt, ab iis inveſtigandis ſibi caveant; ut intra proprios terminos ſubſiſtant; nec ægre ferant, ſe res ignorare, quas cognitione acquiri non poſſe deprehendunt; quo bene obſervato, nos fortaſſe, ſcientiæ univerſalis laudem aucupantes, in diſceptantium arenam tam præcipites non daremus, neque noſmet aut alios novarum quæſtionum tricis ita torqueremus, de rebus nimirum diſputando, quas, cum

cum mentis noſtræ aciem effugiant (6), nequimus clare & diſtincte concipere, & quarum (ut ſæpiſſime accidit) nullæ omnino notiones in mentibus noſtris formatæ ſunt; ſi nos, eas res inveſtigantes, deprehendemus, quouſque lumen judicii noſtri penetrare poſſit, & in quantum vires ipſius *certæ* rerum *cognitioni* acquirendæ pares ſint, vel in quibus *opinionem* tantum aut *conjecturam* ſequi, neceſſum habeamus, æquum eſt, ut ea cognitione ſimus contenti, ad quam in hoc ſtatu pervenire datum eſt.

§. V.

---

(6) Quantum extenſio noſtræ cognitionis exigua ſit, & ratione idearum, judiciorum, ratiocinationumque breviſſima, ex idearum numero qui eſt rerum numero impar, ut & impar eſt idearum numero dijudicandi, ratiocinandique facultas, poteſt perbelle videri. Ratio humana arctiſſimos habet terminos: quam ob rem plures veritates effugiunt, quas, etſi optemus, nullo tamen modo poſſumus percipere ac invenire. Rudis, vel mathematicis ſcientiis imperitus, etſi tota facultate animæ applicet, nunquam has veritates: „ Æquilateri coni ſphæræ circumſcripti „ tota ſuperficies quadrupla ſit ſuperficiei totius coni inſcripti „ eidem ſphæræ. „ Angulum ſpecie præcognitum ex datis duo„ bus lateribus, & angulo uni eorum oppoſito invenire „ detegit, ac perſpicere queit. Ubi intermediæ deſunt ideæ vel præliminarium defectu ut ex allato exemplo conſtat, vel brevitate intellectus, quo nomine facultatem mentis inſignimus, nexum non percipimus, vel quia percipi nequit, ut ſi de noſtræ revelationis myſteriis diſceptabimus, tum nunquam metam optatam attingimus, nec finem obtinemus. Hinc eſt, quod in diſquirenda veritate, naturam, vires, terminos intellectus humani, vel quouſque pertingere queat, eſt nobis imprimis examinandum, alioquin in arenam præcipitanter deſcendimus, & ſine ſpe laboramus.

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

§. V.

Intelligentia noſtra vitæ ſorti accommodata eſt.

ETſi enim vires noſtri intellectus ingenti rerum hujus univerſitatis copia longe minores ſint; par eſt tamen, ut Deum, auctorem naturæ noſtræ ſempiternis laudibus extollamus ob intelligentiæ particulam iſtam (7), qua nos animantibus reliquis, terræ hujuſce incolis, præſtare voluit. Conſentaneum itaque eſt, ut homines eam, qua creati ſunt, conditionem æquo ferant animo; quandoquidem (ut Petrus Apoſtolus * ait) illis tribuit Deus Optimus maximus πάντα πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν, *omnia, quæ ad vitam & pietatem pertinent*; & non ſolum ea, quæ nos in hoc ſeculo beatos reddunt; verum viam etiam, per quam in meliorem vitam ingrediendum eſt, menti noſtræ commonſtravit. Utcunque vero vis cognitionis humanæ a perfecta rerum omnium comprehenſione abſit, felicitati tamen hominum in eo ſatis eſt proſpectum, quod lumine, abunde claro, ſint præditi, quo in ſummi creatoris notitiam duci, & officiorum, quibus ut fungantur, ſunt obſtricti, ſatis admoneri poſſunt. Ampla ſatis materies hominibus ſuppetit, in qua non ſine ſumma jucunditate, delectationiſque varietate, mentis & corporis vires exerceri poſſent, niſi de ſua ipſorum indole & naturæ fabrica queruli, quas in manibus habent, commoditates ideo abjicerent, quod res univerſas complexu ſuo comprehendere nequeunt. Haud opus eſſet, ut de mentis anguſtiis conquereremur, ſi modo in rebus utilibus cognoſcendis, quarum notitia a nobis acquiri poteſt, ſtudium noſtrum collocaremus: atque puerilis iſta erit pro-

(7) *Subſtantiam* potius. Vocabulum particulæ ad rem corpoream attinet: ſubſtantia nobis præeſt longe corpore nobilior, ut inferius diſceptabimus.

(*) Vid. 2. Petr. I. 3.

protervitas, minimeque nobis condonanda, ſi fructus cognitionis, quæ nobis ineſt, nihili habeamus, & eam ſecundum fines, ad quos accommodata eſt, excolere ideo aſpernemur, quod ſcilicet res plurimæ vires ejus excedant; fruſtraneum erit ignavo & petulanti ſervo, cui ad candelæ lumen penſum erat conficiendum, ſi ea uti excuſatione voluerit, quod ſibi radii ſolis haud affulſerint. Eadem eſt ratio, ſi id ad nos applicaverimus, dum negligimus, nobis inſervire eo lumine, quod Deus nobis indidit. Quæ intra nos accenſa eſt candela (*), ſat luminis ad omnes vitæ uſus mentibus noſtris præfert. Hujus adminiculo, quod perſpectum habemus, debet intellectui noſtro affatim ſatisfacere: & tunc quidem ſemper bonos ab eo fructus expectare poterimus, cum circa res objectas non verſamur, niſi quatenus facultatibus mentis aptæ & conſentaneæ ſunt; hoc enim modo & ex eo fundamento nobis proponantur, oportet; neque par eſt, ut demonſtrationis & *ſcientiæ* certitudo de rebus requiratur, quæ non niſi *probabiliter* ſciri poſſunt, nec etiam e re noſtra eſt, ut perfectius cognoſcantur. Si rebus omnibus fidem propterea abrogaremus, quod plurima longe ſupra vires & contentionem mentis noſtræ poſita ſint, illius imitaremur inertiam, qui, pedum adminiculo uti recuſans, deſidia & languore non alia de cauſa interiit, niſi quod indiguerit alis, quibus per aera volitaret (8).

§. VI.

(*) Prov. XX. 27.

(8) Optima comparatio, eleganterque expoſita. *De omnibus eſt dubitandum*, ſuis ajebat aſſeclis Carteſius: non dubitandum, vera eſſe poſſe, tantum eſſe ejuſmodi, quia ſic autumavit Ariſtoteles, cæterique boni nominis. En diſquiſitio veritatum. Turpe eſt dare fidem ea ſuper re, de qua noſmetipſi poſſumus cognitionem acquirere.

§. VI.

Notitia facultatum animi ad ſcepticiſmum & deſidiam remedium eſt.

CUm, vis quanta ſit animi noſtri, conſtet, facile videbimus, quid a nobis, bona cum ſucceſſus ſpe, ſuſcipi poſſit: & poſteaquam, mentis facultates acerrime contemplantes, quid ab illis expectandum ſit, judicavimus, haud ab omni ſpe derelicti, quaſi nihil omnino ſciri poſſet, procul ab omni ſtudio & labore deſides agemus; neque contra in dubium omnia vocantes, ſcientiam plane nullam eſſe ſtatuemus, quod res nonnullæ a nobis ſciri nequeant (9). Naucleri plurimum intereſt, bolidis ſuæ longitudinem ut perſpectam habeat, etiamſi maris altitudinem ubique attingere non poſſit. Scire ſufficit, nauticum illud perpendiculum ſatis eſſe longum, quod ad fundum maris in iis locis poſſit penetrare, in quibus curſus dirigendus eſt, & ubi a brevibus & ſyrtibus ipſi pericula imminent. Haud noſtra refert, in hujus ævi curriculo omnia ſcire, verum ea tantummodo, quæ ad vitæ emendationem ſtatumque noſtrum ſpectant. Si modum regulaſque invenerimus, quibus animal ratione præditum, in eo loco poſitum, quem homo in hujus vitæ ſtatu obtinet, ſententias ſuas, actioneſque ab iis dependentes, conformare moderarique poſſit & debeat, haud opus erit, nos de eo inquietos ſol-

(9) Male ergo Pyrrhonicis accenſent Lockium (*V. Doria in Met. propugn.*). Qui ita volunt, non ſatis noſtrum legerunt auctorem. Ipſe admonet, quod terminos a Deo conſtitutos non licentioſe proſiliamus. Nunquam, ut *Acatalepti*ci, *Epectici*, impugnavit nullum dari veritatis characterem, criterium, vel notam. Scripſit hoc Sextus Empiricus (*lib.* 1), Pyrrho Eleus (*V. Bal. Dict. art. Pyrrho*) cæterique, non Lockius. Inter doctiſſimos ergo hic meritiſſimus philoſophus eſt habendus potius, quam inter Pyrrhonicos.

licitoſque eſſe , quod quædam aliæ res vires cognitionis noſtræ ſuperent (10) .

§. VII.

Anſa & origo operis .

Hinc anſa & origo noſtri hujuſce *Tentaminis de Intellectu* . Ut variis enim diſquiſitionibus ſatis fieret , circa quas mens humana verſari geſtit , rerum ordinem tenenti , ante omnia neceſſarium fuiſſe cenſebam , intellectum humanum , quantum datur , introſpicere , perpendere vires ejus , & quibus rebus percipiendis idoneæ ſint , diligenter exquirere ; ſecus facientes præpoſtera uti methodo credebam , fruſtraque nos conari animum explere noſtrum tranquilla & ſtabili veritatum poſſeſſione , in quibus momenta ſunt maxima ad bene beateque vivendum ; dum cogitationibus noſtris per rerum univerſitatem exſpatiandi libertatem præbemus , quaſi infinitam illam entium univerſitatem intellectus noſter poſſit complecti , & nihil uſquam ab illius inveſtigatione , & notitia eximeretur . Cum homines diſquiſitiones ita ſupra vires extendunt , dumque cogitationes ſuas in univerſæ naturæ entiumque immenſitate temere vagari ſinunt , in qua , ubi pedem figant , reperire non eſt , haud mirum eſt , multiplices diſceptationes & ſpinoſas diſputationes naſci , quæ , cum nunquam clare intelligantur , plures dubitationes & ſcrupulos hominibus injiciunt , & in cauſa ſunt , cur in ſcepſin ſe totos dedant . Quod ſi homines facultates ſui intel-

(10) Melius dici nequit . Curſus meditationum illuc eſt dirigendus , e quo regulæ ad noſtrum ſpectantes ſtatum ſint eruendæ. Mens brevis eſt ; quæ ſciri poſſunt infinita (6) . Quid intolerabilius , quam hanc mentis parvitatem eis applicare, quæ ſciri nequeant , & nihil vel parum proſint ? *Neceſſaria ignoramus* , Senecæ verbis utar , *quia ſuperflua diſcimus* .

tellectus etiam atque etiam tentarent, & perſcrutarentur, ſi terminum, ultra quem ſcientia noſtra progredi nequit, & quaſi horizontem iſtum haberent perſpectum, qui lucida diverſorum cognitionis noſtræ objectorum ab obſcuris, & prorſus imperveſtigabilibus ſeparat, & quæ poſſunt concipi, ab iis terminat, quæ noſtram tranſcendunt intelligentiam; fortaſſe in agnita *illorum* ignoratione lubentius acquieſcerent, & cogitationes ſermoneſque ſuos cum uberiori emolumento, & oblectatione *hiſce* impenderent.

§. VIII.

Quid Idea ſignificet.

NEceſſarium mihi viſum eſt, ut de ratione intellectionis humanæ explicaturus, talia præfarer. Antequam vero materiæ, quam tractaturus ſum, memet trado, hic in Operis veſtibulo exorandus eſt lector, ut mihi ignoſcat, quod vox *Idea* in hoc tractatu tam frequenter occurrat (a). Cum vocabulum illud mihi videatur maxime idoneum ad exprimendum *omne illud*, *quicquid demum ſit*, *quod menti obverſatur*, *cum cogitat*; idcirco illud uſurpavi ad omnia exprimenda, quæ per *phantaſma*, *notionem*, *ſpeciem*, aut quocunque alio nomine venit, quod intellectui præſens eſt, quando cogitamus (11), ideoque cre-

---

(a) Excuſatio hæc permagne neceſſaria videtur, gallicano Lectori potiſſimum, lectioni philoſophorum operum aſſueto, in quibus, gallice conſcriptis, vocabulum *idee* promiſcue adhibetur. Hoc in omni iſtorum librorum genere indiſcriminatim adinvenitur. *COSTE*.

(11) Diſquiritur a metaphyſicis, an ideæ & perceptiones ſint unum & idem; pro idea habetur *repræſentatio alicujus rei in mente* (*V. Baum inſt. metaph.*), vel ut cæteri ajunt, non ſatis luculenter, *forma quædam rei exiſtentis*, *aut poſſibilis* (*V. Gen. Elem. metaph. pars alt.* VI. *pag* 12.). Nonnulli ideam diſpeſcere cupiunt in *materialem* ſive *phantaſticam*, & in *intelligibilem*. Quidquid hac de re ſit, alibi diſputabimus.

creber iſtius termini uſus in hoc opere evitari non potuit.

Facile, arbitror, mihi dabitur, hujuſmodi *Ideas* mentibus humanis ineſſe; tales in ſe nemo non perſentiſcit; atque ex dictis factiſque hominum palam eſt, eas in *aliis* reperiri.

Prima diſquiſitio noſtra erit de modo, quo illæ Ideæ in mentem incurrant.

LIBER I.

CAP. I.

Nulla principia animis noſtris ingenita ſunt.

§. I.

Rerum notitiam haud nobis innaſci, ex modo noſtro ſciendi demonſtratur.

UT invicta & omni exceptione major veritas a quibuſdam perhibetur illud, eſſe in intellectu quædam *innata principia*, naturales nempe quoſdam Characteres, κοινὰς quas vocant ἐννοίας, ſeu inſitas rerum, & in primo ipſius ortu quaſi conſignatas quaſdam in mente noſtra notiones (12). Qua ratione ve-

(12) Eſt lis inter metaphyſicos ſatis longior: an ideæ cuilibet peculiari animo ſint impreſſæ, atque a primo ipſius ortu a natura ipſa conſignatæ. Complures affirmant, negant alii; inter primos nonnulli Arabes, Maurique adnumerantur. Habere mentem apud ſe rerum ſpecies, quæ ab externis tantum excitentur, dixere. (*V. Pic. tom. I. pag.* 50.). Albertus Magnus ſpecies credit congenitas, quibus mens nunquam, aut raro utitur. (*V. ib. pag* 42.), ſimili quaſi modo docuit Avicenna, juxta quem in intellectibus ſeparatis omnium rerum ſenſibilium ſpecies intelligibiles præexiſtunt. (*V. Div Thom. pr. part. qu.* 84. *art.* 4.), quo modo ſpiritualizentur, & ab intellectu, juxta eum, paſſivo ad agentem effluant, & econtra, ita ut ſpecies intelligibiles in animas noſtras, & formæ ſenſibiles in materiam corpoream ex-

vero opinio iſta falſitatis ſit arguenda cordato, & a præconceptis opinionibus immuni lectori ſatis perſpicuum facturus videor, ſi oſtendero tantummodo (id quod in operis hujus proceſſu ſpero me facturum) homines ſola naturalium facultatum ope, ſine ullo notionum quarumdam impreſſarum adminiculo, eam, qua vulgo imbuti ſunt, notitiam, & certam inſuper rerum cognitionem aſſequi poſſe (13). Credo enim id nullius non voluntate mihi datum iri, perridiculum eſſe, ut quis opinetur, colorum *ideas* animanti naturaliter inſitas eſſe, cui uſus oculorum, & facultas ab externis objectis iſtas recipiendi a Deo conceſſa eſt (14). Nec minus abſurdum eſſet, ſi quis ſuſpicaretur, veritates quaſdam catholicas ſeu univerſales

---

extra fluant, non eſt hic explanandi locus. Fas eſt, adnotare, quod a divo Thoma refellitur, etſi omnia in rationibus æternis, quæ ſunt in Deo, cognoſcere dixiſſet. (*V. pr. part. q. 84. art. 4.*). Quod a ſententia Malebranchii, omnia in Deo, Deique lumine videri (*V. de inquir. ver. libr. III.*), parum profecto recedit. Fuerunt & Platonici, qui voluere, ideas rerum omnium æternas, quas mente ſua imprimis Deus complecteretur, Diis minoribus, & mentibus denique participaret, & juxta Socratis afflatum, ſcientiam noſtram non eſſe niſi *reminiſcentiam* (*V. Thoethetum Platon.*). Non defuerunt qui adhuc cum Carteſio opinati fuere, quod nos ideas haberemus neque ab objectis externis, neque a voluntatis determinatione proventas, ſed a cogitandi facultate exerant, & *univerſalia principia* nominarunt. Opinionem hanc Henricus Morus provexit, credìditque ſemina ſcientiarum nobis a Deo inſita, atque inſculpta fuiſſe. (*V. de imm. anim.*). Sylvanus Regis ſtatim innaſci putat in mente notionem Dei, corporis, & animi, quam ob rem notiones has innatas appellare voluit (*V. Uſage de la raiſon : & Fay lib. 1. part. 1. cap 7.*). Refellit Lockius ſententias indigitatas, ut ex ſequentibus patet.

(13) En Lockii ſententia, apprime convenit cum recentiorum opinione. Hinc pervulgatum in Scholis: *Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu.*

(14) Vi ratiocinii non legitime concludit. A ſpecie ad genus non valet conſequentia. Sunt qui autumant, ideam Dei tantum eſſe congenitam; ſi eſt verum, ſufficit ad affirmative concludendum.

ab ipſa Natura eſſe in omnium animis impreſſas : cum in nobiſmet ipſis vires mentis elucеſcere animadvertamus, ex quibus veritas haud difficilius elici poteſt, quam ſi Species ejus primigenia ſignata in animo eſſet (15).

Quoniam vero non integrum eſt nobis, in vero exquirendo, cogitationes ſenſuſque noſtros ſequi, niſi a recepta communiter opinione vel minimum diſcrepantes, varias incurrere reprehenſiones velimus; idcirco ut error meus (ſi forte erraverim, qua

(15) Si impugnatur, concedi debet, homines in his Catholicis veritatibus omnes inter ſe convenire; at quis audet tantum aſſerere? Quo reponuntur Athei? non eodem utuntur jure, Hiſpani, Anglici, Cyneraici, Spinoziſtæ, aliique complures, qui ſuperſtruunt juris naturalis ſyſtema verſiculis a ſatyrico conſcriptis

Nec natura poteſt juſto ſecernere iniquum
Sola eſt utilitas juſti prope mater & æqui.

nec in hoc conveniunt cum Hugone Grotio, Cudvortho, Ricardo, Kumberlando, Hubero, cæteriſque pene infinitis e philoſophorum turba gravioribus. Cæteroquin videmus, ut obſervavi, homines eo ineptos, ut abſtractæ veritatis ſint omnino incapaces, propter quod nec habent actu, nec eas habere queunt. Interdum idea Dei quid aliud eſt, quam complexum perfectionum? Quid idea amoris debiti erga eum. quam judicium erutum ex idea bonitatis, perfectionis, juſtitiæ &c.? Quid idea proximum ſpectandi tamquam ſibi æqualem, quam conſequentia ex idea paritatis, ſocietatiſque habita? Quid demum axiomatis idea „ impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe „ quam comparatio præſentiæ cum abſentia ipſius entis? Verum idea perfectionis, bonitatis, æqualitatis, præſentiæ alicujus rei quid niſi prædicamentorum repræſentatio? Quid aliud prædicata quam notiones e ſingularibus abſtractæ? Recte ergo univerſales, ac catholicæ ideæ a nonnullis innatæ, congenitæque dictæ, ad peculiares ſenſibileſque reducimus. Hac ſuper re conveniunt philoſophi, hoc eſt, notiones univerſales abſtractionis ope e ſingularibus fieri, nec dari quicquam quod actu ea habeat quæ univerſali notioni conveniant. Ex hoc fit, quod tales ideæ univerſales, catholicæque nuncupatæ individuales, & ſenſibiles ſupponunt, quam ob rem, datis univerſalibus congenitis, darentur quoque particulares & ſenſibiles. Videndum ergo, ſimiles ſenſibileſque notiones ſint necne nobis inſculptæ, atque congenitæ,

qua de re penes lectorem, veritatis ubivis amplectendæ ſtudioſum, judicium eſſe velim) juſtam excuſationem habeat, rationes recenſebo, quibus adductus opinionem iſtam in dubium vocaverim (16).

§. II.
Maximum argumentum a Conſenſu Univerſali deſumitur.

NUlla ſententia pervagatior eſt ea, quæ dicit, quædam eſſe principia tum *ſpeculativa*, tum *practica*, (de utriſque enim dimicant) de quorum veritate inter omnes ubique convenit: id ex eo provenire contendunt, quod in primo hominum ortu intelligentiæ quædam imprimantur animis, quæ æque realiter, & neceſſario, ac reliquæ inhærentes facultates, cum mente naſcerentur.

§. III.
Conſenſus univerſalis non probat, aliquid innatum eſſe.

ARgumentum illud ab univerſali conſenſu deſumptum in eo claudicat, quod, ſi de facto etiam certiſſime conſtaret, dari quaſdam veritates, omnium aſſenſionibus comprobatas, exinde tamen non ſequeretur, eas nobis innaſci, ſi (quod fieri poſſe non dubito) univerſalis iſtius conſenſus alia quædam ratio reddi poſſit (17).

(16) De me loquor: ſententiam meam pronuncio: *Nulla notio nobis eſt inſculpta, quælibet acquiritur per ſenſus*; ſequar Auctorem.

Agnoſcant, ſi quid peccavero ſtultus, amici.

(17) Si darentur veritates, de quibus omnes ubique convenirent, eſſet ſane argumentum pro ideis innatis. Hoc eſt probandum, nec facili modo poſſe, cenſeo. Mores, cogitationes, actiones, modos diverſos obſervamus (15), omnes differunt ratione clymatis, egeſtatum, educationis, temperiei, virium &c., ſi verum in quadam re conſentiunt, extrinſecus potius, quam intrinſecus cauſa eſt deſumenda.

§. IV.

Quicquid eſt, neceſſario eſt; atque impoſſibile idem ſimul eſſe, & non eſſe; haud univerſalem aſſenſum obtinent.

CONtra vero argumentum illud, quo fidem *principiorum innatorum* firmatum eunt, mihi videtur demonſtrare, nulla id genus principia dari: quoniam nulla effata ſunt, in quorum veritatem ad unum omnes conſpirent. Initium mihi ſumam a ſpeculativis, & notiſſimis principiis demonſtrationis; *quicquid eſt, neceſſario eſt*; atque, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*; digna præ aliis cenſeo, quæ ingenitorum principiorum numero inferantur. Hæc inter iſtiuſmodi axiomata recenſenda eſſe adeo conſtans ferme omnium opinio eſt, ut prodigio ſimile videretur, ſi quis id in dubium vocaret. Audacter tamen libereque dicam, tantum abeſſe, ut propoſitiones iſtæ univerſorum ſuffragiis comprobentur, ut magna pars hominum ſit, quibus nondum vel innotuere (18).

§. V.

Haud menti imprimuntur, quoniam parvulis, & imperitis, ſeu inſipientibus non innotuere.

PRimo enim manifeſtum eſt, *parvulos*, atque *rerum omnium ignaros*, ſeu *inſipientes* nulla cognitione aut cogitatione illorum imbutos eſſe; atque illud ſatis ſuperque eſt ad fidem univerſali iſti *conſenſui* derogandam, qui *ingenitarum* veritatum comes & ſocius ſit, neceſſe eſt: pugnantia enim inter ſe, & maxime contraria mihi dicere videntur, qui dicunt

(18) Qui ideas abſtractas nequeunt comparare (15) hæc profecto ignorant. Prima, & ſecunda propoſitio ſupponit ideam poſſibilis, impoſſibilis, exiſtentiæ, actualitatis &c., de qua ſatis (15).

cunt, veritates in animis imprimi, quas illi haudquaquam percipiunt; cum *imprimere*, ſi quid omnino ſignificet, nihil aliud ſit, quam efficere, ut ſignatæ in animo veritates percipiantur. Et mihi quidem vix intelligi poſſe videtur, quo pacto ſine mentis perceptione ipſi aliquid imprimi poſſit. Si *parvuli* igitur atque *ſtupidi* præditi eſſent animis, ita a natura ſignatis, neceſſe eſt, ut *veritates* iſtæ ipſis innoteſcerent, atque aſſenſionibus ipſorum comprobarentur; & quoniam haud illud fieri animadvertimus, palam eſt, eas non in illorum animis eſſe conſignatas. Si notiones enim non ſint a natura impreſſæ, quomodo ingenitæ dici poſſunt? Atque ſi ſint a natura impreſſæ, unde eſt, quod ignorentur? Qui notionem aliquam in animo imprimi, atque animum eodem tempore illius eſſe inſcium, nec eam animadvertere affirmat, perinde facit, ac ſi diceret, *impreſſionem* iſtam pro nihilo eſſe habendam. Nulla propoſitio dici poteſt menti ineſſe, cujus ſe cognitionem attigiſſe mens nunquam ſibi conſcia fuit (19). Si qua enim ita ineſſe dici poſſit; tunc pari ratione propoſitiones omnes, de quarum veritate conſtat, & quibus mens aliquando aſſentiri poteſt, pro *inſitis* ita & *impreſſis* haberemus (20). Si propoſitio enim ali-

(19) Adverſus eos, qui duos ponunt intellectus, hoc eſt agentem, & paſſivum, hoc non valet argumentum. Hujus ſcholæ adnumerantur Peripatetici, nonnulli Arabes, Platonici, aliique complures. Et ut ita ſe res habeat, ponamus, intellectum agentem vim ſuam in phantaſmata exerere, quapropter ea illuminare, atque intelligibilia reddere poſſit, quod Johannis Bacconis ſententia eſt (*V. lib. I. de An.*), tum pro ideis innatis haberentur ſpecies *impreſſæ*, ut Scholaſtici ajunt, non *expreſſæ*; ex quo ſequitur, quod ignorari queunt veritates quæ emerguntur a ſpeciebus expreſſis, etſi ſpecies *impreſſæ* nobis extent (12).

(20) Præterea. Argumentum pro ratione ſufficiente a Cl. Wolfio allatum permagne hic conferre, puto. Sunt ipſius verba: „ Aut nihil eſt ſine ratione ſufficiente, cur potius ſit quam non „ ſit, aut aliquid eſſe poteſt ſine ratione ſufficiente. Ponamus, „ eſſe

aliqua, quam mens nunquam perſpectam habuit, menti ineſſe dici poſſit; idem eſt, ac ſi dicerem, quod illa habeat facultatem cognitionem ejus aſſequendi: at quis eſt, qui non videat, aciem mentis ad omnes veritates, quarum notitiam habitura eſt unquam, ſimiliter penetrare. Imo hoc modo veritates menti poſſunt imprimi, quas neque perſpexit, neque perſpectura eſt unquam: fieri enim poteſt, ut quis diutiſſime in hujus ævi curriculo verſetur, & tandem e vita decedat, in ſumma plurimarum veritatum ignoratione, quas certo quidem ſcire poterat (21). Si igitur *vis & facultas percipiendi*, ſit naturalis iſta *impreſſio*, de qua digladiantur, tunc, ex hoc calculo, veritates omnes, quæ ab homine unquam percipientur, pro *ingenitis* habendæ erunt; atque palam erit, eos in cauſa hac inſigni, quæ in controverſiam nunc vocatur, nihil aliud agere, quam quod *minus propriis* utantur *locutionibus*, & quamvis *contrarium* afferant, re ipſa tamen in illorum concedant ſententiam, *qui innata* eſſe *principia inficiantur* (22). Nemo enim, opinor, negavit unquam, mentem *poſſe* ad plurimarum veritatum notitiam pertingere. *Facultas*, inquiunt, cognoſcendi *innata* eſt, cognitio vero

„ eſſe *A* ſine ratione ſufficiente, cur ſit potius, quam non ſit, „ ergo nihil ponendum eſt, unde intelligitur cur *A* ſit, admittitur adeo, *A* eſſe propterea, quod nihil eſſe ſumitur, abſque „ ratione ſufficiente nihil eſt, ſeu ſi quid eſſe ponitur, admittendum etiam eſt, aliquid unde intelligitur cur ſit „ (*V. Ontol. lat.* §. 70.) eſſet ergo ratio ſufficiens cur hæc non illa notio ſit animo noſtro inſculpta, vel cur omnes ſimul eſſent. Dicere, omnes ſimul nobis adeſſe, eſt non limitare mentem: rationem ſufficientem extare, qua hæc non illa ſit nobis congenita, eſt gratis aſſerere. Ergo nullum detegitur argumentum pro ideis innatis.

(21) Actualitas potentiam ſupponit; non ſic potentia actualitatem.

(22) Quot controverſiæ ex vocabulis apprime non reſpondentibus ideis excitandis? hujus generis hæc eſſet quæſtio.

ro *acquiſita*. Quorſum vero diſceptationes iſtæ de principiis congenitis ſpectant? Si veritates animo imprimi poſſunt, quæ tamen haud quaquam percipiantur, non video, quomodo hæ veritates, reſpectu originis aut principii, recte poſſint diſcerni ab iis, quas ipſe intellectus ſua facultate aſſequi poteſt (23): omnes aut

(23) Facultas *cognoſcendi*, ut inquiunt, ingenita eſt, ait Auctor, non actualis cognitio. Hæc facultas a nemine inficiatur. Quid ad rem? Quibus notis poſſumus has internoſcere veritates, & ratione originis ab eis, quas intellectus vi propria aſſequitur eas ſecernere? En locus exponendi Leibnitianum Wolfianumque ſyſtema de ideis, ac animæ facultate; hoc in eo conſiſtit, quod poſitis ſenſuum, cerebrique motionibus mens ipſa ſibi creat ideas, atque conficit. Sic Leibnitius. *Non conſentio communibus philoſophorum dictis, donec imagines, rerum auxilio ſenſuum in anima repræſententur, vel transferantur.* (V. in quinto adverſus Clarkium ſcripto §. 84) *Melius dicitur, quod Deus, cuicumque animæ virtutem dederit, qua totam Mundi fabricam in propria natura, quam repræſentat ſibi imaginari, vel repræſentari poſſit.* (V. Conf. Reſponſ. Antibail prop. 7. not. 5.). Sic & Wolfius, *cum anima proprium virtutem habeat, qua ſibi repræſentet Mundum, e contra vero omnes naturales mutationes corporis in ſua natura, & eſſentia fundatæ ſint, hinc clare patet, quod anima agat, quod in ſe eſt, & corpus pariter pro ſe mutationes habeat, ſine eo quod vel anima in corpore, vel corpus in anima operetur.* (*V. Metaph Germ.* §. 765.). Simili modo Bilfingerus (*V. Harm. præſtab.*.. §. 15. 17. 18.), aliique. Lockius non intelligit, facultatem hanc menti ineſſe, verum illam, ope cujus ideas ex ſuarum intus operationum mens contemplatione adipiſcitur. Ex quo fit, quod nulla cum facultate hac idea ponitur congenita. Quatenus mens verſatur circa impreſſiones ab objectis externis factas, oritur & altera notio. Impreſſionibus ablatis, ruit per conſequens omnis ſenſus, & idea, non item ſi ſententia Leibnitii vigeret; cum ratio ſufficiens idearum in impreſſionibus eſſet, notiones & mutationes organo ſenſorio excitatæ non haberent, niſi conſenſum inter ſe, quapropter mens tum in ſeipſa contineret rationem ſufficientem omnium idearum, nec objecta externa concurrerent niſi ratione temporis, quo potius ad unam quam ad alteram anima ſe determinaret: haberet ergo omnes ideas a primo ipſius ortu congenitas. Verum quis poteſt Leibnitianum ſyſtema legitime demonſtrare? Quis non aſſerit, vere eſſe hypo-

aut *inſitas* aut *adventitias* (24) eſſe, neceſſe eſt; &

---

potheticum? Wolfius ipſe, qui accuratius ſyſtematis penetralia inquiſivit, non dubitavit, loco hypotheſis illud habere (*V. Pſych. Rational. ſect.*), ſimiliter & Bilfingerius in ſua hypothetica commentatione incertitudinis conſcius monet in præfatione lectorem Plautinis verbis:

Optio hæc tua eſt; utram harum vis conditionem accipe.

Genuenſis hoc argumento Wolfiano ſyſtemati reſiſtit. Judicium, ratiociniumque ſunt relationum idearum perceptiones: Datis duabus ideis *A B*, materialibus, juxta Wolfium, reſpondent his duæ intelligibiles *C D* ita diſtinctæ inter ſe, ut *A B*: Non ſecus ac *A* non eſt *B*, nec continet *B*, cum nullum individuum alterum contineat, a quo diſtinguitur eſſentialiter, ſic *C* non eſt *D* nec continet *D*. Ideo ut *A B* poſitis non ponitur judicium, vel ſuæ relationis perceptio, ſic non etiam ponitur, *C D* exortis. Tertia ergo intelligibilis neceſſario eſt addenda in qua *C D* conjungantur; Sit *X*. At *X* ita a *C* diſtinguitur & *D* ut iſtæ inter ſe: Interim nulla ipſarum continebitur in *X*, nec poſita *X*, judicium ponetur. Quod ſi dicetur, ambas *C D* in ſola *X* contineri: ut *C D* reſpondent, & *A B* repræſentent, verum quoque erit quod *A*, & *B* eſſent in ſola *X*; & conſequenter una perceptio, vel idea intelligibilis, ſimul coexiſtet, & reſpondet duobus (*ſic in longis ratiocinationibus* 4, 5, 10 *&c.*) materialibus, quod eſt contra ipſum Wolfium. Si ergo altera ſententia vera eſt, *X* ita ſingularis erit, nec alteram continens, ut *C*, ut *D*. En Judicium, atque ratiocinium ablatum dicent, quod judicium in conſcientia *C D* ponetur? Dicunt enim vel *neſcio quod*, vel quod conſcientia hæc eſt perceptio *C D*, vid. perceptio *X*, quæ ſi una eſſet & ſingularis, necnon *C D* continet, Wolfii doctrina deſtruitur, ſi non eas continet, nobis judicium tollitur, & cum hoc Pſychologiæ principia ruunt omnia, quæ, juxta ipſum Wolfium ex propria vividaque conſcientia ſunt deſumenda. Ergo &c. (*V. tom. v. Riſp. alla lett. del Signor Ab. Conti*).

Syſtemate Leibnitiano ruit idearum innatarum opinio, illa potiſſimum, *animam vim congenitam habere omnes creandi ſibi ideas*, quod parum differt a reliquis idearum innatarum opinionibus, & ſi recte video, non in alio quam ratione temporis, & cauſæ; non ſunt inſculptæ, ſed animæ noſtræ inſculpantur; non ab externis objectis, non a Deo primo ipſius ortu creatæ ſed a ſe ipſa formantur fluxu perceptionum, itaut omnes quot ſint in prima idea, & in anima quaſi congenita, continentur.

(24) Logici diverſo modo diſpeſcunt ideas, & varias conficiunt

& fruſtra quis illas diſtinguere, & in diverſas claſſes ſecernere conabitur. Qui de naturalibus igitur, ac informatis in animo notionibus loquitur, non (ſi modo certum & peculiare aliquod veritatum genus ſignificari velit) ità intelligi poteſt, quaſi diceret, intellectui veritates ineſſe, quas nunquam percepit, & quarum etiamnum penitus ignarus eſt; ſi enim voces iſtæ (*eſſe in intellectu*) aliquid omninò ſonant, certe *τὸ intelligi* ſignificant. Quare, eſſe in intellectu, & non intelligi; eſſe in mente, & nunquam percipi, idem eſt; ac ſi diceres, aliquid eſſe, & non eſſe in mente, aut intellectu. Si igitur hæ duæ propoſitiones, *quicquid eſt, neceſſario eſt*; atque *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, a natura imprimantur, fieri non poteſt, ut iſtæ a puerulis ignorentur: infantes atque alii omnes, quotquot mente ſunt prædìti, eas in intellectu habeant, veritatem illarum percipiant, atque iſtis aſſentiantur, neceſſe eſt.

§. VI.

---

ciunt Claſſes. Sunt qui eas ſub quatuor contemplant aſpectibus. I. ratione originis, II. naturæ, & conſtitutionis, III. relationis ad objecta, IV. ad mentem. Quod ad primam attinet claſſem conſiderantur, I. adventitiæ, II. factitiæ, III. innatæ; quod ad ſecundam pertinet, I. phantaſticæ, II. intelligibiles, III. ſimplices, IV. compoſitæ; quod ad tertiam ſpectat, I. adæquatæ, II. inadæquatæ, III. ſingulares, IV. univerſales, V. abſolutæ. VI. relativæ, VII. abſtractæ, VIII. concretæ, IX. reales, X. non reales. Ad quartam demum reducuntur claſſem I. claræ, II. obſcuræ, III. diſtinctæ, IV. confuſæ. Non admittunt alii prolixitatem hanc, & eas diſpeſcunt in differentiam formalem & materialem, videlicet habita ratione ad *mentem*, & ad *objecta*. Primæ claſſis ſunt I. claræ, obſcuræ, II. diſtinctæ, confuſæ, III. completæ, incompletæ, IV. adæquatæ, inadæquatæ. Secundæ claſſis I. ratione ſubſtantiarum, II. accidentium, III. relationum, ſubjungentes alii ſingulares & univerſales. Nos cum auctore noſtro convenimus, tam complicatam prolixamque diviſionem eſſe fruſtraneam, imo dicere audemus, has non inſervire diviſiones quam ad confuſionem. Duobus modis debemus conſiderare ideas, ut recte ait Lockius, reliquæ non ſunt præter

mo-

§. VI.

Objectioni reſpondetur, qua dicitur, eas ab hominibus cognoſci, cum ad uſum rationis ventum ſit.

AD vim hujus argumenti infringendam, vulgo reſponderi ſolet, omnes intelligere eas veritates, atque iis *aſſenſum* præbere, *quamprimum ad rationis uſum perventum ſit*; id ſufficere, inquiunt, ad probandum, eas ingenitas eſſe. Reſpondeo:

§. VII. Dubios, & ancipites ſermones, qui nihil omnino ferme denotant, ab iis ſumi pro certis & perſpicuis rationibus, qui, præjudicata ſceti opinione, nullam his prolatis ſermonibus examinandis, & ipſorum momentis ponderandis adhibent operam (25). Ut vero, quod ab iis reſpondetur, præſtet aliquam rationis ſpeciem, & ad rem applicetur, quæ in controverſiam adducta eſt, reſponſum illud alterum ex hiſce duobus ſignificare, neceſſum eſt: aut enim dicunt, nativas iſtas notiones, quas animis inſcribi putant, tunc innoteſcere, & ab hominibus obſervari, cum ad rationis uſum pervenerint; aut rationis uſum & exercitium, in principiis iſtis inveſtigandis, & certa illorum cognitione acquirenda, hominibus adjumento eſſe (26).

§. VIII.

---

modificationes, quæ revera complures eſſe queunt, ut tales ſunt motiones organo ſenſorio noſtro excitatæ. I. Modi rerum corporearum. II. Gradus attentionis ab anima præſtitæ. Recte igitur, ſagaciterque Lockius inquit *fruſtra ſecernere conabitur*.

(25) Ego cum Cicerone reſponderem „ Eſt enim philoſophia „ paucis contenta Judicibus, multitudinem ipſa conſulto fugiens, „ eique ipſi & ſuſpecta, & inviſa; ut vel ſi quis univerſam velit „ vituperare, ſecundo id populo facere poſſit; vel ſi in eam, „ quam ipſi maxime ſequuntur, conetur invadere; magna habere poſſit auxilia ex vulgarium philoſophorum diſciplinis „. (*V. ſecund. Tuſcul.* 1.)

(26) Profecto. Si a puerulis ignorentur veritates, quæ dicuntur inſitæ & impugnantur, alterutrum dici debet, vel eas non innoteſcere niſi rationis uſu, vel acquiri rationis uſu & exercitio. Ad hoc attendimus.

§. VIII.

Si rationis adminiculo innoteſcunt, non ſequetur, eas ingenitas eſſe.

SI voluerint, homines uſu & adminiculo rationis in principiorum iſtorum notitiam devenire; atque illud ſatis probare, ea nobis ingenita eſſe; tunc argumentando nihil aliud mihi probatum ire videntur, quam, omnes veritates, quas inveſtigando ratio aſſequitur, & quibus nos aſſentiri, ſubigit, a natura ingenitas eſſe; cum univerſalis iſtius aſſenſus, qui illarum criterium eſſe perhibetur, iſta ſumma ſit, quod rationis nimirum ductu, certam illarum adipiſci ſcientiam, atque aſſenſum iis præbere poſſimus; atque ex hac ratiocinatione ſequetur, nullam eſſe diſcrepantiam inter Mathematicorum axiomata, &, quæ ab iis deducuntur, theoremata: omnia æque innata eſſe confitendum eſt, cum rationis lumine pateſiant, & veritates ſint, quarum cognitionem mens facile attingere poſſit, ſi modo ratione recte utatur (27).

§. IX.

Falſum eſt, rationem eas nobis notas facere.

UNde vero eſt, quod arbitrentur, *rationis uſum* neceſſarium eſſe ad principia inveſtiganda, quæ innata eſſe perhibentur, cum *Ratio* (ſi modo hiſce hominibus fides habenda ſit) nihil aliud ſit, quam *facultas veritates incognitas ex principiis ſive pro-*

(27) Solidiſſimum argumentum. Uſu rationis acquirimus mathematicas veritates, quæ antea nequeunt pateſieri, ergo pariter innatæ eſſent: hæc erat Platonicorum opinio. Scientiam non eſſe quam *reminiſcentiam*, ajebat Plato (12). Quid magis perridiculum?

propoſitionibus cognitis inferendi ? certiſſimum eſt, haud illud dici poſſe innatum, ad cujus inveſtigationem ratio requiritur, niſi, ut ſuperius commemoravi, omnes iſtas veritates certas, quas rationis ope percipimus, pro *innatis* haberi velimus. Qui *rationem*, aut illius exercitio opus eſſe dicunt, ut mens noſtra res, a natura inſitas, percipere poſſit, perinde facit, ac ſi diceret, res viſibiles non ſine rationis ope ab oculis percipi poſſe. Qui rationem itaque nobis adjumento eſſe volunt ad *inſitas* iſtas veritates explorandas, non aliud dicunt; quam quod ratio ea nobis nota faciat, quæ antea jam comperta habuimus; atque ſi in primo ipſorum ortu atque ante rationis uſum ingenitæ veritates in animis hominum imprimuntur, quarum tamen in ſumma ignoratione eo uſque verſantur, donec ratio adoleſcat, re quidem ipſa dicunt, homines *gnaros* ſimul & *ignaros* earum eſſe (28).

§. X.

---

(28) Sagaciter Lockius, nos autem luculentius credamus. Duplici ſenſu *ratio* ſumitur a philoſophis, *objective*, ſcilicet, & *ſubjective*, primo ſenſu ſumta pro nexu veritatum univerſaliumque propoſitionum habetur. *Per catenam* veritatum eam Leibnitius definit. (*V. Theodic. proem.* §. 23.); Secundo ſenſu pro facultate mentis noſtræ hanc catenam perſpiciendi. „Homo, inquit „ Cicero, quod *rationis* eſt particeps, per quam conſequentia „ cernit, cauſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi an„ receſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præ„ ſentibus adjungit, atque annectit futuras „ (*V. lib.* 1. *de Off. cap.* IV.). Si *objective* hic ſumitur, ratio ſupponit veritates, non eſſet alioquin nexus; ſi *ſubjective*, mens, ut conſequentia eruat, debet antecedentia ſibi repræſentare. Ex quo fit, quod ratione ſubjectiva tantum veritates cognitas reddere nequimus, ratione objectiva non eruitur, ſed adeſt veritas. Præterea, etſi homines quemdam habeant veritatum numerum, quæ auditu, tactu, viſu &c. nanciſcantur continuo, attamen neque immutabiles, neque omnibus numero æquales ſunt, variant omnes pro ætate, converſationibus, moribus, ſtudiis, affectibus &c. Nexus ideatum non eſt idem quam nexus veritatum, non ab omnibus pro veritatibus eadem habentur. Henricus Morus, ratione conſulta, ſcri-

§. X. Hic fortaſſe dicent, demonſtrationes mathematicas, atque alias veritates, quæ non ſunt naturaliter inſitæ, haud ſtatim, ut primum prolatæ ſunt, aſſenſionibus hominum comprobari, atque in eo ipſas a primis iſtis principiis, atque aliis veritatibus innatis dijudicari & diſtingui. De aſſenſu iſto, qui ex prima rerum prolatione ſequitur, mox uberius ac fuſius diſputandi occaſio mihi oblata erit. Hic illud tantummodo ipſis libenter concedam, inter axiomata iſta, quæ innata perhibentur, & demonſtrationes mathematicas id intereſſe; quod hæ ad aſſenſum alliciendum, probatione indigeant; illis vero ſtatim, quamprimum vocabulis notis proponuntur, ſine ulla ratiocinatione aſſenſus præbeatur. Bona inſuper illorum venia & pace fiat, ut annotem, palam ipſos facere, quam debile ſit illud refugium, quod *rationis adminiculum* adhibet ad catholicas iſtas veritates detegendas: cum neceſſario fatendum ſit, ad illas percipiendas haud rationis uſum deſiderari poſſe.

ſcripſit ad Carteſium, quod clare ſibi effulſit Carteſiana lux, libera ſcilicet, diſtincta, ſibique conſtans RATIO, quod tam concinna in ſuis philoſophiæ principiis Dioptricis, & Meteoris, tamque pulchra ſibi ipſis, naturæque conſona ſunt omnia, ut mens *ratioque* humana jucundius vix optaret, lætiuſque ſpectaculum; non ſecus Merſennus; credidit hic, quod lucem aliquam eximiam Carteſio Deus inſudiſſet, & vix ulli mortalium majorem naturalium rerum cognitionem a Deo tributam. (*V. Epiſt. ad Gisbert. Voet.*), non ita poſterius. Nihil magis fictitium atque inveriſimile habetur, quam Renati Carteſii Syſtema. Unde diſparilitas hæc? a præconceptis opinionibus; Ergo ſola ratione ſubjectiva non eruitur veritas, neque abſolute conſideratas cognitas veritates facimus. Quot Populi lege, moribus, propoſitionibus univerſalibus, quas nomine veritatum nonnullis inſignire placet, ſunt toto cælo diverſi! Si ratio *objective* contempletur, idem exurgit argumentum. Non adſunt niſi ideæ acquiſitæ, ergo ratione non pateſiunt. Recte igitur Lockius, nos *gnari & ignari* ſimul eſſemus, ignari quatenus ante rationis uſum in ſumma verſamur ignoratione; gnari quatenus ſeries veritatum nobis adeſſet, ut modo enodavimus (23. 26. 27.)

Credo etiam eos, qui ita reſpondent, haud temere ſtatim eſſe affirmaturos, quod axiomatis hujuſce cognitio, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, ſit rationis noſtræ illatio. Tollunt enim hoc ipſo DEI erga homines munificentiam iſtam, quam tanta in admiratione habere videntur, dum principiorum iſtorum, quæ tamen mentibus hominum ab ipſo DEO inſculpta volunt, notitiam, a cogitationibus aliud ex alio magna contentione inferentibus pendere aſſerunt. Omnis enim ratiocinatio eſt inquiſitio, & agitatio mentis, nec ſine ſtudio, atque applicatione animi perficitur. Quo vero pacto ſaltem probabiliter affirmari poteſt, quod ea cognitio, quam natura ideo nobis inſevit, ut rationis fundamentum, magiſtra, & dux eſſet, uſum rationis deſideret, per quam ipſa innoteſcat (29)?

§. XI.

(29) Sunt notiones abſtractæ, ergo ſupponunt ideas concretas; ablatis ideis defectus, nec non actualitatis, nulla notio adeſt, nulla concipitur veritas. Eſt noſtræ menti facultas, qua ſibi repræſentat, comparat, dijudicat res, ab antecedentibus conſequentia eruit. Primo intuitu, ſi antecedentia percepit, & comparandi dijudicandique habitum acquiſivit, hoc conficitur, contra nullo modo obtineri poteſt. Hominem agnovi, qui ſe loco carceris in tabaci pyxide poni credebat, increpantibus dictis lacrymas ei effundere obſervavi, & ego ipſe capſulam ut carcerem oſtendens tempore juventutis meæ, hunc hominem illuſi. Notiones antecedentes profecto ignorabat: extenſionis ſuæ & capſulæ metiri nequibat, per conſequens nec *etiam* hæc duo objecta inter ſe comparare, atque de eis dijudicare, erat ei datum. *Incolæ Terræ ignis*, & *canalis* potiſſimum *natalis* nuncupatæ tam ſtupidi obſervati fuere, ut omni rationis adminiculo deſtituti ſimpliciſſimarum idearum combinatione incapaces eſſe credebantur. Sine lege, ac ſubordinatione vagabant, & legitime ſagacioribus brutis poterant confundi. (*V. Viag. del Cap. Cook. tom.* VIII. *pag.* 34. 36.). Quid mirum interim ſi non deſuere philoſophi, qui ſcripſere, Americam incolentibus tam ſtupidam inſenſibilitatem ineſſe, quod nullo modo inſtrui poſſunt, nec ullus affectuum extet qui, concutere animam, & eos ſupra ſeipſos extollere poſſit; quod manuum, linguæque uſu bru-

tis

§. XI.

Falſum eſt, rationem ipſas notas nobis facere.

QUi ad operationes intellectus animam paulo diligentius attenderint, comperient, promptum iſtum alacremque aſſenſum, quem mens veritatibus quibuſdam præbet, non a ſignatis in animo intelligentiis, nec a *rationis exercitio* proficiſci (30), verum a facultate mentis ab utroque longe diverſa, quemadmodum deinceps oſtendetur. Cum ratio itaque haud efficiat, ut propoſitionibus iſtis aſſentiamur, ſi, dicentes, *homines eas compertas* habere, iiſque aſſentiri, quamprimum ad rationis uſum perventum ſit, intelligi velint, *rationis uſum* ad eas intelligendas nobis adjumento eſſe, id plane falſum eſt; atque ſi verum eſſet illud, contra probaret, eas haud eſſe inſitas (31).

tis tantum præcellunt, ſint re vera noſtrum ſtupidiori inferiores, & *intelligentia* atque *perfectibilitate* ita orbati, ut impulſui primi inſtinctus tantum obediant? (*V. Recherch ſur les Amer. par. 5. ſect.* 1. *pag.* 168.). Unde tanta ſtupiditas? Ex primordiis ideis deficientibus hoc dici poſſe, credo. Has gentes, FORSTER (*ib.*) opinatus eſt, ex numero proſcriptorum cujuſcunque viciniotis tribû eſſe, & vitam in hac aſperrima ſolitariaque parte degentes, præter eas, quæ renoventur ab indeſinentibus naturæ conatis, omnes ideas inſenſibiliter amiſiſſe.

(30) Non *a ſignatis in animo intelligentiis*, nam ut alicui aſſentiatur mens, non ſufficit ſola idea concepta: non ab *exercitio rationis*, quia ad aſſentiendum non valet nexus actualis veritatum, ſi *objective*, vel repræſentatio hujus nexus, ſi *ſubjective* ſumatur (28). Aliquid aliud requiritur, ut infra evolvemus.

(31) Recte porro. Si actus diverſus eſt ratio, & aſſenſio (30), hæc illius ope haberi nequit; qui contrarium aſſirmant, aſſerentes, nos rationis uſu acquirere veritates, nihil aliud dicunt quam ante ejuſmodi uſum nos veritatibus carere, per conſequens nullas ex ipſis nobis congenitas invenire.

§. XII.

Cum ad rationis uſum pervenitur, haud tempus eſt, quo propoſitiones iſtas cognoſcere incipimus.

SI, dicentes, nos eas cognoſcere iiſque aſſentiri, *quamprimum ad rationis uſum perventum ſit*, affirmant, illud eſſe tempus, quo primum ab intellectu iſtæ animadverti cœperint; & parvulos, quamprimum rationis uſu præditi ſunt, illarum notitia imbutos eſſe, iiſque aſſentiri; hoc etiam, falſum & nugatorium eſt. Primo falſum eſt: quoniam perſpicuum eſt, effata iſta non tam mature, quam quidem rationis uſum, in mente deprehendi; tempus itaque, quo ratione primum uti incipimus, falſo cum tempore confunditur, quo hæc principia innoteſcunt. Ex magna exemplorum multitudine videre eſt, parvulos ratione multo prius uti, quam ulla axiomatis hujuſce, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, cognitione imbuantur. Magna etiam pars hominum rudium & agreſtium plurimum iſtius ævi, in quo vegetior eſt vis rationis, ante conſumunt, quam iſtam, aut alias iſtiuſmodi propoſitiones generales mente complectuntur. Fateor equidem, homines non generalium iſtarum & abſtractarum veritatum, quæ *innatæ* vocantur, notitiam attingere, antequam ad rationis uſum adoleverint; addo etiam, neque tunc attingere. Hoc ex eo provenit, quod ante *rationis exercitationem*, generales iſtæ abſtractæque *ideæ*, ad quas axiomata iſta generalia ſpectant, quæ error hominum principiorum ingenitorum nomine dignatus eſt, haud in mente formantur; verum veritates ſunt, quæ eodem modo deteguntur, & in mentem introducuntur, quo multæ aliæ propoſitiones, quas nemo tamen adeo inſanus fuit, ut inſitorum principiorum in numerum inferret. Hoc in progreſſione hujuſce operis me perſpicue monſtraturum, nullus dubito. Haud inficior itaque, neceſſarium eſſe, ut homines

ſint

ſint rationis compotes, antequam univerſalium iſtarum veritatum cognitionem conſequi poſſint: nego autem, eas cognoſci, quamprimum ad rationis uſum pervenitur (32).

§. XIII.

In hoc non ab aliis cognoſcibilibus diſtinguuntur.

INterea temporis, dignum notatu eſt, dictum illud, quod nimirum homines cognoſcant & aſſentiantur iis, *quamprimum rationis ſint compotes*, revera non aliud ſignificare, quam quod nunquam cognoſcantur neque animadvertantur, donec ratio vires ſuas exercere incipiat; fieri autem poſſe, ut tandem aliquando per vitæ curſum, incertum vero eſt, quando aſſenſus iis præbeatur. Hoc de aliis veritatibus æque ac hiſce dici poteſt; hæ itaque non aliis eo nomine antecellunt, nec ab iis diſtinguuntur, quod, cum ratione uti cœptum ſit, nobis innoteſcant: neque exinde, eas nobis innaſci, ſed potius contrarium, probatur (33).

(32) Non aliud quam hactenus recenſita. Extant homines, qui etſi ad rationis uſum pervenerint, nullam tamen abſtractam, generalemque veritatem concipiunt. Complura habentur exempla; at ea referre ſupervacaneum puto.

(33) Quippe quid aliud dicunt prærer quod tempore, quo veritates acquirimus, veritates ipſas percipimus? Quid aliud ſonat vocabulum rationis, quam veritatum nexum percipere? vel nobis adeſſe? (28).

§. XIV.

Si tempus, quo ratione uti incipimus, eſſet tempus, quo nobis eæ innoteſcunt, non ſequeretur, eas ingenitas eſſe.

Si verum eſſet, homines eo ipſo tempore eas veritates primum cognoſcere iiſque præbere aſſenſum, quo *ratione uti* incipiunt; neque tamen exinde ſequeretur, eas inſitas eſſe. Hæc argumentandi ratio non ineptiarum minus, quam opinio ipſa falſitatis arguenda eſt. Quis enim confirmabit, notionem aliquam in animis hominum ſtatim in prima ipſorum origine fuiſſe impreſſam, ex eo, quod tunc primum cœpit ea notari & aſſenſione comprobari, cum facultas mentis, quæ ad aliam plane rem intenta eſt, vires ſuas exercere incepit? Ideoque, cum quis ad ſermonis uſum adoleverit, ſi modo tunc temporis ſupponimus, quod axiomatibus hiſce primum aſſentiatur, (quod æque minus tanquam verum ſupponi poteſt, ac illud, quando ad rationis uſum pervenitur) non tamen magis probaret, eas ingenitas eſſe, & quidem ex hoc fundamento, quia homines, quamprimum loquendi facultatem nanciſcuntur, eas intelligunt; quam, ſi ex illo fundamento hoc demonſtrare volo, eas eſſe innatas, propterea quod homines iis aſſentiantur, cum primum ratione uti incipiant. Illud igitur ingenitorum principiorum propugnatoribus conceſſerim, nullam in animo eſſe univerſalium hujuſmodi & clarorum axiomatum notitiam, uſque dum rationis uſum attingat: nego autem diem iſtum, quo ratio exerceri incipit, punctum temporis eſſe, in quo iſta primum annotantur; aut, ſi revera eſſet, iterum nego, exinde ſequi, ea nobis innaſci. Per propoſitionem iſtam, quod *homines illis aſſentiantur, cum ad rationis uſum perveniunt*, id ſolùm cum aliqua rationis ſpecie poteſt intelligi, quod, cum univerſalium abſtractarumque *idearum* compoſitio, & no-

nominum, quæ eas exprimunt, generalium intellectio, facultatis ratiocinandi comes ſit, & cum ea adoleſcat, parvuli maxima ex parte haud prius generales iſtas *ideas* aſſequuntur, nec per quæ exprimuntur, nomina intelligunt, quam, ratione circa vulgares & magis particulares ideas aliquantiſper verſante ſeque exercente, quotidiano colloquio & familiari rerum uſu tandem habeantur idonei, quibuſcum rationis uſu pollentibus colloquium inſtituatur, id quod jam ex commercio cum aliis didicerunt (34). Si aſſenſus datus hujuſmodi propoſitionibus, cum ad rationis uſum perventum ſit, in alio quodam ſenſu verus eſſe poſſit, velim, ut iſte palam nobis fiat: aut oſtendatur ſaltem, quomodo, in hoc aut alio quodam ſenſu eæ inſitæ eſſe, probentur.

§. XV.

Veſtigia, per quæ mens veritates multas aſſequitur.

PRimum ſenſus particulares *ideas* in ſe recipiunt, & vacuæ adhuc mentis capſulæ ſupellectilem ita ſuppeditant (35): quarum nonnullis cum mens paulatim fuerit aſſuefacta, reconduntur ſtatim in memoriam,

(34) Quando facultas noſtræ mentis ſuas exerit vires, & particulari, familiarique colloquio incipit deprehendere ideas, circa quas verſantur homines, tum inchoat characteriſticas notas enodare, eas referre inter ſe, convenientiam vel diſconvenientiam percipere, ac tandem veritates adipiſci. Sunt ne qui aſſerere audeant, hæc omnia nobis eſſe inſita, quia exercitio conſequimur, vel nobis ea ſentimus, ſtatim ac rationis uſum pertingimus? Si ita ſe res habet, pariter dicendum eſt, tot varios ſermones, quos ætate, commercio, ſolertia, præceptis obtinemus, vel obtinere eſt conceſſum, animo noſtro eſſe quoque inſculptos, atque ingenitos. Majus abſurdum dici non poſſe, puto.

(35) Pro vocabulo idearum Auctor ſumit hic impreſſiones organo ſenſorio factas. Quare credit impreſſiones has ad mentem pro-

riam, & vocibus ſubjiciuntur. Poſtea mens ulterius progreſſa, abſtractionibus utitur, & paulatim ad generalium nominum uſum pervenit. Hoc modo *ideæ* & ſermo, quæ ſunt materies, circa quam facultas ratiocinandi verſatur, menti ſuppeditantur: & vis rationis in dies magis elucet, prout materies augeſcit, circa quam verſatur (36). Etiamſi vero univerſalium *idearum* perceptio, & nominum earum generalium rationiſque uſus una fere in nobis naſcuntur; non video tamen, unde ex eo ſequatur, eas eſſe *innatas*: equidem fateor, quarundam veritatum notitiam maturius multo animo ineſſe, eo tamen modo mentem ſubeunt, quo ſatis probatur, eas haud ibi innaſci. Si diligenter enim attenderimus, videbimus haud innatas *ideas*, verum adventitias & e rebus externis provenientes, infantibus primum obverſari, & illorum animis imprimi. In *ideis*, hoc modo coacervatis, animadvertit animus, quaſdam inter ſe convenire, quaſdam pugnare, idque probabiliter ut primum memoriæ uſum aliquem experitur, ut primum ideas a ſe invicem diſcrepantes recipere & retinere poteſt: ſi vero temporis articulus iſte in dubium vocetur, hoc tamen certiſſimum eſt, illud multo prius contingere, quam ad loquelæ aut rationis uſum perveniri ſolet. Parvulus enim, antequam voces proferre poteſt, æque certo ſcit, quod ſit *idearum*

progredientes tot idearum ſupellectili ejus capſulam adimplere. Errat ſane. Mens baberetur tamquam potentia paſſiva, quod nullo modo concipi queit. Concedimus lubenter, in ſenſibus impreſſiones primum fieri, deinde ſenſorio communi, at pari modo in mente formari audacter negamus. Hac de re alibi diſputabimus.

(36) Ratio idearum, ſi recte video, habetur ex compoſita a numero impreſſionum organis ſenſoriis, & temporis diuturnitate, quo fiunt, vel repetuntur; aut, cæteris paribus, ut tempus, quo organa ſenſoria ſunt impreſſionibus expoſita. Hinc eſt, quod materies, circa quam facultas ratiocinandi verſatur, tractu temporis, & ſolertiorum commercio augetur. Quid mirum ergo quod pueruli, & qui ſolitarii vivunt, tamquam ſtupidi deprehendantur?

rum dulcis & amari diſcrimen (id eſt , quod dulce eſt , id non eſſe amarum) ac poſtea (cum fari incipit) abſynthium non eſſe mel , cognoſcit (37).

§. XVI. Puerulus haud novit tria & quatuor eſſe æqualia ſeptem , donec , partium numerum ineundo, numeri ſeptenarii ſummam conficere poteſt , atque nomen & *ideam* æqualitatis callet : tunc ſtatim , vocibus explicatis , enunciationi aſſentitur , aut potius iſtius veritatem perſpectam habet . Sed neque aſſenſum ideo tunc in promptu habet , quod veritas iſta ſit innata , neque ad illud tempus ideo aſſenſum diſtulit , *quod antea rationis uſus ipſi* defuerit ; at liquet ipſi veritas iſtius, quamprimum claras & diſtinctas *ideas* , quæ vocibus iſtis ſubſunt , animo comprehenſas & perceptas habet : tunc propoſitionis iſtius veritas, eadem ratione, & modo eodem ipſi innoteſcit , quibus antea cognovit , virgam non idem eſſe, ac ceraſum , aut poſtea cogniturus eſt : *Impoſſibile eſſe , idem ſimul eſſe , & non eſſe* , ut mox fuſius oſtendetur . Quo ſerius itaque quis univerſales *ideas* adipiſcitur , circa quas axiomata iſta verſantur ; aut, quibus illa exprimuntur, vocabulorum communium ſignificationem capit ; aut , quæ per terminos iſtos denotantur, *ideas* inter ſe in mente ſua componit : eo ſerius enunciationibus iſtis aſſentietur , quarum cum termini, uti & ideæ, quæ per illos ſignificantur , non magis animo innatæ ſint , quam felis aut muſtelæ ideæ , diutius morari neceſſum habebit, uſque dum tempus & diuturnior obſervatio in cauſa fuerint, cur familiarius in illis verſetur ; tunc ſtatim pe-

(37) Voces ſunt „ ſigna arbitraria quodam articulato ſono „ prolata ad animi ſenſa exprimenda „ . Supponunt ergo conceptus . Quam ob rem priusquam articulentur voces adſunt in mente ideæ, quibus voces debent referri . Vocabulis ablatis, non arguitur ideo idearum defectus . Pueruli ante loquelæ uſum dulcis, amarique ideam habent , ut experientia videmus , ergo agnoſcunt diſcrimen inter hoc illudque ſubjectum, & ſuaviori adhærent , etſi neſciant appellare .

penes ipſum veritatis axiomatum iſtorum erit perceptio, ut primum oblata erit occaſio *ideas* iſtas in mente componendi, & obſervandi, utrum, prout in propoſitionibus exprimuntur, inter ſe conveniant, nec ne. Atque inde eſt, quod homo æque evidenter ſciat, octodecim & novendecim eſſe æqualia triginta ſeptem, ac ſcit unum & duo eſſe æqualia tribus: puerulus vero non æque ſtatim priorem propoſitionem percipit, ac poſteriorem: quod non ex eo provenit, quod rationis uſu careat; verum quia *ideæ*, quæ vocibus octodecim, novendecim, & triginta ſeptem efferunt, haud facile adeo percipiunt, ac iſtæ, quæ per unitatem, duo & tria denotantur (38).

§. XVII.

Ex aſſenſu propoſitionibus dato, ut primum prolatæ ſunt, non ſequitur, eas innatas eſſe.

CUm igitur argumentum iſtud, petitum ab aſſenſu propoſitionibus dato, cum ad rationis uſum perveniatur, adeo infirmum ſit & plane Sophiſticum, nullamque conſtituat differentiam inter innatas (ut vulgo dicuntur) veritates, atque eas, quæ acquiruntur poſtea, & doctrina percipiuntur; homines navarunt operam, ut propoſitionibus iis, quas axiomatum innatorum nomine dignati ſunt, aſſenſum univerſalem aſſignarent, dicendo, iis vulgo *aſſenſum præberi*, *ut primum proponuntur*, & quoque voces in-

(38) Qui novam incolunt Zelandiam numerationem ultra ſuorum digitorum numerum non extendunt (*V. Viag. del Cap. Cook*). Fuere & alii adinventi, qui ad tertiam unitatem totam eorum arithmeticam terminabant (*V. Vojages de la Cundamin.*, *Condilac eſſ. de connoiſſ. human. tom. 1. ſect.* IV. *ch.* 1. §. 2. *not.* 4.) Ignorant ergo, etſi ad rationis uſum pervenerint, *octodecim*, & *novendecim trigintaſeptem efficere*, & per conſequens „ omne totum „ ſuis partibus eſſe æquale „.

intelligantur, quibus exprimuntur: cum omnes enim, neque etiam puerulis exceptis, auditis & intellectis vocabulis, propoſitionibus iis ſtatim aſſentiantur, ſatis exinde ſibi videntur probaſſe, eas inſitas eſſe. Quandoquidem enim homines, vocibus intellectis, de illarum veritate nullam unquam dubitationem habent, inde ſequi volunt, certo certius eſſe, veritates iſtas primigenias in intellectu ortum habuiſſe, mentemque, ſine ullo doctrinæ adjumento, ut primum proferuntur, ſtatim aſſentiri, neque unquam in poſterum de illis in dubium venire.

§. XVIII.

Si talis aſſenſus ſit innati principii criterium, tunc unum & duo eſſe æqualia tribus; dulcedinem non eſſe amaritudinem; & mille ejuſmodi neceſſario innata ſunt.

AD illud reſpondeo interrogando, utrum ſubitus *aſſenſus*, propoſitioni datus, ut primum *auditu* percipitur, & termini intelliguntur, certa ſit innati principii nota? Si non ſit, tunc fruſtra ex generali iſto aſſenſu illud probare conantur: ſi dicant vero, eum utique ingeniti principii notam eſſe, tunc fateantur neceſſe eſt, omnes iſtas propoſitiones nobis naturaliter inſitas eſſe, quibus, ut primum audiuntur, aſſenſus vulgo præbetur, quo pacto magna ingenitorum principiorum ipſis abundantia ſuppetet. Eadem enim de cauſa (nimirum ex aſſenſu propoſitionibus dato quamprimum audiuntur) qua axiomata hæc pro innatis haberi volunt, variæ propoſitiones ad *numeros* ſpectantes, innatorum principiorum in claſſem neceſſario etiam adoptandæ ſunt: nimirum, *unum & duo eſſe æqualia tribus*, *bis duo eſſe æqualia quatuor*, & multæ id genus propoſitiones, quæ primo ſtatim auditu omnium aſſenſionibus comprobantur, hac ratione axiomatum ingenitorum in numero ponentur. Neque numerorum tantum-

tummodo, &, quæ de illis fiunt, propoſitionum, ea prærogativa eſt: verum philoſophia naturalis etiam, atque aliæ ſcientiæ, propoſitiones ſuppeditant, quæ, ut primum intelliguntur, aſſenſum eliciunt. *Duo corpora non poſſe ſimul eſſe in eodem loco*, veritas eſt; cui haud ægrius omnes aſſentiuntur, quam huic axiomati, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*; *album non eſſe nigrum*; *quadratum non eſſe circulum*; *flavedinem non eſſe dulcedinem*; his & mille iſtiuſmodi propoſitionibus, omnibus ſaltem, quarum diſtinctas ideas habemus, nemo non, qui ſatis eſt ſanus, primo auditu, & intellectis nominibus, neceſſario aſſentitur. Hi igitur ſi ſibimet conſtare velint, & aſſenſum iſtum innati principii notam atque ſignum eſſe ſtatuant, neceſſe eſt, ut non ſolum pro numero diſtinctarum idearum, quæ hominibus inſunt, innatas quoque propoſitiones multiplicent; verum pro numero etiam enunciationum, in quibus diverſæ ideæ de ſe invicem quodam modo negari poſſunt. Cum omnis propoſitio, in qua altera diverſa idea de altera negatur, ſtatim, auditis & intellectis terminis, tam certo aſſenſum eliciat, quam catholica iſta, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, aut ea, quæ iſtius eſt fundamentum, &, quæ facilius intelligitur, *idem non eſt diverſum*: quo pacto, hujuſce generis, ut de aliis nihil dicam, propoſitionum ingenitarum myriadas efficient. Quoniam vero nulla enunciatio poteſt eſſe innata, niſi *ideæ*, circa quas verſatur, innatæ quoque ſint, id perinde eſt, ac ſi ſupponerent, omnes *ideas* colorum, ſonorum, ſaporum, figurarum, &c. innatas eſſe, quo nihil quidem rationi & experientiæ magis contrarium eſſe poteſt (39). Haud inficior univerſalem aſſenſum eſſe ve-

(39) Hæ univerſales propoſitiones, *album non eſt nigrum*, *pars non eſt totum*, *idem non eſt diverſum &c.* ſunt ſuis peculiaribus innixæ. Ideam *nigri*, *albi*, *partis*, *totius*, *ejuſdem*, ac *diverſi* perbelle ſupponunt; eſſent ergo & ideæ adhuc ſimpliciores, quod plane repugnat (20).

veritatis per ſe manifeſtæ notam; quoniam vero manifeſta perſpicuitas non notitiis, a natura in animum impreſſis, verum alia re nititur, (quemadmodum mox oſtendemus) ſequitur, eam ad alias propoſitiones pertinere, quas ingenitarum in numero nemo cordatus unquam recenſuit.

§. XIX.

Minus generales iſtiuſmodi propoſitiones ante axiomata univerſalia innoteſcunt.

NEc dici par eſt, magis particulares iſtas propoſitiones, per ſe manifeſtas, quibus auditis ſtatim aſſentimur, nimirum, *unum & duo eſſe æqualia tribus; viride non eſſe rubrum &c.* ſpectandas eſſe tanquam conſectarias propoſitionum iſtarum univerſalium, quæ innata principia vulgo habentur, nemo enim non, qui ad ea, quæ in animo fiunt, diligenter attenderit, manifeſto comperiet, haſce & id genus minus generales enunciationes a multis cognoſci, & eorum aſſenſionibus comprobari, qui magis univerſalia iſta axiomata plane ignorant; cum igitur prius ſint in mente, quam iſta prima (prout vulgo vocantur) principia, ideoque aſſenſum, quem audita ſtatim reperiunt, haudquaquam illis univerſalibus debent.

§. XX.

Ad illud reſpondetur, quod dicitur unum & unum eſſe æqualia duobus, non eſſe univerſale nec utile.

SI dicatur, propoſitiones iſtas, videlicet *bis duo eſſe æqualia quatuor; rubrum non eſſe cæruleum &c.* non eſſe axiomata generalia; nec magnam utilitatem in ſe habere, reſpondeo, illud nihil ad argumentum ſpectare, quod ab univerſali conſenſu, ter-

terminis auditis, deſumitur. Si enim illud innati principii certum ſit indicium, tunc omnis propoſitio, quæ audita ſtatim & intellecta omnium aſſenſionibus comprobatur, in numero ingenitorum effatorum æque neceſſario habenda eſt, ac illud axioma, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*; quoniam hoc reſpectu æqualia ſunt. Quod ad illud attinet quod dicitur, ea differre in eo, quod unum effatum altero univerſalius ſit, illud quidem efficit, ut hoc axioma ab ingenito longius diſtet: quoniam generales iſtæ abſtractæ *ideæ* primis conceptibus noſtris magis peregrinæ atque hoſpites ſunt, quam ideæ magis particularium, & per ſe manifeſtarum propoſitionum; ideoque non tam cito eas percipit adoleſcens intellectus, & aſſenſum illis præbet. Quod ad eam, quæ tantopere prædicatur, axiomatum iſtorum ſummam utilitatem ſpectat, ea fortaſſe, cum in ſuo loco diligentius & ſpecialius expendetur, hominum opinione minor eſſe deprehendetur.

§. XXI.

Ex eo, quod axiomata iſta nonnunquam haud prius innoteſcant, quam proponuntur, non ſequitur, ea ingenita eſſe.

NOndum ea miſſa fecimus, quæ de *aſſenſu, propoſitionibus dato ſtatim poſt auditos & intellectos terminos*, diximus; illud primum notandum putavimus, tantum abeſſe, ut ingenitorum principiorum nota ſit, ut contrarium potius inde probetur: ſupponit enim, plures, qui habeant aliarum rerum notitiam, hæc principia ignorare, quoad ipſis proponantur; & poſſe quempiam illarum eſſe inſcium, uſque dum auditione ea ab aliis excipiat. Si enim mentibus innaſcantur, quid opus eſt, ut nobis proponantur ad aſſenſum noſtrum eliciendum; cum ſignata ita in animo naturali, & primigenia impreſſione (ſi qua

qua hujuſmodi eſſet) non poſſent non antea nobis innoteſcere? Dicet quis, iſta, in eo, quod proponantur, clarius in animum ſignari, quam erant a natura impreſſa. Si hoc ita ſe habeat, inde ſequetur, hominem, poſteaquam ita edoctus fuerit, illa magis perſpicue ſcire, quam antea ſciverit. Unde ſequetur, principia iſta ex aliorum inſtitutione fieri manifeſtiora, quam ex ea notitia, quam in omnium animis impreſſit natura: quod cum opinione iſta, quam de innatis principiis mente comprehenderunt, male quidem congruit, & parum auctoritatis ipſis fœneratur; contra efficit, ut non videantur idonea, quæ ſcientiarum omnium ſint fundamenta, prout vulgo habentur. Negari non poteſt, plurimas ex iſtis, per ſe claris, veritatibus tunc primum hominibus innoteſcere, cum ab aliis proponuntur: hoc quando fit, homini liquet, ſe incipere, propoſitionem habere notam, quæ fuit antea ignorata, de cujus certitudine nunquam poſtea dubitatur: quod non ex eo provenit, quia innata erat; verum, quia res ipſæ, prout menti obverſantur, haud permittunt, ut aliter ſentiat is, qui de iis cogitat. Quod ſi omnia, quibus ſtatim, poſt auditos & intellectos terminos, homines aſſentiuntur, ingenitorum principiorum in claſſem adſciſci debent, tunc omnis deductio, ſolidis innixa fundamentis, quæ ex particularibus regulam generalem colligit, ingenita etiam habenda eſt. Cum tamen certum ſit, non omnes, verum ſagaces tantummodo mentes primum eas cogitando eruere, eaſque redigere in propoſitiones generales, non ingenitas, verum a familiari & diuturna rerum particularium animadverſione collectas. Hiſce obſervationibus, poſtquam ſemel a ſedulis rerum contemplatoribus dicto modo factæ fuerunt, viri inertes, & parum ſagaces, ut primum proponuntur, nequeunt aſſenſum denegare (40).

§. XXII.

(40) Ad nauſeam uſque hæc repetit argumenta; eſt ſupervacaneum hic amplius immorari, per conſequens ea ſicco pede tranſigam.

§. XXII.

Implicite cognoſci antequam proferuntur, ſignificat mentem poſſe ea cognoſcere, aut nihil omnino ſignificat.

SI dicatur, mentem habere *implicitam cognitionem* horum principiorum, non vero *explicitam*, antequam primo audiuntur (quod dicere neceſſum habent, qui dicunt, ea prius in mente eſſe, quam actu cognoſcantur) quid ſibi velit *principium implicite in animo ſignatum*, difficile eſt, intelligere; niſi hoc velint, eſſe nimirum in animo facultatem iſtiuſmodi propoſitiones intelligendi, iiſque firmiter aſſentiendi, Hoc modo demonſtrationes omnes mathematicæ, haud minus, quam prima principia, pro naturaliter in animum impreſſis neceſſario habendæ ſunt; quod apud illos vix fidem reperiet, qui difficilius eſſe experiuntur, propoſitionem quandam demonſtrare, quam demonſtratæ aſſentiri: & pauci, puto, mathematici illud temere ſibi perſuaſum habebunt, delineata ab ipſis diagrammata omnia, non niſi ſimulacra eſſe characterum, quæ natura in animo inſcripſit (41).

§. XXIII.

(41) Quidam Arabes, Maurique non diverſo modo cenſebant. Mentem apud ſe rerum ſpecies tenere, quæ excitentur a rebus duntaxat externis, dixere. (*V. Pic. tom. 1. pag.* 50). Quare arbitror, quod nihil aliud ſenſere, quam animis eſſe cognitionem principiorum *implicitam*, vel diffuſius rerum omnium. Pervulgatum eſt in ſcholis „ nihil ad actum reduci, niſi per ens „ actu „ ergo actualis cognitio, vel quod idem puto, cognitio *explicita* pendet ab actu mentis, vel quod idem ſonat, a potentia facultatis mentis percipiendi ad actum redactam. Recte Lockius, ſi propter habendi potentiam dicemus, nos habere ideas & nobis eſſe congenitas, contra regulas a potentia ad actum argumentamur; diceremus ergo, homines rudiores ideas omnium mathematicorum theorematum habere, non alia ratione, quam perpoliti Theoremata ipſa conciperent.

§. XXIII.

Argumentum ab aſſenſu poſt terminos auditos falſo nititur fundamento, quaſi nihil novi perciperemus, dum has propoſitiones audimus.

VEreor, ne ſuperius illud argumentum in hoc etiam mancum ſit ac debile, quod nobis perſuadere conatur, axiomata iſta, quibus *primo auditu* homines aſſentiuntur, ideo ingenita eſſe cenſenda, quod aſſenſus propoſitionibus præbeatur, quæ non ex præeunte quadam doctrina, neque vi argumenti aut demonſtrationis cujuſvis, verum explicatione nuda & perceptione terminorum innoteſcant. Huic opinioni fallacia in eo mihi videtur ſubeſſe, quod nimirum ſupponat, homines nihil doceri, nec diſcere quippiam de novo; cum revera quædam edoceantur, quæ ignorabant antea. Primo enim liquet, eos didiciſſe hac occaſione terminos atque illorum ſignificationem, quorum neutrum cum illis erat congenitum. At neque id ſolummodo: *ideæ* ipſæ, circa quas propoſitio verſatur, non magis congenitæ ſunt, quam ipſa nomina, verum poſtea acquiruntur. Adeo ut in omnibus propoſitionibus, quibus primo auditu aſſenſus præbetur, cum neque propoſitionis termini, neque talium idearum ſignificatio, nec, quæ per terminos iſtos ſignificantur, ideæ ingenitæ ſint; ſcire pervelim, quid reliquum ſit in iſtiuſmodi propoſitionibus, quod dici poſſit ingenitum. Quis enim propoſitionem mihi commemorabit, cujus aut termini, aut ideæ nobis naturaliter inſitæ ſint? Nos ſenſim ſenſimque *ideas* & nomina adipiſcimur, & propriam illorum cum ſemet invicem connexionem diſcimus; tunc propoſitionibus, ſub terminis a nobis comprehenſis, & quibus exprimitur ea, quæ in ideis noſtris inter ſe compoſitis percipi poteſt, convenientia, & repugnantia, nos primo auditu aſſentimur; etiamſi aliis pro-

poſitionibus, in ſe æque certis ac perſpicuis, quæ tamen circa *ideas* verſantur, quæ neque tam facile, nec tam cito percipiuntur, nos eodem tempore nullo modo aſſentiri poſſumus. Etſi enim *parvulus* huic propoſitioni ſtatim aſſentitur, *pomum non eſt ignis*, poſtquam ex uſu familiari duarum iſtarum rerum *ideæ* diſtincte in ejus animum fuerunt impreſſæ, ipſeque didicit, vocabula iſta *pomum & ignem* ad has res exprimendas uſurpari; idem tamen parvulus non niſi poſt aliquot, fortaſſe, annos, huic aſſentietur propoſitioni, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe*, *& non eſſe*. Cauſa eſt, quoniam, quamvis nomina poſterioris propoſitionis fortaſſe haud difficiliora ſint intellectu, quam prioris: tamen cum illorum ſignificatio latius pateat, atque abſtractior ſit nominum ſignificatione, quæ rebus iis ſenſibilibus imponuntur, quæ puero quotidie obverſantur; ideoque perfectam illorum notitiam tardius aſſequitur, & tempore adhuc opus eſt, ut generales iſtæ ideæ, quæ his terminis enunciantur, accurate poſſint in ejus animo formari; priuſquam id fiat, fruſtra quis operam & ſtudium navabit, ut propoſitioni ex generalibus iſtiuſmodi terminis conflatæ puerulus aſſenſum præbeat, eamque percipiat. Quamprimum vero *ideas* iſtas perceperit, & illarum nomina didicerit, ipſi æque promptum & expeditum erit uni e prius memoratis propoſitionibus ac alteri aſſentiri; & quidem utrique eadem ex cauſa; nimirum quia videt *ideas*, quas in mente habet, convenire aut repugnare ſibi invicem, prout vocabula, quæ pro iis ſubſtituuntur, in propoſitione de ſe invicem affirmantur, aut negantur. Si vero propoſitiones ipſi proferantur in vocibus, quæ pro *ideis* ſupponunt, quas nondum mente comprehendit: iſtiuſmodi propoſitionibus, quomodocunque in ſe veris aut falſis, neque ſuffragatur, neque refragatur, verum ſe plane inſcium eſſe, oſtendit. Cum voces enim ſoni tantummodo inanes ſint, niſi in quantum ſigna ſunt idearum, illis neceſſario proinde aſſentimur, ut con-

ſen-

ſentaneæ ſunt *ideis*, quas habemus, ulterius vero nequaquam (42). Cum vero noſtri ſit inſtituti in ſequenti tractatu omnes gradus & progreſſus inveſtigare, per quos ſcientia in animos intromittatur, nec non rationem variorum graduum aſſenſus palam lectori facere, ideoque inpræſentiarum ſatis mihi viſum eſt, hic aſſenſum iſtum breviter tantum perſtringere, tanquam argumentum unum, quod me impulit, ut ingenita iſta principia in dubium vocarem.

§. XXIV.

Principia non eſſe innata, quia non iiſdem univerſaliter omnes aſſentiuntur.

UT argumento huic, ab univerſali conſenſu deſumpto, finem tandem faciam, ingenitorum principiorum patronis illud concedam, iis, ſi modo ingenita ſint, univerſalem aſſenſum neceſſario eſſe tribuendum. Veritatem enim quandam eſſe ingenitam, nec tamen hominum animos allicere ad aſſentiendum, mihi æque difficile ac inexplicabile videtur, ac ſi quis diceret, hominem veritatis cujuſdam gnarum ſimul & ignarum eſſe. Ex horum vero confeſſione liquet, ea non poſſe ingenita eſſe; quoniam neque eorum, qui terminos ignorant, neque multorum ex iis, qui, quamvis terminorum non ſint ignari, pro-

(42) Mens noſtra mirabilem habet facultatem aliquibus ſignis mere arbitrariis ſuas ligare ideas & cogitationes. Etſi inter ideam & ſignum nulla ſimilitudo extet, tamen mens repræſentatione iſtius illam, quæ cerebro quaſi ſopita jacebat, quit revocare. Paucæ elementares literæ vario modo connexæ ideas nobis olim habitas excitant, & renovant continuo. Quam ob rem nos cuilibet aſſentimur, ſi vocabula reviviſcant ideas, uſu & experientia habitas, quorum convenientiam vel diſconvenientiam percipimus, & eo celerius, quo magis ejuſmodi facultatis actus conficitur.

poſitiones tamen iſtas neque cogitatione neque auditu introductas in animum receperunt, aſſenſu comprobantur; quo in numero longe maximam hominum partem eſſe arbitror. Si vero numero pauciores eſſent, ſatis forent ad univerſalem iſtum aſſenſum convellendum, & quidem liquido pateret, propoſitiones iſtas non eſſe ingenitas, ſi ſoli tantum pueruli eſſent illarum ignari.

§. XXV.

Axiomata hæc non eſſe primo cognita.

NE vero illud mihi vitio detur, quod a cogitationibus infantulorum, quæ nobis incognitæ ſunt, argumenta ſumam, atque iis, quæ prius animis illorum obverſantur, quam ea vocibus exprimant, controverſiam hanc dijudicem; ulterius dico, duas iſtas propoſitiones generales, de quibus jam diſſeruimus, non eſſe veritates, *quæ ante alias omnes parvulorum mentes occupant*; neque acquiſitis omnibus & adventitiis notionibus inibi priores eſſe: prout revera forent, ſi ingenitæ eſſent, haud magni refert, utrum momentum illud temporis definiri poſſit, necne; certo certius eſt, eſſe aliquod tempus, quo pueruli rerum ſpecies percipere cogitatione incipiunt, id quod ex verbis & actionibus illorum compertum habemus. Cum itaque penes ipſos ſit cogitatio, cognitio, aſſenſus, quiſnam rationis particeps ſtatuet, ipſos ingenitarum notionum, ſi quæ iſtiuſmodi in animis ſignarentur, ignaros fuiſſe? Num quis id probabile eſſe dicet, ipſos ſenſibus & mente, quæ extra ſunt, percipere, & tamen eodem tempore illorum inſcios eſſe characterum, quos natura ipſa intus impreſſit? consentaneumne eſt, eos notiones adventitias ſcire, & aſſenſu comprobare, eas vero neſcire, quæ ipſis a primo ortu ingenerari, & characteribus, nunquam delendis, ideo in animo imprimi vulgo cenſentur, ut

ut omnis acquiſitæ ſcientiæ fundamenta ſint & fontes, & ut in futuris ratiocinationibus lumen menti præſerant? Exinde ſequeretur naturam aliquid fruſtra moliri; aut ſaltem, male characteres ſuos exprimere, cum ab iis ipſis, quibus aliæ res ſatis clare perſpiciuntur, nequeant diſcerni. Et quidem male ſupponitur, eas maxime perſpicuas eſſe veritates, & tanquam fundamenta ſcientiis omnibus ſubſterni, quæ non ſunt primo cognita, & ſine quibus etiam certa rerum aliarum cognitio comparari poteſt. Puerulus certo ſcit, *nutricem*, e qua lactatur, neque *felem* eſſe, *quacum ludit*, nec quem formidat, *Æthiopem*; *ſemen ſantonicum*, aut *ſinapi*, quod aſpernatur, non eſſe *pomum* aut *ſaccharum*, quod ardenter petit. Hoc certiſſime & dubio procul omni novit: Quis vero dicet, eum vi hujuſce propoſitionis, *idem non poteſt ſimul eſſe*, & *non eſſe*, hiſce & aliis notitiis tam firme aſſentiri? vel puerulum notitiam aut apprehenſionem quandam iſtius propoſitionis ea ætate habere, in qua conſtat ipſum plurimas alias veritates habere perſpectas? Qui affirmare conabitur, puerulos generales iſtas notiones abſtractas habere eo tempore, quo incipiunt pupas & crepundia ſua agnoſcere, de eo vere fortaſſe dici poſſit, pertinacius ſententiæ ſuæ inhærere, majorique zelo & contentione dogmata ſua amplecti, quam infantes, ſinceritate tamen eos non æquare.

§. XXVI.

Ideo non innata.

Etiamſi ergo plurimæ ſint propoſitiones generales, quæ conſtanter aſſenſum reperiunt, ut primum iis proponuntur, qui ætate ſunt provectiores, qui magis generalium abſtractarumque idearum, &, quæ pro iis ſubſtituuntur, nominum uſum didicerunt; cum tamen nondum in iis reperiantur, qui pueri ad-

adhuc ætate ſunt, & qui nihilominus tamen multa alia cognoſcunt, affirmari haud poteſt, quod eæ generali omnium aſſenſu comprobentur, proinde etiam nullo modo inter axiomata ingenita recenſeri poſſunt. Fieri enim non poteſt, ut veritas, quam natura nobis ingenuit, (ſi qua ejuſmodi eſſet) foret incognita, aut cuipiam ſaltem, qui aliud quippiam notum habet. Si veritates enim ingenitæ ſint, eas cogitationes ingenitas eſſe neceſſe eſt: cum nihil in animo veritas dici poſſit, de qua cogitationem nullam unquam ſuſcepimus; ex quo patet neceſſarium eſſe, ut, ſi quæ ſint veritates ingenitæ, *primæ omnium in cogitationem cadant*, primæque in animo cernantur (43).

§. XXVII.

Non innata, quia minimum ibi apparent, ubi tamen innata eſſent, maxime elucere debebant.

SAtis probatum eſt, axiomata iſta generalia, quæ in diſceptatione verſantur, puerulis, *indoctis* ſeu *ſtupidis*, & magnæ hominum parti non eſſe cognita: ex quo emergit, ea non omnium aſſenſu comprobari, neque omnibus in univerſum mentibus eſſe impreſſa. Ea non omnium animis ingenerari, illud inſuper argumento eſt: quod characteres iſti, ſi natura in animis imprimerentur, deberent in illis *clariſſime*, *diſtinctiſſimeque* elucere, in quibus tamen nulla ipſorum veſtigia adhuc reperiuntur: & quidem mea

(43) Conſequentia legitime deducitur. Si notio quædam nobis eſt congenita, deberet mens ipſius eſſe conſcia. Haberet ſecus cauſam, ut ita dicam, effectibus in ſe deficientibus: Quæ veritas dari quit, neglecta cognitione? Nullam ſane. arbitror. Ergo ſi cuilibet veritati omnes non aſſentiuntur homines, dicendum, quod pro veritate eam in comperrum non habent, & per conſequens ratio diſparitatis extet non in re, quia eadem eſt, non in ſubjecto, quia, ut mens, pari facultate, ac conditione eſt præditum, verum in modis, vel quod idem ſonat, in experientia, uſu, commercio &c.

mea opinione, ſuſpicari par eſt, eos non eſſe ingenitos; quoniam illos homines maxime latent, in quibus, ſi ingeniti eſſent, vires ſuas præcipue exerere debebant. Cum enim *queruli*, *idiotæ*, *feri homines* & *literarum* rudes, mala conſuetudine, & pravis opinionibus omnium minime ſunt corrupti; eo quod educatio & doctrina haud primæva mentis cogitata in novas & aſcititias formas detorſerit aut *conjecerit*; neque aliena & ad certos fines conficta dogmata introducendo, ſignatos a natura in ipſorum animis characteres luculentos permiſcuerit; ideoque rationi conſentaneum eſt, ut naturales atque inſitæ iſtæ notiones nudæ paterent, & ſe in omnium conſpectum darent, quod de parvulorum cogitationibus liquido conſtat. Suadet inſuper ratio, ut, principia iſta dementibus perfecte cognita eſſe debere, fateamur; cum enim immediate ſint in animo ſignata, (prout illi arbitrantur) ab organis aut conſtitutione corporis haudquaquam pendent, illud vero inter illos & reliquos mortales unicum eſſe diſcrimen, omnibus fere in confeſſo eſt (44). Crederet aliquis, ex horum principiis illud conſequens eſſe, ut omnes iſtius luminis radii primigenii (ſi qui id genus revera darentur) in iis, qui nullis prorſus ſimulationis ac diſſimulationis integumentis cogitationes ſuas obvolvunt, pleno ſuo ſplendore fulgerent, efficerentque, ut de illorum principiorum in iis hominibus exiſtentia non magis dubitaremus, quam dubium eſt, num ii voluptates perſequantur, & dolorem refugiant. At, proh dolor! in *puerulis*, *idiotis*, *agreſtibus hominibus* & *literarum* plane rudibus quæ veritates univerſales reperiendæ ſunt? quæ cognitionis principia

(44) Veſani has veritates internoſcerent, ſi animo eſſent inſculptæ. Ratio earum cognitionis in animo deprehenderetur, hinc non immutarentur inſania; nullam conditionem amiſit vel facultatem, & turbata imaginatione ex mutatione in cerebro exorta, non turbarentur notiones, neque alterarentur profecto.

pia univerſalia ? illorum notiones paucæ ſunt & anguſtiſſimæ, ab iis tantum objectis ingeſtæ, quæ ſunt in uſu quotidiano, & quæ ſpecies ſuas frequentiſſime fortiſſimeque in animum illorum imprimunt (45). Novit parvulus nutricem & cunas, & paulatim procedente ætate, luſoriam quoque agnoſcit ſupellectilem: eadem ratione procax atque petulans puer mente fortaſſe ſua complectitur ideas amoris & venationis, prout hæ res inter ipſius familiares uſu veniunt, de iiſdemque rebus toto cogitat pectore. Si quis vero abſtracta iſta axiomata, atque, ut vulgo vocantur, principia ſcientiarum in ejuſmodi rudi indoctoque puerulo, aut agreſti quodam ſylvarum incola requiſiverit, vereor, ne ſe turpiter deceptum deprehendat. Propoſitiones iſtiuſmodi generales rariſſime in tuguriolis *Indorum* proferuntur; & illæ minus adhuc inter puerorum cogitata apparent, aut in fatuorum animis, in quibus ne ſcintilla quidem rationis deprehenditur, illarum impreſſiones aliquæ reperiuntur. Eæ ſententiarum formulæ Scholarum ſunt propriæ, atque ſermo iſte academiis tantum atque togatæ genti notus eſt, inter quos Dialecticorum artes, & de quolibet ente diſputandi conſuetudo viget & in honore eſt: hæc enim axiomata ad artificiales argumentationes & adverſarios refutandos inſerviunt; ad veritatem autem explorandam, aut ſcientias promovendas haud multum conducunt (46). At quam nullius plane uſus ſint ad ſcientias promovendas, fuſius oſtendendi (Vid. Lib. IV. Cap. VII.) infra occaſio mihi offeretur.

§. XXXVIII.

(45) Hac de re ſatis ſuperius (29. 38.)

(46) Videbimus loco ab Auctore noſtro citato, an conferant hæ veritates ad ſcientias promovendas.

§. XXXVIII.

Ανακεφαλαίωσις.

QUam abſurdæ hæ demonſtrationes meæ iis ſint apparituræ, qui artem veritates diſturbandi probe callent, augurari nequeo: probabile eſt, eas primo auditu a nemine comprobatum iri. Vellem itaque, ut præjudicatis omnibus opinionibus paululum poſthabitis, inducias mecum paciſcerentur, & judicia ſua tamdiu tenerent ſuſpenſa, nec prius me condemnarent, quam donec perceperint, quid procedente hac tractatione ſim propoſiturus: libenter enim hoc meum opus a cordatorum hominum ſanioribus judiciis emendari cupio. Quapropter, quia, procul ab omni ſtudio partium remotus, veritatis inveſtigationi memet trado, non feram illud moleſte, ſi quis oſtenderit, me mearum opinionum nimis eſſe ſtudioſum; prout vulgus ſcriptorum eſſe ſolet, poſtquam eorum mens acri intentione cogitationum & diuturnis lucubrationibus incaluit.

Ut omnia verbo dicam, haud ego video, cur duo præclara iſta axiomata ſpeculativa pro innatis habeantur: cum non univerſorum aſſenſum obtinuerint; & qui generaliter iis præbetur aſſenſus, haud differt ab eo, quem propoſitionibus præbemus, quas tamen haud ingenitarum nomine dignamur: cum aſſenſus inſuper, qui iis tribuitur, alio modo producatur, non a naturali inſcriptione provenire poteſt, id quod in hoc tractatu me clare oſtenſurum, nullus dubito. Quod ſi *prima hæc principia* cognitionis & ſcientiæ non *innata* eſſe deprehendentur, credo, *dignitatem iſtam haud aliis quibuſdam pure ſpeculativis axiomatibus potiori jure tribuendam eſſe* (47).

CAP.

(47) Hactenus de veritatibus ſpeculativis: Colligimus argumenta. 1. non omnes aſſentiuntur veritatibus, quæ ingenitæ di-

C A P. II.

Nulla principia practica nobis naturaliter inſita ſunt.

§. I.

Nulla principia moralia tam clara & generaliter ſunt recepta, quam quidem ſuperius commemorata axiomata ſpeculativa.

SI axiomata iſta *ſpeculativa*, de quibus in ſuperiori capite diſſeruimus, haud univerſi generis humani aſſenſionibus actu comprobantur, prout ibidem demonſtravimus; manifeſtius eſt, haud *univerſos practicis principiis aſſentiri* : & quidem valde difficile eſſe credo, moralem quandam regulam reperire, quæ generalem adeo ac promptum ſibi aſſenſum jure promittere poſſit, ac, *quicquid eſt*, *eſt*, aut quæ æque manifeſte vera ſit, ac axioma illud, *impoſſibile eſt*, *idem ſimul eſſe*, *& non eſſe*. Ex quo patet, ea ingenitorum nomen minime mereri, & majorem nobis de practicis hiſce principiis dubitationem exoriri, quam quidem de reliquis, ſive in animis noſtris imprimantur a natura, nec ne. Ex eo tamen haud *veritas* illorum in dubium vocatur. Æqualiter *vera* ſunt, etiamſi non ſint æque *evidentia*

dicuntur (29.). II. Alicui veritati aſſenſus non diverſo modo præbetur, quam illis, quas haud ingenitas nuncupamus (41). III. Notiones nobis proveniunt modo toto cælo diverſo, quam ab inſcriptione animo facta. (34.36.37.) ut Lockius ſingillatim inferius oſtendet, ergo nullam veritatem ſpeculativam nobis eſſe congenitam, oportet fateri.

tia (48). Axiomata ſpeculativa ſuam in ſe evidentiam continent: principiorum autem moralium veritas & certitudo non ſine ratiocinatione, mentiſque exercitatione innoteſcunt. Haud conſignatorum in animis naturalium characterum ad inſtar omnibus perſpicua ſunt; ſi qua vero iſtiuſmodi revera eſſent, propria, quam a natura accipiunt, luce innoteſcerent ſtatim, atque omnibus ante oculos verſarentur. Hoc

(48) Veritas diſpeſcitur a philoſophis in *naturalem* ſive *metaphyſicam*; *moralem*, & *logicam*. *Naturalem* definimus „ per ordinem „ propter quem quoddam habet rationem ſufficientem ſui „ *Moralem* ſive *Ethicam* „ per convenientiam, vel conſenſum ſignorum „ externorum cum animi noſtri conceptibus „ Logicam denique, „ per congruentiam noſtrarum repræſentationum cum iis quæ „ realiter ſunt „ vel ut ait Genuenſis noſter „ per congruentiam „ eſſentialium rationalium vel nominalium cum realibus „ (*V. El. Met. par. pr.* §. 74 *pag.* 61.). Veritatem metaphyſicam, quam Wolfius tranſcendentalem quoque appellat (*V. Ontol lat.* §. 495.). Duplici ſenſu ſumunt Scholaſtici, videlicet veritatem *Exiſtendi*, & veritatem *Eſſendi*. Exiſtendi „ per id „ quo aliquid revera exiſtit non fingitur „. Quidquid realiter exiſtit, habet rationem ſufficientem, qua potius exiſtat, quam ea non exiſtat. Eſſendi poſtea „ per affectionem, qua res habet „ quæ debentur eſſentiæ, & naturæ ipſius „. His veritatis notionibus aſſentitur *SCHLOSSERUS*, qui ait „ tum habet eſſentiam „ debitam, ſi is ibi obſervetur ordo, ut principio rationis ſuf„ ficientis conformiter omnia fiant, atque adeo ſecundum hanc „ ſimilitudinem omnia ordine ſuo ex natura entis ſequantur, „ ita ut ex conceptu quodam primario concipere poſſis attribu„ ta reliqua, & modorum adſit etiam ratio, in aliis quibus re„ bus extraeſſentialibus „ (*V. Diſſ. Epiſtol ad Hoheiſel. De ideis pag* 23.). Ex his ſequitur, omnia æqualiter eſſe vera, & ſi non ſint æque evidentia, quatenus veritate metaphyſica conſiderantur, concedimus; quatenus veritate logica contemplentur, negamus. Nos diſquirimus de conceptibus animo inſculptis, ergo habere debet relationem ad ipſos conceptus de quadam re habitos; ut & quoque ad ipſam rem: per conſequens veritas, de qua inpræſentiarum argumentamur, eſt logice ſumenda; quam ob rem falſum reputamus, nobis vera eſſe quæ non ſunt evidentia, nec poſſumus habere de eis veritatem eſſendi, neque veritatem exiſtendi, priuſquam non adſit congruentia inter conceptus & res,

Digitized by Google

Hoc vero de illorum veritate & evidentia non magis derogat, quam veritati & evidentiæ iſti, *tres nimirum angulos trianguli eſſe æquales duobus rectis*, ex eo derogatur, quod hæc practica principia non æque evidentia ſint, ac axioma illud, *totum eſt majus ſua parte*; neque primo auditu omnium aſſenſum obtinent. Nobis ſatis illud eſſe debet, quod regulæ iſtæ morales poſſint demonſtrari; quapropter noſtra culpa ſit, ſi non certam illarum cognitionem attingamus. Iſta autem illorum principiorum ignoratio, in qua plurimi verſantur, & tardus aſſenſus, quo recipiuntur ab aliis, probant manifeſte, iſta non ingenerari nobis, nec ea eſſe, quæ, ſine ulla inquiſitione, per ſe in mentem incurrant (49).

§. II.

Fides & juſtitia haud ab omnibus pro principiis recipiuntur.

An dentur revera moralia iſtiuſmodi principia, de quibus inter omnes convenit, penes illum judicium eſſe velim, qui in hiſtoria generis humani fuerit aliquantulum verſatus. Et ubinam gentium practica iſta veritas reperienda eſt, quæ ſine omni dubitatione & controverſia univerſorum aſſenſum obtinet, quod fieri neceſſe eſt, ſi modo ſit innata? de juſtitia & pactorum fide ſervanda inter maximam partem hominum conventum eſſe videtur. Opinio iſta in ſicariorum latebris, & perditiſſimorum nebulo-

(49) Ad internoſcenda principia moralia, hoc eſt, veritatem eorum, quæ reſpondeant animi conceptibus una cum ſignis externis, requiritur, ait Lockius, ratiocinatio & exercitatio mentis, quod non requiri in principiis pure ſpeculativis, ſupponit. Si non dantur notiones congenitæ, quæ veritates univerſales complectuntur, & in ſe evidentiam continent, ut axiomata, nec quoque dari queunt notiones congenitæ practicorum principiorum, quorum veritas innoteſcit tantum vi ratiocinationis.

lonum ſodalitiis obtinet; & qui longius a manſuetudine abſunt, humanitatemque propemodum omnem exuerunt, ſervant inter ſe pactorum, & juſtitiæ fidem. Etiamſi vero latronum inter ſe invicem ſint leges, quibus religioſe parent, illud tamen non ex eo provenit, quod leges iſtæ fuerint *innatæ*: leges iſtas ſervant, tanquam utiles regulas, quibus Societas, quam inierunt, & vitæ ipſorum communitas continetur: incredibile vero eſt, illum *juſtitiam*, tanquam practicum principium, complecti, qui eodem tempore, quo cum iis juſte agit, quos latrocinii participes & ſocios fecit, virum innocuum, quemcumque primum obvium habet, vita aut bonis certe omnibus ſpoliat. Juſtitia & veritas communia ſunt humanæ ſocietatis vincula; ſicarii itaque, qui reliquorum omnium communioni nuncium remiſere, juſtitiam inter ſe colant neceſſe habent, alioquin ſocietas ipſorum ſtatim dirimetur. Num quis vero dicet, eos, qui maleficio & rapto vivunt, a natura hauſiſſe principia veritatis & juſtitiæ, quibus aſſenſum præbuere? (50)

§. III.

---

(50) Vim educationis addam. Nos æque proclives ſumus tam veritatibus, quam erroribus, taliter ut pari facilitate alterutris nos imbuere quimus. Verum eſt, quod Cicero altera ex parte ait; *Nunc pauculos igniculos nobis dedit* (*NATURA*), *quos celeriter malis moribus, opinionibuſque depravatis ſic reſtinguimus, ut nuſquam naturæ lumen appareat*. *Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam perduceret* (*V. Tuſcul. lib. 3. 1.*). At verum eſt adhuc, quod nec factis, neque ratiociniis hæc ad bonum ſemina demonſtrari queunt. Videmus quotidie ratione *commercii*, *educationis*, *præceptoris*, ac *librorum*, quibus utuntur homines, bonis, vel malis doctrinis, ac moribus ſe imbuere. Ipſemet Cicero ita ſubdit. *Nunc autem ſimul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum diverſitate verſamur, ut pene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe, videamur. Quum vero parentibus redditi, & magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat.* (Quo modo hæc natura demonſtrari poſſit,

non

§. III.

Objectioni reſpondetur, qua dicitur, homines in ſermonibus ſuis aſſenſum iis præbere, in praxi vero contrarium facere.

DIcet fortaſſe aliquis, *ipſos videre meliora tacitoque mentis aſſenſu comprobare, deteriora vero ſequi*. Reſpondeo *primum*, me ſemper in ea fuiſſe opinione, actiones hominum optimas eſſe cogitationum interpretes; quoniam vero plerique omnes factis, nonnulli dictis ſuis, principia hæc vocarunt in du-

non video): *accedunt etiam Poetæ, qui quam magnam doctrinæ ſapientiæque ſpeciem præ ſe tulerunt, audiuntur, leguntur, ediſcuntur, & inhæreſcunt penitus in mentibus. Tum vero accedit eodem quaſi maximus magiſter Populus, atque omnis uṡique ad vitia conſentiens multitudo* (*ib.*). Quam ob rem luculentius vides, quod non inficiamus juſtitiæ, ac veritatis notionem apud latrones, & ſicarios extare; *Cujus* (juſtitiæ) *tanta vis eſt*, ait Cicero, *ut nec illi quidem, qui maleficio, aut ſcelere paſcuntur, poſſint ſtare ſine ulla particula juſtitiæ*. (*V. de Off. lib.* II. *cap.* XI.) tantum negamus, eam eſſe congenitam, & tamquam ſui ipſius naturæ impreſſam: neceſſitate, dictis, uſu, auctoritate, vel uno dicam verbo, educatione ea acquiritur. Paſſim, ſingillatimque videbimus, non omnibus eamdem eſſe normam, juxta quam homines debent actiones ſuas dirigere, ſed permagnę differre, atque modificari. Populo, propter quem leges fuere efformatæ ait Monteſquieu, (*V. Spir. delle leg. l.* I. *cap. III.*) debent eidem ita apprime convenire, ut pro ſingulari caſu haberi queat, ſi leges nationis unius alteri congruere poſſint. Et revera ſi homines in quibuſdam convenirent ideis, juxta illas degerentque vitam, etſi ad normam, quam nos recti appellamus, ejuſmodi ideæ non extent, tamen ad normam recti ii agere viderentur. *Anticipationes*, inquit Verulamius, *ſatis firmæ ſunt ad conſenſum; quandoquidem ſi homines omnes inſanirent ad unum modum, & conformiter, illi ſatis inter ſe congruere poſſent*. (*V. in nov. org. lib.* 1. *aph.* 27.). Quando vellemus ergo contra Lockium dicere, ejuſmodi juſti, injuſtique notiones adhuc animo maleficorum ineſſe, non ideo ſequitur, eſſe ingenitas, atque inſculptas, ſi occaſionibus extrinſecis adipiſci, videmus.

dubium, aut negarunt prorſus; idcirco fieri non poteſt, ut ea univerſali aſſenſu comprobari perhibeantur; (etiamſi aſſenſum eum in adultis tantummodo quæreremus) ſine quo tamen nullo modo ea *ingenitorum* principiorum numero inferri poſſunt. *Secundo*, haud conſentaneum eſt, quæ in contemplatione terminantur, ea *innata* principia practica vocari. Practica principia, a natura inſita, operationis ergo nobis ingenerantur, quæ niſi actionis conformationem æque, ac ſpeculativum aſſenſum producunt, ab axiomatibus ſpeculativis fruſtra diſtinguuntur (51). Fateor equidem inſitam eſſe nobis a natura *cupiditatem beatitudinis*, & *miſeriæ averſationem*: hæc quidem ſunt innata principia practica, quæ (quod de principiis practicis dici par eſt) operari nunquam deſinunt, verum perpetuo nos ad agendum exſtimulant. His nullos non, cujuſcumque demum ſint ætatis, conſtanter univerſaliterque imbutos eſſe obſervari poteſt: hæ vero noſtri tantum appetitus propenſiones ſunt ad bonum, non ſignatæ in intellectu veritatis impreſſiones. Haud inficior, propenſiones quaſdam naturales in mentibus hominum imprimi; iiſque ſtatim, poſtquam ſenſu aliquid guſtare incipimus, quædam grata, quædam injucunda eſſe; nonnulla eſſe, quorum ſtudio tenentur, alia, quæ declinant: hoc vero pro characteribus animo *ingenitis* neutiquam facit, qui ſint cognitionis principia, praxin noſtram dirigentia. Tantum abeſt, ut *ſignatis* in animo impreſſionibus hoc fidem faciat, ut *contrarium* potius inde colligatur (52): quoniam ſi certi eſſent characteres,

(51) Recte argumentatur Lockius; principia practica vel moralia ſupponunt actiones, ſecus diſtinguerentur male a ſpeculativis. Verum qualis actio eſt nobis congenita? nulla porro.

(52) Non ſunt neque eſſe poſſunt. Ante experientiam animus nullam habet inclinationem, nam nullam rationem ſufficientem illius viſimus, ut modo dicemus.

res, a natura in intellectum ſignati, tanquam cognitionis principia, operationes illorum in intellectum ſentiremus, prout alia ſentimus, quæ in voluntatem & appetitum operantur, quæ indeſinenter omnium actionum noſtrarum incitamenta ſunt, quorum in nobis ſtimulos perpetuo ſentimus (*) (53).

§. IV.

Regulæ morales probandæ ſunt, ergo non ſunt innatæ.

RAtio altera, propter quam practica iſta principia a natura *ingenita* in dubium incertumque a me revocantur, ea eſt, quod exiſtimem, nullam regulam moralem *proponi poſſe*, *cujus non jure aliquis ra-*

(*) Obiici poſſet: Quod neſcio quo auctor non vidit. Si amor felicitatis, & miſeriæ adverſio ſunt affectus nobis a natura largiti, erit nobis per conſequens aliquid innati. Nec valet reſponſio, hunc amorem, & averſionem non extare principio cognitionis. Quomodo amor felicitatis poteſt haberi, idea ipſius innata deficiente? *SOAVE*.

(53) Nos cupiditatem ad bonum, averſationem ad malum in no biſmetipſis ſentimus, & hoc fit quatenus objectum, quod dicitur bonum, vel malum, nobis mutationes excitat, per conſequens quatenus afficit organa ſenſoria noſtra, & hoc, illove modo modificat. Ponamus, nullam nos percipere mutationem, tum ratio ſufficiens, qua hoc, illudve optaremus, deficeret ſane, nam deficerent motiva repellentia vel impellentia ab objecto, vel ad objectum, quod malum, vel bonum appellamus. Ecquis non videt impoſſibilitatem hujus phænomenis! Arbitror ergo, puerulos, nullam experientiam externarum rerum habentes, ejuſmodi propenſiones vel averſiones primo vitæ tempore non habere, neque in ſe ipſis poſſe ſentire, & conatus erga media mutationes nobis voluptuoſas excitantia, non oriri, quam a memoria objectorum optatas modificationes nobis excitantium, & ex deliberatione animi erga ea; per conſequens non eſſe ingenita, alioquin ipſamet bruta haberent ideam hanc ſibi animo inſculptam; tendunt ad bonum phyſicum, non ſecus ac homines, & bonum morale non eſt, quam ipſius conſequentia. Hac ſuper re luculentius infra.

rationem exigere poſſit : quod tamen ridiculum foret & abſurdum, ſi ingenitæ eſſent & per ſe manifeſtæ, prout omnia principia ingenita eſſe, neceſſe eſt, ad quorum veritatem firmandam haud argumentorum aut rationis adminiculo opus eſt. Ille equidem omnis rationis expers jure optimo videretur, qui ſciſcitaretur ab aliis, aut alter rationem reddere conaretur, cur *impoſſibile ſit, ut idem ſimul eſſet, & non eſſet.* Per ſe clarum eſt & manifeſtum, nec alia propoſitione indiget, qua probetur; & niſi quis, auditis terminis, aſſenſum iſti ſtatim præbuerit, fruſtraneum erit, argumenta afferre ad illud probandum. Quod ſi ſtabilis iſta & immutabilis regula moralis philoſophiæ, quæ fundamentum virtutis omnis, atque ad omnem vitæ communis ſocietatem accommodata eſt, *ut quilibet alteri faciat, quod ſibi fieri velit*, cuipiam proponeretur, cui prius fuerit inaudita,& qui rationem ejus requireret, annon proponentis etiam eſſet, ut iſtius veritatem rationibus firmaret? quod quidem gravi argumento eſſe debet, regulam iſtam non eſſe nobis ingenitam; ſi enim eſſet, rationum momentis nec indigeret quidem, nec clarior reddi poſſet: verum audita ſtatim, tanquam veritas indubitata, ab omnibus reciperetur. Quare veritas regularum moralium omnium neceſſario ab aliis pendet, a quibus deducuntur, res autem non ita ſe haberet, ſi revera eſſent innatæ, aut ſaltem per ſe manifeſtæ.

§. V.

Exemplum petitur a pactorum fide.

S*Tandum eſſe conventis*, regula eſt illuſtris, de qua in morali philoſophia inter omnes convenit: ſi tamen Chriſtianus, cui ſempiterna beatitudo aut cruciatus in ævo venturo ob oculos verſatur, interrogetur, cur promiſſa ſint ſervanda, rationem eam reddet, quoniam nimirum Deus, a quo vitæ & mortis æternæ arbitria pendent, hoc a nobis poſtulat.

Si *Hobbeſii* Diſcipulus vero rogetur, ut veritatis iſtius rationem exponat, reſpondebit: quia neceſſarium eſt ad devinciendam hominum inter homines ſocietatem, & qui ſecus facit, pœnas reipublicæ luere cogetur. Si e veteribus iſtis *Ethnicis Philoſophis* aliquem ea de re quiſpiam interrogaret, reſponderet: quia ſecus faciens agit inhoneſte, haud dignitatem hominis ſervat, contra virtutem peccat, quæ naturæ humanæ ſumma eſt perfectio (54).

§. VI.

Virtus ut plurimum commendatur, non quia ingenita eſt, ſed quia utilis.

HInc opinionum varietas iſta & diſſenſio moralibus ſuper regulis, quæ inter homines reperiuntur, juxta multiplices beatitudinis ſpecies, quas animis ſibi fingunt & amplexantur: quod revera non ita ſe haberet, ſi principia practica eſſent ingenita, & immediate digito Dei in mentibus noſtris ſignata. Fateor equidem, exiſtentiam Dei tot argumentis notam ac manifeſtam eſſe, atque obſequium ipſi debitum rationis lumini adeo eſſe conſentaneum, ut generis humani pars magna naturæ legi in hoc teſtimonium perhibeat: fatendum tamen puto, præcepta quædam moralia generis humani aſſenſu valde generali comprobari, a quibus tamen haud vera perſpecta eſt ratio, cur moralium præceptorum vim obtineant;

(54) Singillatim percurrit hic argumenta. Unuſquiſque regulis moralibus diverſa ratione aſſentitur. Chriſtianus Deum timens, omniaque in eo reſpiciens, *hoc Deum velle*, ait: Hobbeſianus, qui utile atque voluptuoſum pro norma tenet, *id eſſe utile voluptuoſumque*, reſpondet: Ethnicus notionem virtutis ſibi ſiſtens, hoc virtutem, ac dignitatem hominis requirere, aſſerit. Quid omnes dicunt, quam id quod eis ſenſus, & experientia docuere? Quid tenent animo, quam extrinſecus acquiſitum?

neant; quæ non alia eſſe poteſt, quam Dei voluntas & præſcriptum, qui homines in tenebris verſari perſpiciens, præmia & pœnas in manu tenet, & poteſtatis abunde habet ad ſupplicium de ſontibus, ſuperbia maxime elatis, ſumendum. Cum enim Deus indiſſolubili quodam nexu *virtutem* & communis vitæ utilitatem inter ſe colligaverit, effeceritque, ut iſtius exercitium ſocietatem hominum inter ipſos neceſſario contineret, omnibuſque plane utilis eſſet, quibuſcum vir bonus conſuetudinem haberet; haud mirum eſt, ſi quilibet non comprobat tantum, verum aliis etiam commendat, & regulas iſtas laudibus evehit, ex quarum obſervatione ipſemet fructus uberrimos eſt percepturus. Haud iniquum eſt, ut tam ſuo emolumento ductus, quam conſcientia convictus, id ſacroſanctum eſſe prædicet, quo proculcato aut profanato ſemel, de ſua ipſius ſecuritate actum erit (55). Id etiamſi de morali iſta æternaque obligatione, qua regulæ iſtæ præditæ plane ſunt, nihil detrahit; oſtendit tamen, momentum & pondus illud, quod ab hominum ſermonibus adipiſcuntur, haud probare, eas principia ingenita eſſe: quin imo, ne illud quidem probat, homines ex ipſa animi mente præbere iis aſſenſum, tanquam regulis immutabilibus actiones ipſorum perpetuo dirigentibus; cum vi-

 dea-

(55) Præclare ait Seneca, *Alteri vivas oportet, ſi vis tibi vivere* (*Epiſt.* 48.). VAN-DER-MUELEN ſuis *Commentariis* in Grotium pariter ait, Atheos, quantum convenit regulis honeſtatis, ac liberalitatis inter homines habitis, ſi non cujuſcunque divinitatis timore, pro ſua ſaltem conſervatione, atque utilitate obſervare, videmus. (*Vid. Tom. II. pag.* 177.) *Facilior ſperatur fides ex pari*. (*V. Quint. dec. CCCXII.*). Sic etiam *Sacy* in ſuo amicitiæ tractatu (*V. p.* 56.).

Neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam.

Ideo Tacitus de quodam Guarnaſco, qui inter Germanos, relictis Romanis, tranſivit, verba faciens, recte ait, *nec irritæ, aut degeneres fuere inſidiæ adverſus tranſfugam, ac violatorem fidei*.

deamus rerum uniuſcujuſque rationes & vitæ hujuſce commoda in cauſa eſſe, cur ſermonibus eas uſurpent atque comprobent, quorum tamen actiones ſatis teſtantur, neque legislatorem, regularum iſtarum auctorem, neque noctis illud æternæ barathrum, in quo pœnas de ſontibus, in eas temere peccantibus, ſumere decrevit, multum apud ipſos momenti habere.

§. VII.

Actiones hominum nobis argumento ſunt, Regulam virtutis non eſſe internum illarum principium.

SI nos enim, quod certe ex intempeſtiva urbanitate fieret, maximæ hominum parti non tam affluentem ſimplicitatem & ſinceritatem nullo modo attribuerimus, verum actiones illorum cogitationum interpretes eſſe judicaverimus, comperiemus, eos non eo, quem ſimulant, interno mentis cultu regulas iſtas ſuſcipere; nec de illarum certitudine & obligatione ſibi penitus perſuaſos eſſe. Præclarum illud Ethices Principium, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, ſermone & elogiis magis, quam actionibus hominum commendatur. Quod ſi quis præceptum illud violaret, haud majoris criminis eo facto reus peragi poſſet, quam illi dementiæ arguuntur, qui adeo contra ſuam utilitatem peccant, ut ex illius violatione emolumentum ſperent, dum hominibus perſuadere ſtudent, id non eſſe regulam morum, nec homines religione iſtius obſtrictos teneri. Dicent fortaſſe, angores & tumultus conſcientiæ divexare homines, ſi quando contra regulam hanc peccarunt, ac proinde internam iſtius regulæ juſtitiam & obligationem hominum eo pacto conſtare, affirmant.

§. VIII.

§. VIII.

Conſcientia non probat, moralem quandam regulam ingenitam eſſe.

AD illud reſpondeo, mihi plane dubium non eſſe, quin plurimi, licet nihil ſupponatur in mentibus eorum a natura ſignatum eſſe, eodem modo, quo rerum aliarum cognitionem percipiunt, variis regulis moralibus aſſentiantur, & illarum obligationem compertam habeant. Alios fortaſſe educatio, alios hominum conſortium & conſuetudo, vel etiam mores patrii illa cognitione imbuerunt; atque hæc quidem *opinio, ſemel utcumque acquiſita & confirmata, ſtimulos admovet conſcientiæ*, quæ nihil aliud eſt, quam opinio noſtra de morali vel rectitudine vel pravitate actionum noſtrarum. Si autem vis conſcientiæ ſit ingenitorum principiorum argumentum, tum hæc principia inter ſe opponerentur & res contrariæ dici poſſent principia pariter ingenita: nonnulli enim ex eodem conſcientiæ principio quædam proſequuntur, quo alii iſta refugiunt.

§. IX.

Flagitiorum exempla quædam, quæ ſine ullo angore conſcientiæ perpetrantur.

NOn video tamen, quo pacto homines, *fidenti animo & tranquilla fronte*, contra morales iſtas regulas peccare poſſent, ſi vere inſitæ & congenitæ in animis eſſent. Ponite ante oculos, quomodo in urbium direptionibus ſe gerant milites, quis ſenſus, quæ cogitatio principiorum moralium, quis timor ex conſcientia immanium facinorum tunc reperitur? *Direptiones, cædes, ſtupra* ſunt ludi & oblectamenta hominum ab omni legum & ſupplicii metu ſolutorum: annon univerſæ extitere nationes,

eæque haud gentes immanitate barbaræ, verum præ aliis manſuefactæ & ad elegantiorem vitam excultæ, in quibus tamen uſitatum & quotidianum erat, infantes recens natos in agris exponere enecandos fame, aut feris beſtiis devorandos (56) ? an illud ipſis magis

(56) Nos addamus & alios. Inſulani *REGINÆ CARLOTTÆ* nuncupati, *Antropophagi* ſunt. Qui incolunt *THAITIM* ſuas exponunt filias libidini alterius (*V. Viag. del Capitan. Cook*). Extant nonnulli, ut de *PUMILIONIBUS SEPTENTRIONALIBUS* eſt relatum, qui fortes pulcherrimoſque viros ad cubandum ſuis cum uxoribus expoſcunt (*V. Recherch. philoſ. p. 3. pag.* 318.). Plato imponebat, mulieres eſſe communes. (*V. Th. Campanella de Civitate ſolis*). Complura exempla ad inſtar hujus Platonicæ legis inveniemus; de barbaris non loquor, plurima ac pene infinita legi poſſunt. (*V. P. E. in Diod. Sicul. lib. II. cap. LVIII. de Trapobanis*; *Hictiopagis*, *Hilophagis*). Licurgi legem commemoro. (*V. Plutarc. in Licurg.*) Romani ipſi mulierum promiſcuitatem permittebant. *CATO* minor ſuam uxorem *MARCIAM* Hortenſio ceſſit. (*V. Plutarc. in Numa*, *& in Catone*). *SOLONIS* leges ſinebant, mulieres cum conſanguineo mariti cubare. (*V. Plutarc. de legib. ſol.*) antiqui Britones mulieres pluribus variiſque maritis ſe nubere in una vice ſinebant. (*V. Ceſar. de bello Gall. lib. V. cap. IV.*, *Strabon. lib. XVI. pag.*783.) Econtra infinita extant exempla de multiplicitate mulierum. Barbari Indiarum occidentalium nullam inceſtus ideam habebant. *Charibæi* ſuis nubunt filiis (*V. ivi part. 1. pag. 69. not. le plus part.*). Quid amplius? Divortium apud cultiores obſervatum eſſe, inveniemus. (*V. Dig. lib. XXIV. tom. 1. De donat. inter vir. & uxor. leg. XXXII.*). Etſi, Juſtinianum prohibuiſſe, legamus, (*V. Novell. CXXXIV.*), attamen Juſtinus Juſtiniani nepos in integrum repoſuit. (*V. Novell. CXL. Noodt in comm. pag.* 524.). Sic refertur de Saracenis (*V. Amm. Marcell. lib. XIV. cap. IV.*) compluribuſque nationibus. (*V. Olear. Itiner. Perſ. lib. V.*, *nec non Grillekiere Lacedem. antiq. e mod. pag.* 339.). Ex hoc fit, quod canebant Poetæ

Fœmina cum ſenuit, retinet connubia partu
Uxoriſque decus matris reverentia penſat.

(*V. Claud. lib. 1. in Eutrop. verſ* 72.) & revera
Habebant locum maledicti crebra nuptia.

(*V.*

magis crimini videbatur, quam ipſa liberorum procreatio? annon hodie etiam, quibuſdam in gentibus, infantes in eodem ſepulchro cum matribus condunt, quibus puerperium ſupremum vitæ diem attulit: aut ſtatim eos interficiunt, ſi modo quis aſtrorum interpres, qui cognitione iſta vulgo antecellere perhibetur, funeſto eos fato natos eſſe prædixerit? annon loca ſunt, in quibus liberi, non reclamante conſcientia, parentes ad certam ætatem provectos interficiunt, aut periculis omnibus exponunt? in quadam Aſiæ parte, ægrotantes, quamprimum de illorum ſalu-

---

(*V. Publ. Syr. verſ.* 271.), unde exiſtimabant, quod

Mulier, que multis nubet, multis non placet.

(*V. ib. verſ.* 422.) Ulterius. Sinenſes conſanguineis non nubunt ſi eis idem eſt nomen, nubunt econtra (*V. Martin. Hiſt. Sin. lib.*1.). Nonnullos populos apud Geneſim inveniemus, quibus licebat, ſorori ſuæ nubere. (*V. XX.*12., *Seldeno lib. V. cap. XI.*), Conſanguineam ſororem in uxorem ducere Athenienſibus erat licitum. (*V. Cornel. Nep. in præf. & in vita Cimon.*, *Plut. in vita ejuſdem*, *Muret. variar. lect. lib. VII. cap. I.*) Apud Lacedæmones erat conſuetudo inter fratrem & ſororem uterinam, nuptias facere. (*V. Plin de ſpec. leg. pag.* 779.). Perſides nullam inveniebant difficultatem, ſe ſorori, matrique ſuæ nubere. (*V. Sext. Empir. Pyrrhon Scip. lib.* 1. *cap.XIV.*, *Quint. Curt. lib. VIII. Cap. II.*, Strab. *lib. XV. pag.* 735.). Ægyptii, & Aſſyrii ſuis nubebant ſororibus. (*V. Diod. Sicul. cap. XXVII.*, *Sext. Emp. lib. III. cap. XXIV.*). ex Epitaphio in marmore inſculpto & in noſtra Italia reperto Herſilii nuptiæ omnibus conſtant; in integrum referam.

Herſilius hic jaceo, mecum MARULLA quieſcit,
Que ſoror, & genitrix, que mihi ſponſa fuit.
Vera negas, frontemque trahis, enigmata ſphingis
Credis! ſunt Pythio vera magis tripode.
Me pater e nata genuit, mihi jungitur illa;
Sic ſoror, & conjux, ſic fuit illa parens.

(*V. Marc. Ant. del Rio com. in Theb. Senec.* 139.)

In inſula *Cha-gohan*, narratur, quod antequam filia ad nuptias eat, cum patre ſuo debeat prius jacere, ut qui arborem plantavit primus colligat fructum. (*V. Bernier. Iſtor. del Gran Mogol.* 1. *p. pag* 14. *Edit. dell' Aja*). O quam alia exempla hic poſſem adferre! At brevitatis cauſa omnia relinquo.

ſalute deſperari cœptum eſt, adhuc vivi ſpirantesque in foſſam terræ excavatam abjiciuntur, ut cæli & tempeſtatum injuriis ita expoſiti pereant, nemine illorum miſericordia capto nec auxilium ferente. Inter *Mingrelios* (*a*) populum Religionem Chriſtianam profitentem uſu venit, ut ſibi religioni haud ducant, liberos ſuos vivos humare. Alibi gentium (*b*) parentes liberis ſuis veſcuntur. Apud Charibæos (*c*) moris erat, liberos caſtrare, ut ſaginatos poſtea delicatius comederent. *Garcilaſſo de la Vega* de populo Peruviano (*d*) commemorat, apud eos fuiſſe conſuetudinis, ut liberis a captivis fœminis ſuſceptis, iiſque ad decimum tertium annum quoad ejus fieri poteſt pinguefactis veſcerentur, dicitque eos concubinas in id aluiſſe, quas etiam, ſi ſteriles deprehenderentur, perinde ac ſi eſculenta eſſent animalia, jugulare atque edere ſolebant. *Toupinambi* (*e*) non alias ob virtutes ſe paradiſo dignos cenſebant, quam quod perjucundum ſibi eſſet, injurias omnes graviter ulciſci, & multorum hoſtium cæſorum carne corpora ſua replere, & hanc eo perveniendi viam eſſe perhibebant. Ne ullum quidem nomen, quo Deus appellatur, apud eos cognitum eſt (*f*), nulla numinis cujuſdam agnitio, nulla religio, cultus nullus (*g*). In *Turcarum* gente, qui in ſanctorum numerum referuntur, ejuſmodi ſceleribus ſemet inquinant, quæ pudor & modeſtia ediſſerere prohibent. Inſigne hujuſce rei exemplum ex *Baumgarteni Peregrinatione*, libro qui non omnium manibus teritur, ipſius auctoris verbis fuſe referam. *Ibi* (ſcilicet prope Belbes in Ægypto) *vidi-*

(*a*) [illegible] apud Thevenot. Part. IV. p. 13.
(*b*) [illegible] Thevenot p. 38.
(*c*) [illegible] Orig. Cap XVIII. XIX.
(*d*) [illegible]
(*e*) [illegible] Lib. I. Cap. XII.
(*f*) [illegible]
(*g*) [illegible]

vidimus Sanctum quemdam Saracenicum inter arenarum cumulos, ita ut ex utero matris prodiit, nudum ſedentem. Mos eſt, ut didicimus, Mahometiſtis, ut eos, qui amentes, & ſine ratione ſunt, pro ſanctis colant & venerentur. Inſuper & eos, qui, cum diu vitam egerint inquinatiſſimam, voluntariam demum pœnitentiam & paupertatem, ſanctitate venerandos deputant. Ejuſmodi vero genus hominum libertatem quandam effrænem habet, domos, quas volunt, intrandi, edendi, bibendi, &, quod mujus eſt, concumbendi, *ex quo concubitu ſi proles ſecuta fuerit, ſancta ſimiliter habetur. His ergo hominibus, dum vivunt, magnos exhibent honores: Mortuis vel Templa, vel Monumenta extruunt ampliſſima, eoſque contingere, ac ſepelire in maximæ fortunæ ducunt loco. Audivimus hæc dicta & dicenda per interpretem a Mucrelo noſtro. Inſuper Sanctum illum, quem eo loci vidimus, publicitus apprime commendari eum eſſe hominem ſanctum, divinum ac integritate præcipuum; eo quod nec fœminarum unquam eſſet nec puerorum, ſed tantummodo aſellarum concubitor atque mularum.* Peregr. Baumgarten. lib. 2. c. 1. p. 73. (*). Ubinam ergo ſunt innata iſta principia, juſtitiæ, pietatis, gratitudinis, æquitatis, caſtitatis? ubinam univerſalis iſte conſenſus, qui congenitis iſtis regulis fidem haud dubiam facit? In ſingularibus pugnis ſeu duellis conſuetudo honorem conciliavit, monomachi a cæde facienda nulla religione repelluntur: imo plurimis in locis innocentia in hoc caſu maximæ hominibus maculæ ac dedecori eſſe ſolet. Si paulo intentiori mentis acie, ut ſe habent hominum mores, in nationibus exteris fuerimus contemplati, deprehendemus quibuſdam in locis homines rerum commiſſarum aut omiſſarum conſcientia excru-

(*) Adhuc legi poteſt circa hanc Sanctorum ſpeciem a Mahometanis in veneratione habitam, quod ait *Petrus della Valle* in ſuis Epiſtolis 25. Januarii 1620. *COSTE*.

cruciari, ex quibus tamen iiſdem alii alibi terrarum, tanquam recte factis, ſummam voluptatem percipiunt (57).

§. X.

Homines contrariis principiis practicis præditi ſunt.

QUi generis humani hiſtoriam cum cura ac animi præſentia perlegerit, &, regionibus exteris mente peragratis, quæ ab hominibus paſſim fiunt, æquo animo fuerit contemplatus, certior fiet, vix ullum principium morale poſſe memorari, aut *virtutis regulam* excogitari (iis tantum exceptis, quæ neceſſaria ſunt ad communitatem vitæ conſervandam, quæ tamen ipſæ gentes diverſæ haud religioſe inter ſe obſervant) quæ non alicubi terrarum damnetur, vel in praxi rejiciatur ab univerſo cœtu civium, qui practicis opinionibus diriguntur: & morum regulis longe diverſis ab iis, quibus alia ſocietas imbuitur.

§. XI.

---

(57) Sic LIBANUS. *Nonne mite quiddam animal verborum tenus homo eſt, ſed rebus ipſis agreſte, & effrene? Nam quænam Leonum adverſus Leones expeditio? Quod bellum inter ejuſdem generis belluas? Quod apud illos eſt perinjurium? quæ pactorum violatio? quæ perfidia tanta, & avaritia? Quod apud illos aurum? qui pecuniarum amor? Quas commenſationes, & crapulas noverant?* (*V. declam. IX.*) GROTIUS de principio cognoſcente juris naturæ verba faciens, ſumit argumentum ex conſenſu omnibus temporibus ac locis diverſis, univerſaliter præſtito (*V. prolegom.* §. *XI.*): Si valet illatio, adhuc valet Lockii argumentum.

§. XI.

Univerſæ nationes plurimas regulas morales rejiciunt.

OBjiciet fortaſſe aliquis, non ſequi, *regulam non eſſe cognitam, quoniam contra eam peccatur*. Fateor equidem, illud recte objici, ubi homines, licet transſgrediantur legem, vim tamen ejus haud negant; ubi infamiæ, cenſuræ, aut ſupplicii metus indicio eſt, ineſſe ipſis aliquam legis reverentiam. Fieri autem non poteſt, ut animo, vel cogitatione complecti poſſimus, quo pacto totæ nationes & gentes hominum *publice* illud rejiciant & aſpernentur, quod ſinguli illorum vim legis habere certo & infallibiliter ſciunt: prout illis contingit, quibus lex eſt naturaliter in animis ſignata. Fieri quidem poteſt, ut homines morales aliquando regulas verbis profiteantur, quas tamen non eſſe veras in animo credunt, ut famam & exiſtimationem ſuam apud eos tueantur, quibus de illarum veritate ſic perſuaſum eſſe norunt; fieri autem non poſſet, ut conſociati hominum cœtus publice & unanimi ſententia ſpernerent, & repudiarent regulam, quam legis habere vim non poterant non in animis ſuis infallibiter ſcire, neque ignorare, eos, quibuſcum conſuetudinem habent, idem de ea re ſentire: ac proinde ſinguli illorum haud aliud ſperare poſſent, quam ut ignominiam ſibi contraherent, & odia hominum, in quæ illum incurrere par eſt, qui humanitatem omnem a ſe alienam fatetur; quique recti pravique notas & naturales regulas inter ſe confundens humanæ vitæ tranquillitati inimicus eſſe jure optimo cenſetur. Quodcunque principium practicum hominibus naturaliter inſitum eſt, id æquum bonumque eſſe a nemine poteſt ignorari. Parum itaque abeſt, quin is pugnantia inter ſe mihi loqui videatur, qui putat, integras nationes genteſque hominum in ſermonibus ſuis palam,

& actionibus etiam unanimi & univerſali ratione iſti contradicere, quod verum, quod rectum, quod bonum eſſe illorum unuſquiſque ex evidentia maxime invicta compertum habet. Hoc ſatis nobis eſſe debet ad demonſtrandum, regulam nullam practicam, contra quam ubivis gentium publico conſenſu & communi approbatione peccatur, dici poſſe innatam (58). Eſt vero quod ulterius addam, ad illud diluendum, quod hic objicitur.

§. XII. At dicis, quiſquis es, regulæ violationem non probare, illam eſſe incognitam. Illud quidem lubens concedo: hoc tamen affirmo, quod pace tua dixerim, *univerſalem iſtam approbationem, qua quodam in loco ab omnibus violatur, probare, illam non eſſe ingenitam*. Exemplum ſupponamus cujuſvis iſtarum regularum, de quarum veritate, cum ſint rectæ rationi & maximæ partis hominum naturali appetitioni maxime conſentaneæ, pauciſſimi adeo fuere inconſiderati, ut dubitare auderent. Si quæ regula dici poteſt ingenita non alia unquam nomen illud potiori jure ſibi vendicat quam hæc: *Parentes alite & fovete liberos veſtros*. Cum affirmas itaque hanc eſſe regulam innatam, aut dicis, illam eſſe principium ingenitum, quod ſemper, ubi opus eſt, excitat & dirigit actiones hominum: aut eſſe veritatem univerſorum in mentibus ſignatam, ac proinde omnes eam habere compertam, iſtique aſſenſum præbere. At neutro iſtorum ſenſuum innata eſt. Primo, non eſſe principium, quod omnium actiones moderatur, palam eſt exemplis ſuperius memoratis: nec opus eſt, ut *Mingreliam* aut *Peruviam* uſque proficiſcamur, ad illorum exempla petenda, qui non tantum non curant, verum male etiam tractant liberos ſuos, eoſque interficiunt; nec in ſolo barbarorum & agreſtium

(58) Illud Senecæ hic apprime convenit. *Nullam eſſe fœditatem ſine ſuo amatore, nullum errorem ſine patrono.*

ſtium conſortio illud fieri putemus, cum recordemur, *Græcis* & *Romanis* (59) vulgarem fuiſſe conſuetudinem, nullo judicio ſceleris damnatam, infantes ſuos innocentes, ſine ullo miſericordiæ ſenſu, aut morſu conſcientiæ, ad necem exponere (*). Secundo, falſum eſt etiam, hanc eſſe veritatem ingenitam, cujus cognitio ad omnes pertinet. Tantum enim abeſt, ut oratio iſta, *Parentes alite & fovete liberos veſtros*, ſit veritas innata, ut nulla omnino veritas ſit; præceptum enim eſt, non autem enunciatio, ac proinde hæc oratio non eſt capax veritatis aut falſitatis. Ut ſit veritas, cui aſſenſus præbeatur, ad ejuſmodi propoſitionem aliquam revocari debet: *Parentum eſt officium liberos ſuos tueri*. Quid ſit vero officium, ſine legis præſcripto intelligi nequit, neque legis natura ſine legislatore, nec ſine præmio & ſupplicio ſciri quidem vel ſupponi poteſt. Quapropter fieri non poteſt, ut hoc, aut aliud quoddam principium practicum ſit innatum, id eſt, officii hujuſce notitia in animo a natura ſit impreſſa, niſi ſupponamus Dei, legis, obligationis, ſupplicii, & futuri ævi *ideas* nobis eſſe ingenitas; præceptum enim illud

(59) Græci, & Romani hoc factitabant. Nec valet dicere, hoc ex morum corruptione gigni, ex eo quia nec in Digeſtis neque in Codice titulus ullus invenitur. Nam viget Ciceronis textus, in quo ait, quod tribunus Populi debet enecari, ut natus monſtruoſus legis XII. tabularum. (*V. lib. III. de leg. VIII.*). Romulus imperavit natos ſervare, ſi eſſent maſculi, vel tantum primogenitæ, & permiſit, antea a vicinioribus viſos, monſtruoſos exponere (*V. Dion. Halicarn. Antiq. Rom. lib. II.*) prohibuitque, natum interficere ante tertium annum ſuæ ætatis (*ib.*). Ergo poſt hoc ætatis tempus non prohibebatur. Ulterius. Carthaginenſes ſuos immolabant natos. *Gelon* hoc eis prohibuit. (*V. collet. Barbeir. art.* 112.). Battriani patres ſuos, ſeniores factos, a Moloſſis devorare efficiebant. (*V. Strab. lib. II.*).

(*) In Peruana regione, cultiore uſque a remotioribus ſeculis magnus numerus natorum, veris viatorum relationibus, eadem ratione, ſingulis annis in aquas ejicitur. *SOAVE*.

lud violantes in hoc ſæculo haud ad ſupplicium trahi, & quod exinde conſequitur, illud haud vim legis habere iis in gentibus, in quibus contra illud communiter peccatur, per ſe manifeſtum eſt. Hæ autem ideæ (quas omnes innatas eſſe oportet, ſi nihil tanquam *officium* innatum eſt), tantum ab ingenitarum natura abſunt, ut ne quidem in iis omnibus, qui celeritate ingenii & ſolertia cogitandi antecellunt, nedum in omnibus ſine diſcrimine, claræ & diſtinctæ reperiantur (60): atque eam quidem, quæ præ aliis omnibus ingenitæ ſpeciem præ ſe fert (Dei ideam velim) non ingenitam eſſe nullus dubito, quin in ſequenti capite omnibus perſpicuum ſim facturus, qui res ratione animoque luſtrant.

§. XIII. Ex iis, quæ dicta ſunt, concludi poteſt, nullum principium practicum, quod quadam in regione, comuni omnium approbatione, & ſine ulla dubitatione violatur, dici poſſe ingenitum, cum fieri nequeat, ut homines, abſque pudore aut metu, fidenti animo & tranquilla fronte, regulam tranſgrederentur, quam ignorare non poterant (ſi modo ingenita eſſet) a Deo inſitam fuiſſe, ipſumque delicti pœnas graviſſimas a delinquente eſſe repetiturum. Sine

(60) Auſcultemus Romanum Oratorem. *Finge hominem citra omnem ab aliis hominibus accedentem curam, & culturam ad robuſtam ætatem perventum, cui nihil ſit ſcientiæ, niſi quod ex proprio ingenio velut ultro pullulavit, eumdemque ab omni aliorum hominum ope, atque conſortio in ſolitudine deſtinatum: ſane vix miſerabilius animal deprehendetur: elingue nimirum ac nudum, cui nihil aliud relictum, quam herbas radiceſque evellere, aut ſponte notos fructus legere: ſitim fonte, flumine, aut lacuna obvia levare: repellendis aeris injuriis antra ſubire, aut muſco, gramineve corpus utrumque tegere: tempus tædioſiſſimum per otium exigere: ad quemvis ſtrepitum, aut alterius animantis occurſum exhorreſcere: denique fame, frigore, aut per feras beſtias perire.* (*V. lib. II. de Off.*). Ubi nam eſt huic homini principium innatum, vel idea menti congenita, atque ſignata?

Sine tali cognitione, quid ad officium ſuum pertineat, nemo certo ſcire poteſt. Ignoratio legis aut injectus ſuper ea ſcrupulus & dubitatio, concepta ſpes legiſlatoris conſcientiam aut potentiam ſubterfugiendi, aut ſimile quid, in cauſa eſſe poteſt, ut quis repentinæ ſuæ appetitioni malæ obſequatur (61). At vero

(61) Jus, ut ſit Jus, debet clarum extare, atque determinatum; ſi perparum in dubium revocatur, deficit ſubmiſſio, & detinetur executio. Ex quo fit, quod lex, ut vim obligandi habeat, ei qui obligatur, debet conſtare. Quapropter ante ſcripturæ inventionem in verſibus exponebantur leges, & Populus eaſdem certo ſtatuto tempore canebat. (*V. Ariſt. Prob. ſect. XIX.*) Græci tabulis inſculptas leges ipſas loco publico affigebant (*V. Pollux Onomaſt. lib. VIII.*). Romani publice exponebant XII. tabulas, ac edictum Prætoris (*V. Cujac. lib. VII. c. 29. obſ.*). Quam ob rem recte quidam recens auctor ait, ſe non concipere, cur notificentur leges lingua non ſatis ab omnibus intellecta, cum omnes debeant comprehendere leges, ac enodate percipere. (*V. Montagna. Eſſay l. 1. c. XXVI.*). Si hoc verum eſt, ſicuti pro vero tenetur, leges *naturales* nuncupatæ, ut veræ ſint leges, debent notas indelebiles habere, quarum ope, omni tempore, omni loco, in omni noſtrum ſtatu, ſine alteratione, ſine exceſſu, vel defectu, ſine minima confuſione ſtimulent: & ad exequendum quod imperant, nos naturali modo compellant. At quis videt, ubinam ſint hæ notæ? fortaiſe ſunt inclinationes, ſympathiæ, tendentiæ huc, illuc? Vereor ne hæ inclinationum ſeries, quæ pro nonnullis argumentum naturalium legum efficiunt, oppoſitum potius, quam leges demonſtrent. Videre humanam naturam, oppoſitam ei, quod legem ajunt, & ut cecinit Poeta

Nec natura poteſt juſto ſecernere iniquum.
Dividit ut bona diverſis, fugienda petendis.

(*V. Hor. ſerm. III. v. 96.*) argumentum eſt quod luculentius demonſtrat, illam vagari, atque nullam legem, nullam obligationem nos internoſcere, & nullam pœnam metuere. Plinius ſtatum hominis deſcribit, his verbis: *Uni animantium ambitio, uni ſuperſtitio, uni ſepulturæ cura, atque etiam poſt ſe de futuro* (*V. Hiſt. nat lib. VII.*), & Seneca aperte loquitur, *idem ſemper de nobis pronunciare debemus, malos eſſe nos, malos fuiſſe, invitus* ad-

vero ſi ſimul homini ſcelus quoddam admiſſuro pœna ſceleris ultrix atque ignis ſempiterni cruciatus ante

adjiciam, *& futuros eſſe*. (*V. de benef. lib.* 1. *c X.*) At ſi diceretur, malum ſupponere leges, quapropter Seneca nos appellat malos, reſponderem, leges non eſſe contra conſcientiam, nec mala contra voluntatem. Si leges animo noſtro vigerent, nos majori ex parte illas ſequeremur, placide, nec contra naturam continuo luctatemur, ut remanerent firmæ. His omnibus perpenſis, credam, non valde erraſſe Hobbeſium qui communem virtutis atque pravitatis normam, præter in civili vita non inveniri, & in naturæ ſtatu limites, quibus internoſcantur regulæ, nec quicquam extare; (*De Hom. c. XIII.* §. 2.). Argumentum non ignoro a Monteſquieu contra enunciatum in hac forma allatum, „ Entia intelligentia habere queunt leges a ſemetipſis formatas, habent verum & alias non ab ipſis factas. Priuſquam eſſent, in ſe continebant poſſibilitatem ſuæ exiſtentiæ, habebant per conſequens relationes poſſibiles, & quoque leges. Ante leges erant relationes (*Rapport*) Juſtitiæ poſſibilis, & nullum aſſerere, juſtum atque injuſtum eſſe, quam quod leges poſitivæ jubent, vel prohibent, idem eſt ac dicere, radios circuli non eſſe inter ſe æquales ante circuli deſcriptionem, ergo concludit, dantur relationes juſtitiæ Legi poſitivæ anteriores. (*V. Sp. delle leg. lib.* 1. *c.* 1.). Gallicus auctor non enodate hic concepit leges. Diverſo modo alibi locutus eſt. Radii circuli ante circuli deſcriptionem ſunt inter ſe æquales, quatenus internoſcatur figura circuli, & de circulo in ſpecie loquamur, non ita ſi de figura generatim geometrica intelligeretur, pariter ergo, adſunt leges, quatenus concipitur ſtatus entis intelligentis, & in ſpecie ſtatuitur. Non video, ait *Puſendorſius*, quomodo ante ſuperioris inſtitutionem, honeſtum, vel inhoneſtum concipi queat. Ita videtur, quod ii qui pro fundamento actionum moralium ponunt, neſcio quod regulæ a divina inſtitutione independentis, principium æternum extrinſecum manifeſte Deo applicant, quod ille debuit ſequi in determinatione qualitatum eſſentialium cujuſcunque entis. Cæterum unanime ſtatuitur, Deum hominem creaſſe cum voluntate exquiſite libera, ut factum de reliquis in Univerſo exiſtentibus. Ex quo fit, quod ex ſuo nutu pendebat, qualitates dare, quæ ſibi videbantur. (*V. Jus nat. lib* 1. *c. II.*). Si ergo eſſent relationes poſſibiles, ut opinatur Monteſquieu, eſſent qualitates ante leges, leges ante creationem, per conſequens creatio non libera, ſed legibus, & qualitatibus præſtructis, vel poſſibilibus, neceſſario modo conformata,

te oculos verſatur ; & hinc voluptatis illecebras, hinc dexteram Dei exporrectam, & ad ſontes puniendos præſentiſſimam ipſi oſtenderimus (res enim ita ſe habet, cum officium aliquod menti imprimitur) tunc dicas velim, utrum fieri poſſe putes, ut homines, quorum animis tam miſeranda rerum facies, tam certi ſupplicii imago objicitur, ſine quodam terrore ex conſcientia delicti, contra legem peccarent, quam characteribus non delendis ſignatam pectore circumferunt, & cujus, quo tempore violatur, obverſatur ſpecies animo? Utrum, eodem tempore, quo impreſſa in mente legislatoris omnipotentis edicta perſentiunt, homines ſacroſancta ejus præcepta contemnere, & nihili habere poſſint? denique utrum fieri poſſet, ut, dum quis palam in conſpectu omnium legis hujuſce ingenitæ & legislatoris præceptis nuncium remittit eaque violat, omnes coram intuentes, imo cuſtodes gubernatoreſque reipublicæ, qui hanc eandem opinionem de lege & legislatore mentibus comprehendunt, in commiſſis iſtis conniverent; nec caſtigarent ea verbis, aut criminis arguerent. Inſunt quidem in noſtra voluntate ſeu ea in parte animi, quæ appetitum habet, principia actiones noſtras excitantia, tantum vero abeſt, ut hæc principia moralia ingenita dici mereantur, ut eo potius, ſi modo hominibus libidines ſuas exſatiare integrum eſſet, omnem virtutis moralis ſenſum pe-

ta. Quod jure merito maximum cenſetur abſurdum. Ceteroquin, ſi a natura entis intelligentis flueretur lex, ex eo quia relationes eruerentur ex ipſa conſtitutione entis, non ſecus ac radiorum æqualitas a natura circuli, exurgeretur cum homine & in homine, eſſet per conſequens una, tota, conſtans, indelebilis, omnibus diffuſa, cordibus impreſſa, nec ea poſſet ab homine ſeparari, nec in homine extingui. At quis conjungere ſapit cum neceſſitudine libertatem, entia cum non entibus, tum cum qualitatibus negativis, qualitates poſitivas cum ſubiecto negativo? Hæc confuſio ſane eruitur a modo adducta opinione. Sed luculenter inferius enodabimus.

nitus delerent, omniaque ſanctiſſime conſtituta funditus everterent. Legum eſt, effrænatis noſtris cupiditatibus frænos injicere, id vero non aliter efficere poſſunt, quam per ea, quæ propoſita ſunt virtutibus, præmia, & ſupplicia vitiis, hæc autem majora eſſe neceſſe eſt iis voluptatibus, quas noſtri appetitus ex legis violatione percipiunt. Si quid igitur omnium animis pro lege imprimatur, oportet, ut omnes certo ſciant, certas & inevitabiles pœnas delinquentibus eſſe perſolvendas. Si quid enim innatum eſt hominibus, & hoc ab ipſis tamen ignoratur, aut in dubium vocari poteſt, tunc fruſtra inter ſe de principiis ingenitis digladiantur, nec veritati huic eam, quam obtendunt, certitudinem & neceſſitatem hoc modo præſtant: verum homines haud minus fluctuant in incerto, quam ſi nulla eſſent principia ingenita. Neceſſe eſt, ut clara & certa notitia pœnæ inevitabilis, eaque ſatis grandis & immanis, quæ peccati illecebras omnes extinguat, ſit legis ingenitæ comes & ſocia; niſi forte cum lege ingenita evangelium etiam ingenitum ſupponant. Nolim hoc perinde intelligi, quaſi, quia legem ullam ingenitam eſſe negem, nullas eſſe leges præter poſitivas opiner. Magnum eſt inter legem naturaliter nobis inſitam, & naturæ legem diſcrimen; inter id quod mentibus noſtris in primo ipſarum ortu imprimitur, atque illud, cujus cognitionem vis rationis per principia naturalia percipere facile poteſt (62). Et mihi quidem æque viden-

(62) Sagaciter porro. Eſt nobis datum ex paucis ſimplicioribus ideis alias complexas invenire, & veritates abditas, vel obſcuras eruere, atque enodare. Si experientia, uſu, educatione &c. ſtatum ſocietatis internoſcimus, facile arguimus vincula, relationes, proprietates, quibus erga ſocietatem tenemur. Si nos creatos perſentiſcimus, deſumimus relationes inter Creatorem & creaturam. Nobis ergo ex obſervatione in ratiocinia progredientibus, quædam officia innoteſcunt, quæ pendent tota a qui-

dentur a veritate aberrare, qui pugnantia inter ſe dicentes, aut innatam eſſe legem affirmant, aut inficiantur, legem ullam naturæ lumine poſſe cognoſci,

---

quibuſdam ideis, experientia, obſervatione, commercio &c. præhabitis. Sequitur ergo quod ſemper eadem, & omnibus innoteſcant, ut credit Lockius? Nequaquam profecto. Ex allata definitione *rationis* (38) patet, quod requiritur fulcrum, cui adhæreat, ſi hoc deficiat, vel modificetur, modificatur quoque, vel ruit ratio. Ex quo ducuntur modo idearum connexiones, vel quomodo concipere poſſumus ideas a præhabitis diverſas? ſi eſt qui mihi impugnat, dicat, quæſo. Sequitur ergo, quod ratio cum pendeat ab ideis præſtructis, debeat juxta eaſdem modificari. Hinc eſt quod errat Lockius, ratione innoteſcere leges, vel ut ait, *naturæ* lumine pateſieri, ſi pro lege normam peculiarem omnibus uniformem, conſtantem, æqualem intelligit: non ita ſi pro ea credit quamdam regulam ad ſtatum entis intelligentis, ad diſpoſitionem cerebri, ac ad ideas habitas ipſius relatam. Et ut clarius meum eluceſcat argumentum, ponamus, nos omnibus carere ideis, vel negligentiæ, ſtupiditatis, commercii cauſa facultatem ratiocinandi penitus nobis extingui, vel deſici. Ex quo tum argumenta exordimur? quibus ideis ea conficimus? Quæ conſequentia eruimus? Ubi denique latet ratio? Vos ad Experientiam appello. Barbari, ait quidam recens Auctor, Americam incolentes ſumma pigritia marceſcunt, nihil ſuſcipiunt, nihil adinveniunt, nihil ſapiunt, ſphæram cognitionis nunquam dilatant. (*V. Recherch. philoſ. par. 5. ſect. 1. pag.* 193.). Immo, ſubdit idem Auctor, Barbarus, recte loquendo, nec vitioſus, nec virtuoſus eſt. Quam haberet cauſam, ut eſſet ejuſmodi? Cordis timiditas, ſpiritus debilitas, neceſſitas trahendi exiſtentiam e medio miſeriarum, imperium ſuperſtitionis, ac influentia clymatis longius faciunt illum deerrare. Hinc eſt quod in ſumma inactione remanere, ſomnum profundum trahere, ſatiatum nihil curare, famelicum nutrimentum invenire, nullam demum cogitationem habere, omnem felicitatem hujus viventis conſtituit. Si a frigore, cælique inclementia non eſſet compulſus, non conſtrueret umbraculum, ſi eum non compelleret egeſtas, e Tuguriolo non exiret; Ratio ſua nunquam ſeneſcit, ad mortem uſque pueriliter agit: nihil prævidet, nihil ad perfectionem ducit, & ipſam naturam ante oculos ſub manibus ſuis degenerare relinquit. (*ib. par.* 1.). Quot exempla hujus generis addi queunt? (29)

nimirum abſque poſitivæ relationis ope (*) (63).

§. XIV.

(*) SELDENUS, RODINUS, aliique, rationem obſcuram nimis indeque ex revelatione ſupplendam eſſe exiſtimant, STRIMES atque ROEL. affirmant, citra ratiocinationis vim hominibus innoteſcere, quid juſtum, & quid injuſtum ſit. Contrarium ſtatuit PUFENDORFIUS (de Jure nat. & Gent. Vol. I. p. 197. *Ed.* KNOCH. Francf. & Lipſiæ 1744.) & inter cætera hæc habet: *Quam ad rem tamen vix neceſſarium arbitramur præfracte contendere, animis hominum ab ipſa nativitate congenita, & velut impreſſa eſſe juris naturalis ſaltem generalia præcepta ad modum diſtinctarum atque actualium propoſitionum, quæ ſtatim ac uſus ſermonis acceſſerit citra ulteriorem informationem aut mediationem abs homine poſſint exprimi*. Et paulo poſt addit; *facilitas æquum ab iniquo diſcernendi, ex adſuetudine provenit: dum a teneris annis, & ſtatim atque uſum rationis exſerunt, vident bona probari, malà improbari, & illa laudem, hæc pœnam ſequi &c.* Ulricus HUBBERUS (Part. II. Digreſs. L. I. cap. 5. §. 6.) inutilem atque erroneam hanc opinionem eſſe aſſerit: inutilem, quia reddat hominem, contra dictamen naturæ peccantem, minus ἀναπολόγητον, ſi copiam inſtitutionis non habuerit: erroneam, quia ſine dubio & litteris ſacris & evidenti experientiæ repugnet; nam Paulus ad Rom. II. 14. in his verbis τὰ ἔθνη νόμον μὴ ἔχοντα φύσει τὰ τῦ νόμυ ποιῇ. *Gentiles, lege carentes, natura quæ legis ſunt faciunt*; opponit inter ſe jus, quod poſitum, & quod congenitum τὸ νόμιμον ἀεὶ φύσει πεφυκὸς, *jus quod natura ſemper exiſtit*, ut Euripides in Bacchis vocat. Rurſus ait, Paulum verbis αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει: *Ipſa vos natura docet*, perſpicue inculcare non ab informatione & exemplo aliorum, ſed a proprio nativoque inſtinctu eſſe doctrinam juris naturæ. Item & experientiæ refragari; quia ſi quis ſe ipſum valde conſideret, aliquod principium interius ſentiat. Nicolaus HERTIUS in ſuis ad Pufendorf. Commentariis, negandum non eſſe affirmat, hominem inter homines alios agentem, ſuopte ingenio, citra aliorum inſtitutionem, quid juris naturæ ſit poſſe cognoſcere. Propoſitiones enim ejus univerſales, & quæ iis proxime inſunt, non opus habent operoſa aut artificioſa demonſtratione, qualis ad contextum artis alicujus requiritur; ſed vulgaris & naturalis ſufficit, cujuſmodi in vulgo etiam quotidie deprehenditur. Unde apud Barbaros etiam populos interdum inſignem juſtitiæ cultum cernere eſt. Concedit idem HERTIUS, juris naturalis præcepta admodum diſtinctorum, & actualium principiorum non innaſci, quin fateatur bonam educationem, & forma-

tio-

§. XIV.

Qui ingenita eſſe principia practica aſſerunt, quæ ſint, nobis non indicant.

QUi practica eſſe principia aſſerunt, tanta ſunt in ſententiarum varietate & diſſenſione conſtituti, ut mihi ſupervacaneum videatur, argumentis ulterius oſtendere; quam nulla prorſus ratione quaſdam

---

tionem ad excitandos juris in natura poſiti igniculos, & in alteram partem corruptelas morum ad extinguendos illos multum poſſe: verum inde non ſequi principia juris in hominibus ab aſſuefactione & informatione pendere, cum ipſemet Puſendorfius alibi aſſerat, *ut lex naturæ obliget, ſufficere ſimplicem notitiam, neque artificioſam ejuſdem demonſtrationem ac deductionem ad hunc finem requiri*; & mox: *notitia juris naturalis veritatem neceſſariam ex ratiocinatione, ſeu uſu naturalis juris poſſe colligi*; & ſuperius: *aſſuetudini eas vires haudquaquam tribuendas eſſe, ut rationis judicium detorquere queat, quo ipſi impoſſibile ſit, veritatem extra leges naturales perſpicere*. Cicero V. de finibus 15. *Eſt natura ſic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur. Ob eamque cauſam parvi virtutum ſimulacris, quarum in ſe habent ſemina, ſine doctrina moventur; ſunt enim prima elementa naturæ, quibus aucti, virtutis quaſi carmen efficitur, nam cum ita nati, factique ſimus, ut & agendi aliquid, & diligendi aliquos, & liberalitatis, & referendæ gratiæ principia in nobis contineremus, atque ad ſcientiam, prudentiam fortitudinemque animos aptos haberemus, a contrariiſque rebus alienos: non ſine cauſa eas, quas dixi, in pueris virtutum quaſi ſcintillulas videmus, e quibus accendi philoſophi ratio debet, ut eam quaſi Deum, ducem ſubſequens, ad naturæ perveniat extremum: nam ut ſæpe jam dixi, in infirma ætate, imbecillaque mente vis naturæ per caliginem cernitur: cum autem progrediens confirmatur animus, agnoſcit ille quidem naturæ vim, ſed ita, ut progredi poſſit longius, per ſe ſit tamen inchoata*. THIELE.

(63) Ut hanc enodemus quæſtionem, oportet legem a conſilio diſtinguere. Lex, ſi recte video, voluntatem cujuſdam ſupponit, qua voluntate imperatur, eos, qui pendent ab uno, juxta quamdam normam operare, & juxta præſcriptionem agere. Per voluntatem non ſimplex intelligimus ſtatutum, verum eo modo notifi-

dam regulas morales invenire poſſimus, quarum univerſalis aſſenſus ſit criterium, quod ſint ingenitæ: & quidem ſuſpicari par eſt, homines arbitrio ſuo *principia* iſta effinxiſſe; cum, licet mordicus iis inhæreant, *quæ tamen ſint*, nondum nobis *indicarint*. Id

---

tificatum, ut capacitati eorum, qui debent vitam degere ſub illius directione, conveniat. Hinc eſt, quod lex obligare debet, atque punire, alioquin non eſſet lex. *Inter leges illa imperfecta dicitur, in qua nulla deviantibus pœna ſancitur*. (*V. Ulp. tit.* 1. §. 1. *ff. de donat.*). Conſilium non ita., „ Iſtud enim eſt, in quo „ ratio, qua conſormari debet ex ipſa re præſcripta eruitur, „ nec obligare, vel punire quit, tantum ſuadere „ (*V. ff. lib.* 16. 17. *tit.* 1. *mand. vel contra leg.* 2. §. 6.), ſi adhuc concederetur, naturam nobis ſuppeditare rationes, quibus hoc potius, quam illud faciendum ſit, non ſequeretur ideo, legem nobis ratione innoteſci. Ratio eſt nexus idearum, vel facultas eum percipiendi, per conſequens a veritatibus ipſis eruere debet, ſit obiectiva, vel ſubiectiva (28), quapropter ſuadet non imperat, conſulit non obligat, libere dirigit non punit. Fas eſt modo dicere cum Lockio, legem naturæ lumine conſtare? Fas eſt, aſſerere nobis eſſe inſculptam? Nequaquam porro. Ubi notificatio ante legem? Ubi lex ante obligationem? Ubi obligatio ſine legislatore? Ubi legislator ante ſui notitiam? (61) Recte igitur recens auctor ait, bonum vel malum ante legem ſi daretur, cum obligatione quadam comitari nequiret, obligatio enim ſuperiorem ſupponit (*V. Johan. Adam. Oſiander Not. in Grot. de jure bell. & pac. pag.* 60.): Nec injuſte dixit Hobbeſius, quod naturales leges vim Legis ſumant quatenus Deus ſic voluit, & in ſcriptura voluntatem ſuam palam fecit, non quatenus etutæ in conſequentia rationis. (*V. de Cap III.* §. *ult.*). Non deſunt qui ajunt, non oportere, cauſa ſibi formandi ideam naturalis legis, principia verbis exprimere; verba non ſunt niſi ſigna quodam articulato ſono prolata ad conceptus animi exprimendos, non inſerviunt ergo ad aliud, quam ad ſuos communicandos conceptus, per conſequens ubi animi ſenſa obligatione convincunt, non oportere loquelas, ex eo quia revelatio in ejuſmodi conceptibus nos confirmat, non obligat obligatione majori, quæ ante revelationem vigebat. Niſi mihi volitet caput, vis ratiocinii hic non extat, immo notiones inter ſe, vel complicantur male, vel pugnant directe. Quæ ſunt ſenſa animi? Quæ conſcientia? Sunt rationes, ſunt veritates præſtructæ; hæ modifican-

Id jure optimo ab iis poterat expectari, a quibus hæc opinio tanti eſſe momenti putatur: & quidem dant locum ſuſpicioni, ſe rei iſtius rudes & ignaros eſſe, aut benevolentiæ & charitatis officiis non ſatis erga genus humanum fungi, qui cum prædicent, fundamenta ſcientiarum, & vitæ præcepta eſſe in animis hominum a Deo ſignata, non hac in re eruditioni proximi ſui, & generis humani de ea re ſollicíti tranquillitati conſulant, ut, *quæ ſint ea*, homines monendos curent. Re autem vera, ſi qua eſſent iſtiuſmodi principia ingenita, haud opus eſſet, ut de iis addiſcendis aliquid præciperetur. Si homines enim effata ejuſmodi in animis ſignata perſentiſcerent, ea ab aliis veritatibus, quas poſtea didicerunt, & ab iis deduxerunt, facile diſtinguerent; nec aliud quid magis eſſet in promptu, quam, *quæ* & *quot* ſint, cognoſcere. Non magis de illorum, quam digitorum numero dubitaremus; & probabile eſt ſummam illorum in nullo non ſyſtemate ſingillatim recenſum iri. Quoniam vero nemo, quod ſciam, catalogum illorum adhuc concinnavit, idcirco culpæ reprehenſione carere debent, qui de innatis iſtis principiis dubitant; quoniam, qui, eſſe iſtiuſmodi principia, hominibus perſuadere volunt, quæ ſint, ea nobis non commonſtrant. Facile poſſumus conjectura augu-

ficantur permagne, ergo permagne modificarentur leges. Si ita ſe res habeat, ubi ſtatutum a conſcientia & ratione patefactum? ubi per conſequens lex? Ceteroquin, proprium legis eſt noſtras dirigere actiones; conſcientiæ eſt proprium juxta quaſdam normas, noſtram degere vitam; qualis interim confuſio, qualis repugnantia effectuum! Unuſquiſque diverſas habet ideas, diverſa ratione, ac diverſa per conſequens conſcientia gaudet. Id in apricum ponitur ſi homines ſub diverſo clymate degentes attente obſervamus. Ecqua opinionum farrago? Ecqua Religionum diſſenſio? Ecqua denique actionum diverſitas eis non poſſet? Unuſquiſque quod ſectatur pro jure tenet, & vigore magno conſervat; tot jura ergo quot phantaſmata. Quid magis cerebroſum, ac perridiculum?

augurari, quod, ſi homines diverſas ſectas ſequentes ingenitorum principiorum catalogum nobis tradituri eſſent, talia tantummodo recenſerent, quæ ſuæ cujuſque Hypotheſi inſervirent, quæque hæreſeos, aut Eccleſiæ iſtius, quam unice colunt, auctoritatem communirent: id etiam mihi argumento eſt, nullas eſſe innatas ejuſmodi veritates. Quid? quod magna pars hominum eſt, qui tantum abeſt, ut ingenita iſta moralia principia in ſe reperiant, ut contra liberum arbitrium hominibus denegando, atque ita efficiendo, ut mera ſint automata, non ingenitas tantum, verum etiam omnes morales regulas plane tollunt, efficiuntque, ut nullam apud eos fidem reperiant, qui concipere nequeunt, quomodo, quod non eſt agens liberum, ſit legis capax (64): atque hoc pacto neceſſe erit omnia virtutum principia aſpernentur, qui, quod factu quidem difficile eſt, *actiones morales* cum *motu mechanico* nequeunt conciliare.

§. XV.

Domini Herberti principia innata examinantur.

POſtquam hæc ſcripſeram, certior factus nobilem Dominum *Herbertum* in libro, quem de *Veritate* conſcripſerat, innata hæc principia receuſuiſſe, extemplo eum conſuli, ſperans me aliquid reperturum in homine tam præſtantis ingenii, quod faceret animo meo ſatis, atque finem huic diſquiſitioni imponeret. In capite *de inſtinctu naturali* p. 76. Edit. 1656. ſex notæ *notionum communium* reperiuntur 1. *prioritas*. 2. *independentia*. 3. *univerſalitas*. 4. *certitudo*,

(64) *V. Julien Offray de la Mettrie l' homm. machin. Ed. Leyde brulée par les Etats*. Quid mirum, ſi dicatur nullam dari legem congenitam?

do. 5. *neceſſitas*, ſeu, quemadmodum ipſe explicat, *quæ faciunt ad hominis conſervationem*. 6. *modus conformationis* i. e. *aſſenſus nulla interpoſita mora*. Et in fine parvi iſtius tractatus, quem *de religione Laici* ſcripſit, hoc modo de innatis hiſce principiis loquitur: *Adeo ut non unius cujuſvis religionis confinio arctentur, quæ ubique vigent veritates. Sunt enim in ipſa mente cælitus deſcriptæ nulliſque traditionibus, ſive ſcriptis, ſive non ſcriptis obnoxiæ*. p. 3. Et paulo poſt hæc adjungit: *veritates noſtræ catholicæ, quæ tanquam indubia Dei effata, in foro interiori deſcriptæ*. Poſtquam ingenitorum principiorum ſive notionum communium notas hoc modo tradit, eaque in mentibus hominum a Deo ſignata eſſe aſſerit, numerum eorum init, qui ita ſe habet. 1. *Eſſe aliquod ſupremum Numen*. 2. *Numen illud coli debere*. 3. *Virtutem cum pietate conjunctam optimam eſſe rationem cultus divini*. 4. *Reſipiſcendum eſſe a peccatis*. 5. *Dari præmium vel pœnam poſt hanc vitam tranſactam*. Etiamſi hæ claræ ſunt veritates, & quibus, ſi modo recte explicentur, creatura rationalis vix ſuum aſſenſum poteſt denegare: longe tamen, arbitror, abeſt, ut hac reprobari poſſit, eas ingenitas eſſe impreſſiones in *foro interiori deſcriptas*. Obſervandum enim eſt.

§. XVI. Primo, ſi quæ eſſent notiones communes a Deo in mentibus noſtris deſcriptæ, eas quinque iſtis veritatibus catholicis aut plures aut pauciores eſſe. Quoniam aliæ ſunt propoſitiones, quæ ſecundum regulas ab eo traditas eadem origine dignæ cenſendæ ſunt, & ingenitorum principiorum in numerum eodem ad minimum jure poſſunt adoptari, ac quædam ex his quinque paulo ante memoratis videlicet: *Fac alteri, quod tibi fieri vis* (65): & fortaſſe cen-

(65) Hæc veritas per ſenſus & reflexiones habetur. Eſto. Juxta Leibnitii mentem triplici ſenſu conſideratur malum: *Metaphyſicum*,

centenæ aliæ, quas nunc memorare longum eſſet.

§. XVII. Secundo, omnes iſtas notas haud in ſingulas iſtas quinque propoſitiones quadrare; ſcilicet pri-

---

cum, *Morale*, & *Phyſicum*. Primum in creatarum rerum limitatione conſiſtit, ſecundum in tranſgreſſione legis, tertium in perpeſſione doloris. Hæc propoſitio *fac alteri quod tibi fieri vis*, ſi negativo modo conſideratur, reducitur ad hoc; *non fac quod tibi fieri nevis*; *vel non fac alteri malum quod tibi fieri recuſes*. Homo quadam perfectione gaudet quatenus conſideratur in ſtatu perfecte naturali: nulla objecta ſibi mutationem attulerunt, eſſet alioquin in nonnaturali ſtatu, & dicere audeam, potius ad bonum, quam ad malum hominem eſſe conſtitutum; per conſequens malum eſt amiſſio boni, quod naturaliter habetur. Videndum modo, an cognitio mali ſit nobis natura inſculpta? Perpendimus.

I. Malum *metaphyſicum* nobis ineſſe agnoſcimus, quatenus conſideramus, nobis non extare ea omnia, quæ poſſunt haberi; noſti hodie quod heri plane ignorabas, cras ſcies alia diſtinctius fortaſſe, quæ hodie confuſe, & obſcure percipis.

Nunquam ita quidam bene ſubducta ratione ad vitam fuit
Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid adportet, & novi
Aliquid moneat: ut illa quæ te ſcire credas, neſcias.
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.
Terent. Adelph. Act. v. *ſc.* 4.

Ergo ſenſibus & reflexionibus habetur. II. Malum *morale* concipimus quatenus internoſcimus legem, at nulla lex eſt nobis inſculpta (61.62.63.). Ergo nec etiam ejuſmodi mali cognitio. III. Antequam objecta externa organa ſenſoria noſtra lædant, mutationes nonnaturales nequeunt adeſſe; per conſequens nec etiam dolor. (*V. Malatt. ſtat. tom. II. cap.* IV. *pag.* 16.) Amiſſio non contriſtat ſpiritum, neque habetur pro malo, niſi ſumatur tanquam illius objecti, quod ſit capax perfectionis ſtatum nobis reconciliare: per conſequens quatenus per ejuſmodi objecti amiſſionem conceperimus. Diſquirendum modo, an principium univerſale, & abſtractum, *alteri non fieri quod tibi ne vis*, *alteri fieri quod tibi cupis*, ſola natura, vel ſenſu, & reflexione habeatur. Sed ut hoc internoſcatur luculentius, oportet hominem in ſua origine primum conſiderare.

Homo erigit oculos, & inter cetera videt, hominem hue il-

prima, ſecunda, & tertia nota, nulli iſtarum perfecte convenit, atque prima, ſecunda, tertia, quarta, & ſexta nota, haud bene conveniunt tertiæ, quartæ, & quintæ propoſitioni. Præterea etiam nos hiſtoriarum

---

illuc incedere; & forſan magno clamore ſylvas obſtupeſcere, evellere ceſpites, & expaveſcere feras: imaginem ipſius ſentit, ſibi retinam percutere, & ei novam modificationem inducere; hinc reſpiciens, cum tanquam objectum agens, perpendit organa, & vim qua pollet lædere. Quilibet motus, actio, vel geſtus ipſius, reſpicienti impreſſionem adauget, & animam vehementius movet. Ex quo fit, quod omni momento ictus imaginat, credit ille ſic perpeſſionem doloris ſibi renovari. Quid interim? magno timore concutitur, cupit hominem non videre, & fugam denique arripit. Barbarus ille, in ſylvis *Hannover* repertus, Georgio I. regnante, in Anglia, viſus, hoc ad evidentiam probat. Quid ad rem? ſi duos homines in primo ſuæ exiſtentiæ ſtatu conſideramus oritur utrique timor & unuſquiſque irritandi alterum occaſionem effugit. Hinc, ſi recte arguo, timor, manſuetudo, conſideratio ad invicem, & conſilium alterum non lædere, ne hic ad ſe malum afferat oriri debet. Quamobrem Hobbeſius hac ex parte errat profecto, Hominem aggreſſorem faciendo. Uſque dum homines non irritentur, in alterum non experiuntur vires, immo, replicato viſu, permulgent, manſueſcunt, & ſe tanquam amici reſpiciunt. Hæc omnia ſenſibus habentur, per conſequens ſenſibus, & reflexionibus acquiritur quoque propoſitio, *alterum malo phyſico non afficere*. Videndum modo, an pariter ſecunda propoſitio non innoteſcat, *bonum phyſicum aliis facere*.

Mollis humanarum actionum eſt utilitas, ait celeberrimus *d'Alembert* (*V. Eclairciſſem. ſur les elem. de Philoſ.* §. 7.); ſi nolumus nobis nos blandiri, hoc verum eſſe atque indubitatum oportet fateri: Si non percipimus utilitatem, non cupimus; ſi non cupimus, non in aliis reſpicimus; ſi non reſpicimus, non curamus; ſi non curamus denique alteri eam non præbemus. Cæteroquin. Videbimus, quod homo alteri non affert malum propter ſuam utilitatem: videbimus. quod timore concuſſus homo, hominem timet, quod blandiuntur ad invicem, ne ad invicem lædantur, ergo conſilium ſumunt, ut accipiant bonum, bonum afferre per conſequens ſenſibus, & reflexionibus hæc propoſitio acquiritur. Confirmant dicta Antropophagi. Inopia languent, famem ſentiunt, cibis carent, his omnibus compulſi appetunt hominem, ete-

rum monumenta docent, non plurimos tantum homines, verum univerſas nationes & gentes eſſe, quibus quædam ex iis, aut quoque omnes in dubium vocantur. Sed hæc tranſeant, interim non video, quomodo tertia, videlicet *virtutem cum pietate conjunctam optimam eſſe rationem cultus divini*, poſſit eſſe

---

etenim conſilium ſumunt, ancipiti vita vivere potius, quam nulla. Hinc eſt, quod in nova Zelandia, ubi agricultura deficit, ager eſt ſterilis, atque mare circumſcriptum, victum homo ſibi comparare debens, deficientibus reliquis, ait homo homine vivere oportere. En bellum, mors, barbaries inter homines exorta. Si eſſet lex naturalis, hæc nefandum quidem homines non patrarent. Quidquid ſibi ſentiunt aliis credunt, & quoties poſſunt propter utilitatem, quæ ſibi retundat, colunt perinde, dicam, homines, non ſic neceſſitate compulſi. Remanet ut de malo morali aliquid dicamus; nam de metaphyſico ſupervacaneum puto.

Lex non habetur, utpote a natura inſculpta (63), ergo neque malum morale internoſcitur. Si pro lege ſumitur conſilium a ratione erutum, tum eſt dicendum, quod malum morale pro utilitate ſua homo non cupit aliis, ſi vult hominem contra hoc rationis conſilium agere, vult in ancipiti vita ſe ponere, vult ergo ſibi malum phyſicum; at ſenſibus, & reflexionibus hoc acquiſivit, per conſequens mali moralis, & conſilii rationis ideam ſenſibus, & reflexionibus pariter habuit. Quam verum ſit cogitatum noſtrum ex re ipſa patet. *Dionyſius* capitis damnavit Marſiam ex eo quia ſomniavit hic interficere eum, dicens, non ſomniaſſet, ſi hoc non cogitaviſſet prius (*V. Plut. in vit. Dion.*). Somnia, ait Plutarchus (*V. Jenſ. progr. in virtut.*) indicat ſtatum mentis ſomniantis: non alia ratione, Apud Anglicas gentes, Henrico VIII. regnante, lex vigebat, qua reus magnæ proditionis erat qui Regis mortem prædicebat, quam ob rem in ultimo hujus Regnantis morbo non fuit inter medicos, qui ei mortem enunciaret (*Burnet Iſtor. della riforma*). Poſt cogitationes enim deſiderium, poſt deſiderium cooperationes, poſt cooperationes actus. Recte igitur cogitata ipſa contra conſilium rationis habita debemus reſpuere, nec aliis deſiderare, ſit venia verbo, propter utilitatem noſtram, & per conſequens nec etiam malum quod hoc ſenſu morale appellatur. *Irocheſes* qui ſuis veſcuntur captivis, quamdam ſervant normam, & juxta conſilium rationis expediunt ad invicem legatos, nec eos lædunt, ut ne læſi remaneant. Utilitatem noſtram ratio conſulit, & neque malum morale, neque malum phyſicum, aliis deſiderare ſuadet.

eſſe ingenitum principium, cum vox ipſa virtus adeo difficilis ſit intellectu; ſignificatio ejus tam multiplex & ambigua; & res ſignificata tot moveat controverſias, ejuſque cognitio ſit tantis difficultatibus obſepta (66). Hæc itaque humanarum actionum regula

---

(66) Quænam ſit virtus, non hactenus eſt ſtatutum, virtus diverſo ſumitur ſenſu, & complures virtutem appellant quod alii pro vitio habent. Enodemus definitiones. Nonnulli definiunt virtutem *per complementum officiorum naturalium* (*V. Alembert. Eſſay ſur les elem. de philoſoph* §. 8., *diviſ. de la moral*): alii per *amorem legum*, *&* *Patriæ* (*V. Monteſq. Sp. delle leg. lib.* IV. *cap.* V.) Non deſunt qui malunt, eam definire per *perpetuam conſtantem voluntatem ſe*, *ſtatumque ſuum perficiendi* (*V. Baum. Phil. moral cap. de virt.*, *&* *vit.*). Complures per *animi fortitudinem*, *qua homo ſuperat difficultates*, *& obſtaculis triumphat*, ut de reliquis taceam, quæ penitus innumerabiles habentur. Nunc quæſo, quænam ſunt officia naturalia? quænam leges? quænam perfectiones ſui ſtatus? quænam difficultates, vel obſtacula? ſingulatim percurramus.

I. *Officium*, vocabulum eſt quod nullum alium conceptum exprimit, quam *honeſte agere*. Sic Plato, *Prudentes ſunt quicunque agenda dicendaque cognoſcunt*; *igitur iſtorum propria ſit perceptio de officiis*. (*V. Dialog. de vot.*), juxta mentem Zenonis officia ſunt *media inter bona*, *& mala* (*V. Petr. Marſ. comp. reform. & enarr. quorund. loc.*, *& ambig. in official. lib. M. T. C.*). Quæ autem ſunt honeſta, ſola natura ignoramus: Quæ ſunt bona, malaque ante experientiæ uſum non innoteſcunt, ergo nec etiam media. Prima propoſitionis pars uſu & experientia ſatis fuit probata (56), & luculentius infra demonſtratur. Secundam ſic oſtendam.

Tribus conſtare bonum, Peripatetici ajebant, & contra *Stoicos* bonum in ſola honeſtate ponentes, ſic argumentati fuere. Hominem, non animo tantum, verum animo, & corpore conſtare, idcirco præter animi bona, bonis quoque corporis, & externis indigere. Quare Ariſtoteles, *bonum eſſe*, ajebat, *philoſophari*, *ſed non egentibus*, & dicere ſolebat adhuc: *Impoſſibile eſſe*, *aut certe non facile*, *præclara agi ab eo cui deſunt facultates*. Quam ob rem bonum generice definiri poſſe, arbitror „ per id quod „ nobis noſtroque ſtatui perfectiones conciliat „ vel brevius „ „ quod fini noſtro convenit „. Divitiæ ſunt quid boni ſi poſſidentis felicitatem amplificant. ſic & actiones; bona ergo abſoluta non extare, relativa duntaxat.

Quid

la valde incerta eſt , ad vitam gubernandam parum ſpectat , ac proinde inter principia practica nequicquam recenſetur .

§. XVIII.

Quid reliqui eſt , quin habeat , quæ quidem in homine dicuntur bona :
Parentes , Patriam incolumen , amicos , genus , cognatos , divitias ?
Atque hæc perinde ſunt , ut illius animus qui ea poſſidet .
Qui ut ſcit , ei bona , illi qui non recte utitur , mala . Ter. (*V. Haut.* 1., 2., 19.) .

Sequitur ergo , quod tam animi bona , quam quæ externa dicuntur modificantur juxta qualitatem ſubjecti , Melius enodemus .

Bonum quod ad animum attinet eſt quod dicitur honeſtum , & cum virtute conjunctum . *Quod rectum* , ait Cicero , *& honeſtum , & cum virtute eſt id ſolum opinor bonum* (*Paradox.* 1.). Quid ſit vero rectum , honeſtum , & cum virtute conjunctum ſola natura non innoteſcit . En verba cujuſdam recentis Auctoris: „ Quod attinet ad hominem , ſubjectum legibus primitivis „ naturalibus conſideratum , nihil eſt ei mali moralis , nulla vi„ delicet læſio tam activa quam paſſiva . Huic malorum generi „ nequit ille exponi , neque ſceleſtum ſe reddere , niſi ſub „ arbitraria quarumdam ſocietatum conſtitutione , quæ modifi„ catur ratione inſtitutorum voluntatis , quorum mores , uſus , „ ſunt multoties inter ſe perbelle contrarii , & malum morale „ unius , ſæpe ſæpius in altero laudabilis eſt actio , & bonum . „ Status præſens , & elapſus nationum hoc abſque repetitione „ probat , hic condemnetur , quod alibi permittitur , immo im„ peratur . Per conſequens malum morale verſatile , atque mu„ tabile eſt , ut animi motus legislatorum „ . (*V. Code de la Natur. 3. par. §. Juſtes bornes du mal. moral.*) . Plura hac ſuper re conſcripſimus (56) , nec ulterioribus argumentis indigemus . Non ideo credamus , hominem juxta quaſdam leges non debere ſuas dirigere actiones , tantum dicamus , has nobis a natura inſculptas non invenire . Sequitur modo , ut de externis pariter dicamus .

Hac ſuper re perparum requiritur argumentum . Pueruli in ignem ruunt , flammam accipiunt , deleteria , & acuminata ore ſumunt , fugiunt multoties quæ eorum corpori perfectionem reconciliare queunt . Cæteroquin . Quid per bonum corporis intelligimus ?

Si

§. XVIII. Conſideremus enim hujus propoſitionis ſenſum (ſenſum enim, non ſonum, principium ſeu notio-

---

Si haud animi fallor; *Soliditatem*, *valitudinem*, *celeritatem*, *activitatem &c.* partium. Nunc peto. Ubinam hæc ſolidiras, celeritas, validitas &c. conſiſtit? Eſt ne nobis obvia, vel a natura ipſa patefacta? An potius argumentis debeamus eam explorare, reflexionibus internoſcere, experientia conſtituere? Hoc neminem negare, arbitror: per conſequens eodem modo argumentari debemus de bonis ad corpus relatis. Quare luculentius vides, nos bona noſtra, ſola natura dictante, ignoramus, quatenus hoc vocabulo non intelligimus activitatem, quam habemus in percipiendo, ſentiendoque quæ nos tangunt, lædunt, vel delectant. Bonum ergo quo ſenſu ſumatur, quoad animum ſcilicet, quoad corpus, & quoad externum nobis eſt naturaliter incognitum, per conſequens mala, media, officiaque nobis, ſola natura, non innoteſcunt.

II. Ad quæſitum quænam lex? legi poteſt quod diximus modo (61.), verum pauca addamus. Lex generaliter ſumta non eſt, quam „ Regula quædam ſive norma, juxta quam actio- „ nes liberas determinare obligamur „ Ex allata definitione excluduntur, ut vides, actiones coactæ, vel neceſſariæ, alioquin lapis ipſe haberet leges, & hoc ſenſu Monteſquieu recte ait, omnia habere leges, verum hoc modo argumentari eſt idem, quam vocabulis abuti. Lex obligat, ergo ſupponit, qui obligat, & qui obligatur, ut & adhuc ante legis præſcriptionem voluntatem liberam, ſecus non requireretur lex. Non ideo intelligo leges phyſicas eruere. Tantum ajo, gravitatem, ſoliditatem, attractionem &c. non pertinere ad voluntatem, neque ad conſilium rationis, quatenus ut affectus mechanici vel phyſici conſiderentur. Præterea, has phyſicas vel mechanicas leges ante experientiæ uſum, & obſervationem haud innoteſcere, dicam, per conſequens non naturaliter haberi. Arduum videtur, verum non ſic meditantibus, Cum a materia ipſa gignantur, produci debent neceſſe poſitis ſcilicet objectis erga quæ tendant, ponderent, trahanturque, & ablatis quibuſdam, ſcilicet circumſtantis, eædem non evolverentur, neque leges iſtas perſentiſceremus, Quot Populi eas nihil, vel parum ſentiunt? Non paucos enumeraverimus. (29.53 62.). Addamus, & Indos. Reponunt hi objectum totius cupiditatis in non agere; Hinc eſt, quod pro eis veræ inertiæ ſtatus bonum eſt. Tam longius hæc progreditur idea, quod imaginant ipſi ſuppremum Ens *immobile*, & *PANAMANAK* (*V. Kircher.*), appellant quod

notionem communem conſtituere , neceſſe eſt) videlicet *virtus eſt optima ratio cultus divini*, i. e. Deo ac-

---

quod idem ſonat ac *immobile* , Sunt & *Siamenſes* , qui felicitatem non reponunt, quam in non animare machinam, & proprium corpus movere. (*V. La Loubere Relaz. di Siam*, *p.*446.). Hoc in ſe expertus *FOB* voluit ad ſolum vacuum cor reducere „ Aures , ajebat ille , & oculos habemus , at vera perfectio „ in non videndo, neque ſentiendo conſiſtit ; habemus os , ma„ nus, at erit nobis perfectio ſi membra hæc in perfecta inactio„ ne morantur „ . (*V. du Halde tom. III.*) . Accolæ Terræ *Ignis* , necnon *Canalis Natalis* eadem eſſe natura , diximus (29) , ipſos mechanicos impulſus haud perſentiſcere , videtur ; Concludimus ergo, ſola dictante natura internoſcimus leges non mechanicas, ſi hæ ſupponunt experientiam, non morales, ſi requirunt voluntatem Legislatoris, determinatis ſignis expreſſam (61): non denique divinas , ſi extent religiones toto cælo diverſæ . Ubinam ergo eſt amor erga leges naturaliter habitus , ſi deficiunt leges ? Ubinam cognitio modi ſe perficiendi , ſi deficiit idea perfectionis ?

III. Ad tertiam quod attinet propoſitionem . Quænam obſtacula , vel difficultates ? Sic habeo . Obſtacula ſuperari debent quatenus ſic ſuadet ratio, vel lex . Si ad primum referuntur a reflexione fortitudo oritur , ſi ad ſecundum a ſtatuto Legislatoris . Cæteroquin obſtacula , quatenus obſtacula ſint, ſupponunt vires, & directiones: in ſtatu mere naturali, & melius ante experientiæ atque rationis uſum, utraque deficiunt, ergo & obſtacula ; deſunt vires , quia animus agit repræſentatione boni , qua repræſentatione ablata , ruit omnis actio : deſunt directiones , quia deficit quo dirigantur vires: hoc eſſet bonum, at idea boni apparentis vel veri naturaliter non habetur , ergo nec etiam directio per conſequens obſtacula, & animi fortitudo ante experientiam, leges, & reflexionem, adeſſe nequeunt. Unico intuitu melius argumentum introſpiciamus.

Stoici fortitudinem appellabant „ virtutem pro æquitate pu„ gnantem „ his conſentit Plato , & Cicero . Ea animi elatio quæ cernitur in periculis , & laboribus , ſi juſtitia vacat , pugnatque non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in vitio eſt. Non enim modo, ait Cicero, (*V.* 1 *Offic.*) id virtutis non eſt , ſed potius immanitatis omnem humanitatem repellentem . Ex quo fit , quod ipſe definit fortitudinem „ eſt ſcientia „ perferendarum rerum , vel affectio animi in patiendo, & per„ fe-

acceptiſſima eſt; quod ſi *virtus*, prout vulgo accipitur, pro iis actionibus ſumatur, quæ juxta varias variarum gentium opiniones laudabiles eſſe cenſentur, tantum aberit, ut propoſitio iſta certa habeatur, ut ne quidem vera ſit. Si *virtus* ſumatur pro actionibus conſentaneis voluntati Dei, aut regulæ ab eo traditæ, quæ quidem unica eſt virtutis ratio, quando, quod in ſua natura rectum & honeſtum eſt, per virtutem ſignificatur; tunc propoſitio iſta, *virtus eſt optima ratio cultus divini*, vera erit & certa, humanæ vero vitæ regendæ non valde accommodata, nihil enim aliud hæc ſonat, niſi illud: *Deo acceptiſſimum eſſe, ſi homines juſſis ejus ſe morigeros* præſtent; hæc eſt veritas, quam quis certo ſcire poteſt, nec tamen cognoſcere ea, quæ Deus præcipit; ac proinde a regula ſive principio, quod ipſius actiones dirigat; non minus, quam antea, cum hanc veritatem plane ignorabat, abeſſe. Atque pauci, arbitror, propoſitionem, quæ ſolummodo dicit, *pergratum eſſe Deo, quod præceptis ejus* homines ſint audientes (quomodocunque verum ſit) ſument pro morali principio in omnium mentibus ſignato, cum ea nos ad virtutem tam parum erudiat. Si quis ita de iis judicaverit, cauſam reperiet, cur plurimas alias propoſitiones principiorum ingenitorum in numerum adoptet, cum plurimæ ſint non minus dignæ, quæ

„ ferendo ſummæ legi parens ſine timore „. (*V. 4. Tuſcul.*) ergo una cum legibus omnis ruit fortitudo. Verum, ut melius clareſcat argumentum. Ideæ fortitudinis majorem demus extenſionem; nulla, ait Plato (*V. Dialog. Giorg.*) eſt virtus, quæ non æmulam, & falſam ſui imaginem habeat. Falſa fortitudinis imago audacia eſt, hæc definitur „ per conatum animi ad „ rem, quam jure aſſequi non debemus „. Per conſequens ablata rei idea, nullus conatus quit inveniri. Hæc eſt ratio, juxta Forſter, qua Incolæ *Canalis Natalis* nullam audaciam habeant, immo ſtupidi deprehendantur, ſcilicet propter obliteratas rerum ideas. (*V. Viag del Cap. Cook tom.* VIII. *p.* 34. 36.).

pro ingenitis principiis recipiantur, quas tamen nemo adhuc in claſſem iſtam adſcripſit.

§. XIX. Nec quarta propoſitio (videlicet) *reſipiſcendum eſſe a peccatis* multo magis ad inſtitutionem vitæ ſpectare videbitur, donec quæ ſint actiones iſtæ, quæ peccata dicuntur, prius fuerit explicitum. Cum enim vocabulum *peccata*, prout uſurpatur, adhibeatur ad ſignificandas actiones illicitas in genere, propter quas delinquentes pœnas luituri ſunt, quid attinebit, morale illud principium inculcare, quod moneat nos, a peccatis reſipiſcendum, & iis abſtinendum eſſe, quippe quæ nobis mala importatura ſint; niſi de iis etiam, quæ ita puniuntur, & quas omittere debemus, actionibus ſingillatim admoneamur? Fateor equidem, eam propoſitionem veram eſſe, & dignam, quæ inculcetur ſedulo, quamque ii omnes amplexentur, qui jam ſunt edocti, quomodo actiones noſtræ ſecundum certas circumſtantias fieri & nominari poſſint peccata; at neque hæc, neque prior iſta propoſitio, principium ingenitum dici poteſt, nec quidem, ſi ingenitæ eſſent, nobis aliquo modo uſui forent; niſi fines particulares virtutum ac vitiorum omnium in animis ſignarentur, & principia inſuper ingenita eſſent, de quo tamen magnopere dubitandum eſſe videtur. Cenſeo itaque vix poſſibile videri, quod Deus principia mentibus hominum impreſſerit in vocibus incertæ ſignificationis, quales ſunt *virtutes* & *peccata*, quæ inter homines diverſos res diverſas ſignificant: imo non poteſt ſupponi, ejuſmodi principia vocibus certis eſſe poſſe ſubjecta, quæ, cum in pleriſque principiorum iſtorum ſint nomina generalia, haud intelligi poſſunt, niſi ideas, quæ ſub iis continentur, particulares cognoverimus. Nam in exemplis practicis norma recti deſumenda eſt ab actionum ipſarum & regularum, quibus actiones illæ innituntur, cognitione, idque ab omnibus abſtrahendo vocibus, ſeu priuſquam terminos cognoſcimus: quas regulas hominem ſcire oportet, quacunque demum fue-

fuerit lingua imbutus, ſive Anglicana, ſive Scythica & Japonica; aut ſi forte etiam nullam omnino linguam didicerit, nec vocabulorum uſum percalluerit, prout mutis & ſurdis accidit. Quamprimum oſtenſum erit, homines ſermonis uſus ignaros, quique ex legibus & moribus patriis haud didicere, partem quandam cultus divini eſſe, hominem non occidere; non niſi cum una muliere rem habere; infantes in matris utero adhuc conſtitutos non interire pati: liberos non exponere; nihil, quod alterius eſt, auferre, ſi vel maxime eo indigeamus; ſed illi potius rebus adverſis ſuccurrere; cum ſecus fecerimus, reſipiſcendum eſſe, & ſummo cum mœrore firmoque animi propoſito hæc poſthac omittendi ad ſaniora conſilia redeundum eſſe: quamprimum, inquam, oſtenſum erit, homines univerſos actu ſcire & aſſenſionibus ſuis comprobare has omnes & mille alias ejuſmodi regulas, quas omnes vocabula duo ſuperius memorata, *virtutes* nempe & *peccata*, complectuntur, potior erit ratio, cur iſtas & id genus alias in communium notionum & practicorum principiorum claſſem adoptemus: ut omnia verbo dicam, univerſalis aſſenſus (ſi quis in practicis principiis reperietur) quo veritates amplectimur, quæ alio etiam modo percipi poſſunt, vix probat, eas eſſe ingenitas; quod unice mihi concedi velim (67).

(67) I. *Hominem non occidere*. Apud nonnullos, cujus generis accolæ novæ Zelandiæ adnumerantur, non ſolum impune interficiunt homines, verum etiam illis veſcuntur. Qui *Floridam* incolunt, maxima diligentia captivos ſervant, & pinguefaciunt, non diverſa ratione quam diebus feſtivis, menſam, ſane impiam, ſibi exornare (*V. Viag. del Cap. Cook*). Ubi eſt hic mali patrati quoddam cognitionis adminiculum? reliqua hac ſuper re (*V. n.* 56.)

II. *Rem quam cum una muliere non habere*. In quibuſdam *Chinæ*, *Bukariæ*, *Indorum* regionibus homines plures habent uxores, ut de Mahometanis videmus: Mulieres *Mediæ* regionis,

§. XX.

Reſpondetur objectioni, quæ dicit innata practica principia corrumpi poſſe.

NEque permagni hic momenti erit uſitatam iſtam & nugatoriam reſponſionem uſurpare, *ingenita* nimirum *morum* principia, *educationis & malæ conſuetudinis corruptela*, nec non illorum, quibuſcum conſueſcimus, communi opinione poſſe *obſcurari*, & ex animis hominum *penitus evelli*. Id, ſi modo verum ſit, refellit argumentum ab univerſali aſſenſu deſumtum, per quod opinionem, quam de principiis mentibus hominum congenitis comprehenderunt, probari volunt, niſi forſan ſibi imaginantur, ſuam ipſorum aut eorum opinionem, qui eandem cum illis ſectam atque inſtitutionem ſequuntur, univerſalis aſſen-

ſi non habeant virorum numerum numero quinque majorem hac ſuper re ſe pauperes putabantur (*V. Strab. Geogr. lib.* x1 *p. m.* 362.); Apud priſcos *Bretones* una fœmina habebat decem, & duodecim viros. (*V. Ceſar. de bello Gall. V.*). Mulieres *Malabaris*, perilluſtris potiſſimum conditionis, quot volunt, viris nubunt (*V. Viag. di Dellon. p.* I. *cap.* 32.). In regno *Thibetis* complures homines, fratres potiſſimum, & propinqui unam mulierem ad voluptatis nutum conſervant. (*V. Viagg. di Cardin. vol.* II. *pag* 261. *Edit. in* 12. 1771.).

III. *Infantes non interire in utero matris ſuæ*. Primates Inſulæ *ſocietatis* illic *Arreoy* nuncupati filios interficiunt ſtatim ac in lucem edunt. Viget eis lex, qua fœtus Arreoy, nemine excepto, mori debent. (*V. Viag. del Cap. Cook tom.* x *pag.* 86.).

IV. *Nihil auferre alteri præter neceſſitatem*. Ægyptii, Lacedæmoneſque furis aſtutiam permagni exiſtimabant, & vigore legis rem alienam auferre licebat. (*V. Plutarch. in vit. Licurg. Herod Hiſt lib* 2.) Ubinam ergo Lex, norma, virtus, peccatum? ubinam eorum idea animo ſignata? Univerſas nationes contra intimæ conſcientiæ conatum agere? Vitam contra legem ſibi inſculptam degere? contra naturam ipſam ſcelus patrare, permittere, collaudare? Impoſſibile videtur.

ſenſus locum obtinere; quod quidem ſæpe videmus iis accidere hominibus, qui ſoli ſapere & recta ratione eſſe præditi ſibi videntur, & reliquorum ideo opiniones tanquam nihili faciendas aſpernantur. Quorum argumentandi ratio ita ſe habebit: *principia, ab univerſo genere humano comprobata, ſunt ingenita; quæ vero homines recta ratione præditi probant, ſunt principia ab univerſo genere humano comprobata; nos & reliqui omnes ſectam noſtram ſequentes ſumus ejuſmodi recta ratione imbuti homines; noſtra itaque, de quibus inter noſmet convenit, principia ingenita ſint neceſſe eſt*: En! feſtiva ſane hæc ratiocinatio eſt, & ad infallibilitatem via maxime compendiaria! Alioquin intellectu difficile erit, undenam ſit, quod quædam dentur principia, de quibus inter omnes convenit; & tamen nulla ſint ex iis principiis, quæ non *ſunt prava conſuetudine corrupta & depravata, vel mala inſtitutione ex hominum mentibus evulſa*: quod perinde eſt, ac ſi dicerent, univerſos ea ſuis aſſenſionibus comprobare, multos vero ab iis diſſentire. Et quidem recepta de iis principiis opinio parum nobis proderit, nec ea ipſa magis ad rem noſtram facient, quam ſi iis prorſus careremus, ſi modo per vim aliquam humanam, qualis eſt præceptorum doctrina, aut ſociorum ſententiæ, mutari in nobis aut deleri poſſent: & tandem poſt inanem iſtam primorum principiorum, & congeniti luminis oſtentationem, non minus in tenebris & opinione dubia verſabimur, quam ſi nulla omnino eſſent: noſtra enim æque intereſt, carere prorſus regula, ac eam habere, quæ pro lubitu ubivis inflecti poſſit; aut inter varias & diſcrepantes regulas, quæ recta ſit, ignorare. Quod vero ad ingenita principia attinet, velim dicant, utrum ea per diſciplinam & cum aliis conſuetudinem obſcurari atque obrui poſſint, nec ne. Si nequeunt, tunc in univerſo genere humano deprehendi debent, & in ſingulis æque clara eſſe neceſſe eſt: & ſi a notionibus adventitiis mutationes ſubeant, tunc quo propiora

ſuis ſunt fontibus, in puerulis nimirum & idiotis, qui alienis opinionibus minime ſunt imbuti; eo clariora magiſque perſpicua. Ad quamcunque ſententiam inclinent, videbunt eam uſui communi, & conſtanti rerum obſervationi repugnare (68).

§. XXI.

In mundo contraria ſunt principia.

LUbens confiteor, varias eſſe *opiniones*, quas homines regionibus, moribus, & corporum conſtitutione inter ſe diverſi, pro *primis & indubiis principiis amplectuntur*: quarum plurimæ, propterea quod abſurdæ ſunt, & ſecum pugnant, nullo modo veræ eſſe poſſunt. Omnes tamen iſtæ propoſitiones, utcunque ſint a ratione alienæ, tanta religione alicubi coluntur, ut homines in aliis rebus peracuti & prudentes, citius vitæ & bonorum omnium jacturam facerent, quam permitterent, ut ea a ſemet aut ab aliis in dubium vocarentur.

§. XXII.

Quo modo principia hominibus vulgo ingenerentur.

HOc, etiamſi res nova videatur, quotidiano tamen uſu & experientia docetur; nec tam mirum fortaſſe videbitur, ſi per quos gradus & proceſſus id fiat, diligenter conſideremus; quo pacto nimirum contingere revera poteſt, ut dogmata, quæ non ab alia origine quam inani nutricis religione, aut anili

(68) Addam, quidquid pro impio, injuſtoque ab initio habetur, ſemper a ſaniore parte ita reputari. Quidquid tanquam peccatum ab initio fuit inſculptum, nunquam alterari eo, ut pro virtute habeatur.

anili ſuperſtitione fluxerunt, progreſſu temporis, accedentibus vicinorum aſſenſionibus, in *principiorum dignitatem ampliſſimam* in rebus tum religionis, tum morum, adoleſcere poſſint. Illi enim, quibus, pueros recte inſtituere; iiſque bona (ut loquuntur) principia inſtillare, curæ eſt, (quanquam pauci ſunt, quibus principiorum, quæ firmiter credunt, certus numerus ad id ipſum ſuppetat) ſimplices puerorum animos, & nullis adhuc opinionum præjudiciis imbutos (ſicut etiam tabula raſa facile quoſvis characteres ſuſcipit) iis, quas credi ab ipſis & retineri volunt, doctrinis imbuunt. His ita in animum quamprimum vis rationis elucere incipit inſtillatis, & poſtea, cum robur accipit ratio, per illorum omnium, quibuscum conſueſcunt, aut profeſſiones apertas aut aſſenſiones tacitas confirmatis; aut eorum ſaltem, de quorum ſapientia, ſcientia, & pietate optimam opinionem habent, qui de iis propoſitionibus ſermones non aliter unquam fieri patiuntur, niſi tanquam de religionis & morum fundamentis, hoc pacto evenit, ut indubitatarum, per ſe manifeſtarum, & ingenitarum veritatum nomen adipiſcantur (69).

 §. XXIII.

---

(69) Plura his addi poteſt. *Diu priores legibus fuiſſe mores, & mores fuiſſe exempla, & exempla primas leges fuiſſe.* (*V. Johan. Bapt. Vicus de conſt. philoſophiæ cap.* 15.). Auctoritas, & exempla permagne valent ad informandos homines. *Nulli ſunt tam feri, ait Seneca, & ſui juris affectus, ut non diſciplina perdomentur.* (*V. Epiſt* 116.). Homines informantur juxta leges educationis, commercii, & temperamenti a natura largiti. En ſenſa Romani Oratoris: *Qui autem natura dicuntur iracundi, aut miſericordes, aut invidi, aut tale quid, ii ſunt conſtituti quaſi mala valetudine animi; ſanabiles tamen: ut Socrates dicitur, cum multa in conventu vitia collegiſſet in eum Zopyrus, qui ſe naturam cujuſque ex forma perſpicere profitebatur. Deriſus eſt a ceteris qui illa in Socrate vitia non agnoſcerent: ab ipſo autem Socrate ſublevatus, cum illa ſibi ſigna, ſed a ratione a ſe dejecta diceret* (*De Fato c.* 5.). Philopæmen cum vidiſſet, cor

§. XXIII. His addi poteſt, homines ita imbutos, quamprimum adoleſcunt, & retroſpicientes aciem judicii in animum ſuum intendunt, nihil ibi recipere ve-

---

cor elatum, & animum magna virtute expletum Lacedæmonibus ineſſe, originem perquiſivit, adinvenitque in natorum educatione, & cum cupiſſet, eos ſuiſſe animo toto cælo diverſos, imperavit relinquere normam, qua filios nutriebant. (*V. Plutarch. vit. Philopæmen.*, *Tit. Liv. lib.* 38). Cum compertum habuiſſent Epidamni, barbarorum communicatione mores corrumpi, Magiſtratum erexere, qui nomine Civitatis, & per Civitatem negocia atque emtiones pertractaret. (*V. Plutar. de reb. Græc.*). Ratio fuit, ut Cives ne barbarorum commercio corrumperentur. Quantum itaque oporteat in pueros magnopere vigilare ne a recto tramite reclinent, luculentius videtis. Pueri non ſentiunt ſe vergere niſi ad quod illis bonum videtur. Idcirco ſcripſit Cicero ad id quod bonum videatur ipſa natura ad adipiſcendum impellit. (*V. Tuſcul. lib* 4. *cap.* 6.). Si ergo manſuetudine, amore, diligentia eis daretur quo percipiant bonum, & malum, nec non bonum & malum apparens, vel verum repetitis vocibus, ac exemplis animo eis imprimantur, putas ne quod non inclinent ad verum bonum, & a vero malo ipſi non reclinent? Hinc eſt, quod Perſides in ſacris legebant libris „ ſi ſanctos eſſe eſ„ flagitatis, docete filios veſtros, vobis enim adſcribuntur o„ mnes eorum actiones, quæ bonæ erunt „. (*V. M.Hyde.*). Hac non alia ratione, iidem monebant, ſe juvenes nubere, ut poſſint ſcilicet, natos educare diligentia, ſpiritu, diuturnitate, quæ ad hoc munus, perinde ſacrum, requiſita videmus. Lex apud Sinenſes vigebat, qua patrata natorum in patres vindicabantur (*V. Garcilaſſo Iſtor. delle guerre Civ. degli Spagnuoli*), & jure quidem. *Qui non vetat peccare*, ait Seneca, *cum poſſit, Jubet*. (*V. Troad verſ.* 291.). Cum vidiſſet Cinicus, quod diſcipulus quidam cum jactantia riſerit, alapam pædagogo præbuit, ex eo quia ſobrietatem non docuit (*V. Plutar. l. virt. doceri poſſe pag.* 45.): In Anglica regione, hoc quidem tempore, uxoris ſcelera vir expiare debet (*V. Johan. Chumberland. nat. ang p.* 1). Et Lacedæmones delicta amici in amicum puniebant. (*V. Helicon. Hiſtor. lib.* 3. *cap.* 10. *una cum adnot. Domini Keriſon.*) Ex quo hæc omnia? Qui, nulla diligentia adhibita, fuit cauſa, qua non reddat vinea ut ſolebat, fructum, ad refectionem totius ille eſt alligatus: Qui margines non curavit, nec ripas ſervavit, inundatione veniente, damna a flumi-

vetuſtius hiſce opinionibus, quas prius didicere, quam actiones ſuas in memoriæ tabulas referre, aut tempus obſervare potuere, quo primum aliqua res nova ipſis innotuerit; non dubitant itaque *concludere, propoſitiones iſtas, quarum notitiæ originem in ſemel inveſtigare nequeunt, inſitas naturaliter & a Deo in animis eſſe conſignatas*, & non ex aliorum inſtitutione hauſtas fuiſſe. Has amplexantur, hiſce parent, haud aliter, ac ſicut plurimi parentibus non ſine ſumma veneratione morem gerere ſolent; non ideo, quia id naturale eſt; nec quidem liberi id faciunt, niſi quando ad illud præceptis ſunt formati; verum quia ita ſemper inſtituti fuere, & primi temporis, quo illud obſequium parentibus præſtandum animis imbiberunt, ſunt immemores, id naturale eſſe putant (70).

§. XXIV.

mine allata jure reficere debet. (*V. ff. lib. IX. T. II. ad legem Aq.*). Quid dicemus modo de illis, quorum oſcitantia, ne dicam exemplis, filii, alumnique in peſſimos vergunt mores, & ſocietatem inficiunt? Vindicentur, ut Sinenſes, delicta in Patres, & meliora videbimus. Fateor, me plus hic, quam requirebat argumentum, ſcripſiſſe; at arbitratus ſum, materiam hanc ſacram atque perutilem non debere ſicco pede tranſire.

Invidus, iracundus, iners, vinoſus, amator:
Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Quid amplius? Ne verbum quidem.

(70) Quando debilitati organorum quædam additur ſtupiditas vel ſpiritus inertia, ſic fortiter anima impreſſiones recipit ut eas nulla ratione poſſit obliterare. Leges, mores, ritus, ea omnia, quæ nobis nugatoria videntur abſque minimo alterationis gradu ſervant Orientales, & tot ex ſeculis cura permagna cuſtodiunt. Debilitas organorum ope clymatis nacta, ſpiritus inertia ope educationis habitæ, ſupremæ poteſtatis formido, in qua continuo deguntur, nullum libertatis adminiculum relinquunt, neque ullam ratiocinandi vim impertiuntur. (*V. Mont. Sp. delle LL. lib. XIV. c. IV.*). Impreſſiones tempore noſtræ infantiæ habitas alia non cauſa nos tenaciter retinemus, & mirabili modo cum natura ipſa confundimus, quam hactenus recenſita.

§. XXIV. Hoc veriſimile eſſe videbitur, & quidem quod non poteſt non evenire, ſi modo generis humani naturam, & vitæ conditionem ſpectemus; in eo enim, quo in hoc mundo rerum ſtatu utimur, videre eſt, *pleroſque omnes haud vitam producere poſſe, niſi in ea, quam profitentur, arte ſe quotidie exerceant; nec animi tranquillitate poſſe frui, donec principia quædam inveniant, quibus tanquam inſtabili fundamento & perfugio ſolicitudinum acquieſcant*. Vir quiſpiam erit tam fluxa & incerta mente præditus, cui non quædam, quas fovet propoſitiones, ſuppetant, quibus pro principiis & fundamentis ratiocinationum omnium utitur; & per quas verum a falſo, rectum a pravo ſecernit; quoniam nonnulli haud otii & ſolertiæ ſatis habent ad propoſitiones iſtas examinandas, propterea quod alios ignavia ab eo revocet, atque alii a teneris moneantur, illicitum eſſe, earum examen inſtituere; idcirco pauci reperiendi ſunt, quibus ignorantia, ſocordia, educatio, aut mens inconſiderata haud in cauſa ſit, *quod temere iis fidem habeant* (71).

§. XXV.

(71) Quot errores, falſitates, mendacia ex veneratione erga eos, qui hæc, vel illa excogitarunt, atque ſcripſere? Quot ſunt inter homines, qui ſua potius, dubitant ratione, & ſenſibus, quam credere, poſſe alios errare? Ariſtoteles obcæcuerit? Dictu nefas. Carteſius de veritate deceſſerit? Incredibile porro. Newtonus erraverit? naviget Anticyram qui hoc temere profert. Præterea, quot homines ſpes vel timor illudit? Præclare Cicero. *Sanguinem pluiſſe, Senatui renunciatum eſt: atratum fluvium fluxiſſe ſanguine: Deorum ſudaſſe ſimulacra ... atque hæc in bello plura, & majora videntur timentibus; eadem non tam animadvertuntur in pace. Accedit illud etiam, quod in metu, & periculo cum creduntur facilius, tum finguntur impunius*. (*V. lib. 2. de Divinat* XXVII.) (*).

(*) Borellus magni ingenii vir fide, qua major deficit, narrat, quod irculator quidam ante ſolis ortum Ebeni ramum inclinans & ſub lapide ponens hæc murmurabat verba. *Io v' imprigio-*

§. XXV. Res in puerulis & junioris ætatis omnibus ita plane ſe habet; cumque conſuetudo, quæ plus quam natura poteſt, ſubigat eos ut plurimum, id pro ſacroſancto habere oraculo, cui animum & intellectum ſubmittere eos aſſuefecit, haud mirum eſt, homines ætatis adultæ, qui aut neceſſariis vitæ occupationibus impediuntur, aut ad voluptatem gravi feruntur impetu, *dogmata ſua nunquam ſerio perpendere*; præſertim cum inter axiomata reliqua receptum ſit, non debere *principia* in dubium vocari. Et quidem ſi illud per otium, ingenium, aut ſuam ipſorum voluntatem hominibus liceret, quis eſt propemodum, qui præteritarum ſuarum cogitationum & actionum omnium fundamenta auſit concutere, aut ferre poſſit pudorem, qui ex eo proveniet, quod fateatur, ſe in maximo errore & rerum ignoratione diu verſatum fuiſſe? quis adeo ferrea eſt mente, ut poſſit opprobria & contumelias pati, quibus undique mordentur, qui audent detrectare illud, quod in moribus patriis, aut ſua ipſorum ſecta receptum eſt? ubinam gentium reperiendus eſt, qui volaticum & inconſtantem, qui ſcepticum, qui Atheum ſe dici patienter feret, quæ tamen illi perferenda ſunt, qui ab opinionibus communiter receptis latum unguem diſcedit? atque magis *extimeſcet*, *de iis principiis dubitare*, cum opinabitur, prout plerique omnes ſolent, ea mentibus noſtris a Deo inſita eſſe, ut ad illorum exemplar aliæ opiniones omnes fingantur. Quid autem prohiberet, quo minus ea principia ſacra putaret, cum videat, eas cogitationes omnium ſuarum eſſe antiquiſ-

---

giono buon'erba finchè tu abbia fatto cadere i vermi, che il tale ha nella teſta, e nell' orecchio. Quo facto, ſtatim concidebant in integrum, etſi abeſſet infirmus, Relator *Wohlfahrt* ſubdit prudenter. Ex hoc recte arguitur, quod homines magni quoque ingenii difficillime ſuperſtitione & præjudiciis, videntur, immunes ſe reddere poſſe. *SOAVE*.

tiquiſſimas, maximoque eas ab aliis cultu & honore excipi.

§. XXVI. Atque ſic conjectare facile eſt, quo pacto accidat, ut *homines* expreſſa ejuſmodi in animis ſimulacra venerentur; mirificoque amplexentur amore notiones, quibus, cum familiariter dudum conſueverunt; *divinitatis charactêres ejuſmodi erroribus & ineptiis aſſignent*, tauris & cercopithecis quaſi ſacra faciant; & pro opinionibus ſuis, tanquam pro aris & focis, pugnent (Uti loquitur *Juvenalis* Sat. XV. v. 37. & 38.) *Dum ſolos credit habendos eſſe Deos, quos ipſe colit*. Quandoquidem enim facultates ratiocinandi, quæ conſtanter ferme, etſi non ſemper caute & ſapienter, cogitationibus occupatæ ſunt, haud operari poſſent, ex defectu fundamenti & certæ ſtationis, qui in plerìſque datur, qui ob ignaviam, aut propterea, quod aliis negotiis impediantur, haud actu penetrant, aut ex inopia temporis, vel quia vera adjumenta deſunt, aut aliis de cauſis nequeunt penetrare in cognitionis principia, aut veritatis fontem rimari, idcirco fieri vix poteſt, quin illi principia aliunde aſciſcant; quæ, quia aliarum rerum argumenta in ſe continere creduntur, per ſe clara eſſe & nullius indigere probationis cenſentur. Horum quædam ſi quis mente ſemel excepit, atque ea dignatus eſt reverentia, quam moris eſt ejuſmodi principiis tribuere, haud unquam ea examinare audet; verum ſemet aſſuefacit, fidem iis propterea habere, quod fide digna videntur; hinc fieri poteſt, ut educatio & mos patrius in cauſa ſint, cur, quæ maxime ſunt abſurda, pro ingenitis principiis amplectatur; atque iiſdem rebus oculos diutiſſime adjiciens, ita lumen ſuum poterit obſcurare, ut chimæras in cerebro confictas, pro numinis ipſius imagine, aut manuum ejus opificio aſſumat (72). §. XXVII.

(72) Rationem, qua Lockius accenſetur atheis, hanc argumentationem potiſſimum eſſe, arbitror. At male ineptèque faciunt. Du-

§. XXVII.

Principia examinari par eſt.

EX hoc progreſſu, quomodo in tanta contrariorum ſibi invicem principiorum varietate, de quibus homines omnium generum & ordinum inter ſe digladiantur, tot reperiantur, quæ tanquam innata perhibentur, facile poteſt intelligi. Si quis denegaverit, hanc eſſe methodum, qua plerique omnes eam, quam de principiorum veritate & evidentia habent, perſuaſionem adipiſcantur, vix alio modo fortaſſe poterit cauſam ſuppeditare tam ſibi contrariarum opinionum, quas plurimi firma & ſtabili aſſenſione approbant, & de quibus ad internecionem uſque pugnant. Et quidem ſi principiorum ingenitorum ea ſit prærogativa, ut, ſine ullo examine, ſua ipſorum auctoritas fidem ſibi conciliet; neſcio quid ſit, quod non poſſit credi, aut quomodo cujuſvis principia poſſint in du-

---

Dubitat hic porro: ſed loquitur ita ut unuſquiſque ſua utatur ratione. Verum eſt, quod nonnulli diſpeſcunt atheos, in eos, qui incipiunt dubitando, & in eos, qui dubitando deſinunt. Primi, ait Bælius, falſi ſapientes ſunt, qui ratiocinare credunt, alteri ſunt ſpiritus omnibus flagitiis, ac iniquitatibus expleti. Iſti evadunt Athei quia impii fuere, illi quia increduli, etſi abſque fine, ac depravatis moribus (*V. ſuper Com. art.* 177.). Sed quot ſunt athei, qui Deo non credunt, non alia ratione, præter quam nunquam in eum cogitavere? Atheos *abſque reflexione* hos appellat Bernardus (*V. novelle della Rep delle lettere Novembre* 1701.). Lockius iſtos atheos, quaſi per manus captos, ad Dei cognitionem ducit. Dubitat ergo, ut ſua utatur ratione: incipit a dubitando, non quia ſuſpicatur de exiſtentia Dei, ſed ut ea internoſcatur: dubitat, non, ut homo in ſtatu reflexionis conſtitutus, ſed ut homo illiteratus, ut homo, cui ideæ deficiunt, ut homo qui notiones incipit nanciſci, atque eas in ſe adhibere: dubitat denique non de exiſtentia Dei, ſed de idea Dei nobis congenita. Non ait, Deum non eſſe, tantum ejus ideam nobis inſculptam deficere. Demum tam longius eſt, Lockium hoc cogitaſſe, quam ut aperte potius fateret Deum eſſe: imo, ut infra videbimus, contra Atheos magnopere argumentatur.

dubium vocari. Si fas eſſe dicent, ut de iis examen inſtituatur, ſcire velim quomodo prima & ingenita principia examinari queant; conſentaneum ſaltem eſt, ut notæ & characteres quærantur, quibus germana principia inſita ab aliis ſecerni poſſint; ut in ea opinionum varietate, errorem in re tanti momenti devitare poſſimus. Hoc ſi fuerit factum; adeo lepidas utileſque propoſitiones alacri & lubenti animo amplectar; interea temporis, hoc mihi dubium habere haud immodeſtum erit; vereor quippe, ne conſenſus univerſalis, præter quem non alia affertur, non ſufficiens ſit nota ad voluntatem meam dirigendam, & principiorum ingenitorum fidem mihi faciendam. Ex iis, quæ dicta ſunt, nulla, de quibus inter omnes convenit, dari principia practica, ac proinde haud ingenita, extra dubium eſſe puto.

C A P. III.

Diſquiſitiones aliæ ſuper principiis ingenitis tum ſpeculativis tum practicis.

§. I.

Principia non ſunt ingenita, niſi ideæ illorum ingenitæ ſunt.

SI principia dari ingenita, nobis qui perſuadere conantur, haud generatim iſta ſuiſſent complexi; verum propoſitionum iſtarum membra ſeparatim ſpectaſſent, non feſtinanter adeo fortaſſe, ea congenita eſſe, credidiſſent. Quoniam, ſi *ideæ*, e quibus veritates iſtæ conſtant, non ſint, fieri nequit, ut conflatæ ex illis propoſitiones inſitæ a natura eſſent, aut noti-

notitia illarum cum nobis ſimul naſceretur. Niſi enim nobis ingenitæ ſint *ideæ*, tempus erat, quo animus expers erat principiorum iſtorum; quod ſi ſic, ea non innata, verum ex alia origine hauſta eſſe, neceſſe eſt. Ubi enim non ſunt *ideæ* ipſæ, ibi nulla cognitio, nullus aſſenſus, mentalis nulla aut verbalis propoſitio de iis eſſe poteſt.

§. II.

Ideæ præſertim eæ, quæ ad principia pertinent, haud in parvulis innaſcuntur.

SI ad puerulos recens natos animos diligenter attendamus, haud rationem inveniemus, qua credere poſſemus, nos plurimas ſecum *ideas* in vitæ hujus lucem ferre. Si languidas enim nonnullas *ideas* excipiamus, famis fortaſſe, & ſitis, & caloris, & dolorum quorundam, quos forte in utero ſenſerunt, haud in illis reperiri poteſt minimum ullius ſtabilis fixæque *ideæ* veſtigium; præſertim *idearum*, *quæ terminis reſpondent*, *quibus univerſales iſtæ propoſitiones conſtant*, quæ ingenita principia vocantur. At videre eſt, quomodo gradatim ſenſimque poſtea *ideæ* diverſæ mentes illorum ſubeant; eoſque nec plures, nec alias nanciſci, quam quæ ab experientia, & rerum, quæ quotidie occurrunt, diuturna obſervatione ipſorum mentibus inſtillantur: atque hinc ſatis demonſtratur, has ideas haud primævos eſſe characteres a natura in animis impreſſos.

§. III.

§. III.

Hac ulterius probatur.

IMpoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe, procul dubio (ſi quod aliud) principium eſt ingenitum. Sed quis credet, aut affirmabit, *impoſſibilitatem* & *identitatem* duas eſſe *ideas* ingenitas? Num omnibus inſunt hominibus, & ſimul univerſo generi humano innaſcuntur? Num primæ ſunt in puerulis & ita acquiſitis omnibus aliis priores? Si ſunt innatæ, ita ſe hæc habere neceſſe eſt. Num parvulus prius habet *impoſſibilitatis* & *identitatis*, quam *albi* vel *nigri*; *dulcis* aut *amari ideam*? An ex hujus etiam principii notitia colligit; mammam, Abſinthio oblitam, non eundem, quem prius, guſtum præbere? Num principii hujus, *Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*, actualis cognitio efficit, ut parvulus ſuam nutricem a peregrina internoſcat; ut illam amplexetur, hanc fugiat? Numquid mens ſemet & aſſenſum ſuum per *ideas* dirigit, quas nunquam habuit? Aut intellectus a principiis, quæ nunquam erant ipſi cognita, concluſiones infert? voces *impoſſibilitas* & *identitas*, duas ideas notant, quæ, *tantum abeſt, ut cognitæ ſint*, noſtræque potius menti impreſſæ non ſine cura & attentione diligenti noſtris in animis recte formandæ videantur. Et tam longe abſunt a congenitis, tamque ab infantulorum, parvulorumque cogitationibus remotæ, ut, re diligenter examinata, pro comperto, opinor, ſimus habituri, provectioris ætatis plurimos illarum expertes eſſe (73).

§. IV.

---

(73) Idea *impoſſibilitatis* ac *identitatis* eſt idea abſtracta, & ſupponit, repeto, concretam. (15 25). *Idem eſſe*, eſt idea poſitiva, *idem non eſſe*, eſt idea negativa ipſius entis; animus ut judicet de hac impoſſibilitate ſibi repræſentare oportet ideam poſitivam, & negativam ſimul; non ſecus ac de identitate, tum per-

§. IV.

Identitas haud innata eſt idea.

SI *Identitas* (ut de ea ſola mentionem faciam) a natura imprimatur, & conſequenter veritas ſit adeo perſpicua, ut ab incunabulis ipſis nobis neceſſario innoteſcat; vellem libenter, ut quis puerulus ſeptem annorum, aut vir ſeptuaginta annos natus me certiorem faceret, utrum homo, qui creatura eſt anima & corpore conſtans, poſt mutatum corpus, idem homo maneat? utrum *Euphorbus* & *Pythagoras*, in quibus eadem inerat anima, etiamſi maxime diverſis vixere ſeculis, idem tamen homo fuerint? imo utrum gallus etiam gallinaceus, qui ejuſdem deinde particeps erat animæ (74), idem fuerit, qui uterque & Euphorbus & Pythagoras? hinc fortaſſe ex difficultate hanc explicandi quæſtionem palam erit,

percipere debet notas, quibus quicquam ſit illud, nec aliud; hæ notæ in ſubiecto ſunt, per conſequens neglecta idea ſubiecti, deficit idea abſtracta, nec animus ſibi quit repræſentare exiſtentiam, neque identitatem generatim ſumtam.

(74) Hic loquitur in Platonicorum, Pythagoreorumque ſententia. Exiſtimabant hi, animas in quadam cæli parte præextitiſſe corporibus, inde in hominum corpora illabi, atque per *metempſychoſin* ex alio in aliud corpus, etiam belluarum demigrare. Quod refellitur a Lucretio verſiculis iſtis

Præterea ſi immortalis natura animi
Conſtat, & in corpus naſcentibus inſinuatur,
Cur ſuper anteactam ætatem meminiſſe nequimus?
Nec veſtigia geſtarum rerum ulla tenemus?
Nam ſi tantopere eſt animi mutata poteſtas,
Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum
Non, ut opinor, id ab leto jam longiter errat.

(*V. de nat. rer. lib.* 3, *V.* 670.). Non credatur interim, Auctorem idem ſectari ſyſtema; nam contrariæ opinionis eſt, ut inferius videbimus.

ideam noſtram *identitatis* haud ita perſpicuam & firmam eſſe, ut ingenitarum in numero a nobis recenſeri mereatur. Si enim iſtæ, innatas quas volumus, *ideæ*, haud adeo claræ diſtinctæque ſunt, ut univerſim notæ ſint, & de iis naturaliter inter omnes conveniat, fieri nequit, ut fundamentum veritatum univerſalium atque extra dubitationem omnem poſitarum eſſe poſſint: verum e contraria parte neceſſario in cauſa erunt, cur omnis cognitio noſtra dubia ſemper & incerta ſit. Credo enim, haud eandem fore in unoquoque, quæ erat in *Pythagora*, & mille aliis e ſectatoribus ejus, *identitatis ideam*: quæ itaque vera habebitur? num ea, quæ innata eſt nobis? aut dicet quis, duas eſſe diverſas identitatis *ideas*, quarum utraque innata eſt?

§. V. Nec temere putet aliquis, quæſtiones, quas circa hominis *identitatem* hic propoſui, meras eſſe inanes ſpeculationes; quod ſi eſſent, id liquido oſtenderet, nullam eſſe in intellectu humano ingenitam *identitatis ideam*. Ceterum qui ad mortuorum reſurrectionem animum pauliſper attendet, & conſiderabit, cum Deus die noviſſima e ſepulchris homines eoſdem, qui antea mortui ſunt, prodire jubebit, & in eoſdem ipſos homines judicium ex ſtricto jure dabit, ut felices ſint aut miſeri in futura, quatenus bene vel ſecus fecerunt in hac vita; is, inquam, haud facile fortaſſe ſecum ſtatuet, quid ſit illud, quod eundem numero hominem efficiat, aut in quo conſiſtat *identitas*; nec temere ſtatim dicet, non ſolum ipſi, verum unicuique, atque ipſis puerulis inſitam eſſe a natura claram iſtius *ideam* (*).

§. VI.

(*) Campanæ comparatio non eſt perfecta. Quando denuo ſundetur duplicata ratione a præcedente differt. I. quia complures partes in fuſione amittuntur. II. quia reliquæ diverſam ſumunt formam, per conſequens in ea *materiæ*, & *formæ identitas*

§. VI.

Totum & pars haud ideæ ſunt ingenitæ.

PErpendamus mathematicorum principium illud, *totum eſt majus ſua parte*, hoc, arbitror, inter principia ingenita recenſetur, & certus ſcio, illud non minus, quam aliud quodvis dignum eſſe, quod

 in

---

tas deficit omnino. Non ſecus dici debet in corporum reſurrectione. Propria ac præciſa eſſet machinæ comparatio ſi ſupponeretur decomponi, ac denuo componi. Eligimus *Repetitionem*, vel quamlibet machinam in ſuis partibus complicatam, & recomponimus eam, prius decompoſitam, erit profecto eadem. Pariter, ſi Deus colliget partes omnes, quæ quodlibet individuum conflabant eodem modo quo prius erant, quis audebit dicere, eadem corpora appellari nequire? Campana ipſa quando partes exacte ad eumdem modum colligi poſſent, etſi in pulverem redditæ, adhuc ab omnibus eadem appellatur. Exemplum hoc luculenter demonſtrat, quod idea præciſa identitatis non eſt ſane communior, idcirco nec quoque innata.

Haud alienum videtur, verbo reſurrectionis hic cerebroſam hypotheſim, referre quam Bonetus neſcio an ex ſe, vel Leibnitio Duce (*V. Leibn. Epiſt. ad Vangerum n. 5.*) ſit imaginatus, & poſuit primo in tentamine analytico *facultatum animæ* dein fuſius in *Palingeneſia* expoſuit. Ille credit ſenſorium commune nobis eſſe ex ſubſtantia luci ſimili, quod ſit indeſtructibile germen, intactum, & adhuc ſoluto corpore, ſubſiſtet, ita ut reſurrectio nihil præter hujus germinis enodationem non eſſet. At ſicuti in Hiſtoria naturali eſt ille celebris, metamorphoſeon quamdam reproductionem voluit adhuc in Homine invenire. Magno utitur ingenio ut ſua valeat hypotheſis, & facit, quaſi Divinas Scripturas illi inſervire. Verum adducti textus ſuam Palingeneſiam vel regenerationem non probant profecto, & contra ſuos conatus ejuſmodi ſyſtema haberi debet tanquam poetica imaginatio, vel ut ſomnium ingenioſum. (*a*). *SOAVE*.

(a) In compendio Doct. Winne hæc comparatio exiſtit. „ Si „ funderetur campana ita ut ea renovetur, exurgit poſtea eadem? „ eſſet juxta omnes diverſa; haud diſſimili modo, homines in „ reſurrectione eoſdem non eſſe &c, „ At ego eandem non invenio neque in Gallica, neque in Latina verſione. Nullatenus hic adnotationem reculi.

in iſto numero habeatur. Sed nemo dicet, hoc principium eſſe innatum, cum conſideraverit, *ideas*, quas in ſe continet *totum* & *pars*, eſſe pure relativas; poſitivas vero *ideas*, ad quas proprie & immediate pertinent, eſſe extenſionem & numerum, quorum tantummodo *totum* & *pars* relationes ſunt. Adeo ut ſi *totum* & *pars* *ideæ* ſint ingenitæ, idem de extenſione & numero neceſſario dicendum ſit, quoniam impoſſibile eſt *ideam* habere relationis, ſine ulla rei iſtius *idea*, ad quam refertur, & in qua fundatur. Utrum vero extenſionis & numeri *ideæ* in animis hominum a natura ſint impreſſæ, iis conſiderandum relinquo, qui patroni ſunt principiorum congenitorum (75).

§. VII.

Idea cultus divini haud ingenita eſt.

D*Eum eſſe colendum*, veritas eſt, procul dubio, qua non alia major mentem humanam ſubire poteſt, quæque inter principia omnia practica principem locum jure ſibi vendicat. Illa vero haudquaquam ingenita dici poteſt niſi pariter *Dei* & *cultus* *ideæ* ſint ingenitæ. *Ideam* iſtam, quam vox *cultus* involvit, haud in puerorum intellectu eſſe, nec characterem in animo in primo iſtius ortu ſignatum, omnes, credo, facile mihi concedent, qui ſecum volvent, quam pauci ſint inter adultos, qui claram iſtius diſtinctamque notionem habent. Quo conceſſo, non quicquam puto abſurdius eſſe, quam aſſerere, principium hoc practicum, *Deum eſſe colendum*, eſſe in

(75) In quo peccat Lockius, repetitio eſt: illam potiſſimum hic obſervamus. Superius argumentum pertractavimus. Totum, & partes ſupponunt ſubjectum, & extenſionem, ergo & præhabitas ideas.

in puerorum animis a natura inſitum; eos tamen neſcire, quid ſit cultus iſte, quem Deo præſtare officii religione tenentur. Sed hoc urgere ulterius, non placet.

§. VIII.

Dei idea haud innata eſt.

SI qua alia, certe Dei *idea* præ aliis omnibus, ob multas rationes ingenita cenſeri poteſt; difficile quippe eſt concipere, quomodo, ſine numinis *idea*, *moralia* principia nobis ingenerarentur: abſque legislatoris notione, impoſſibile eſt legis, & vinculi, quo iſtam obſervare obſtricti tenemur, notionem habere. Ut ſilentio prætercam *Atheos*, quos in perpetuam infamiam veteres literarum monumentis conſignarunt, annon navigatio, poſteriori hac noſtra memoria, univerſas gentes & nationes detexit in ſinu *Soldaniæ* (*a*), *in Braſilia* (*b*), in Borandia (*c*), atque inſulis Caribæis, &c. in quibus nulla erat notio numinis, religio nulla. *Nicolaus del Techo in literis ex Paraquaria de Caaiguarum converſione*, ita loquitur (*d*): *reperi eam gentem nullum nomen habere, quod Deum, & hominis animam ſignificet, nulla habet ſacra, nulla idola.* Hæc exempla petuntur ab hominibus artium & literarum plane rudibus. Gentes aliæ ſunt diſciplinis haud mediocriter excultæ, in quibus, propterea quod haud ſatis animum & cogitationes ad illud intenderunt, nulla numinis eſt notio. Siamitas ex hoc numero eſſe, ut mirum mihi viſum

 eſt,

(a) *Rhoe apud Thevenot. p. 2. Terry* $\frac{17}{547}$ *& Ovington* $\frac{489}{606}$

(b) *Jo. de Lery c.* 16.

(c) *Martiniere* 201. 322.

(d) *Relatio triplex de rebus Indicis Caaiguarum* 43. 70.

eſt, alii etiam procul dubio mirabuntur (76). De hac re qui dubitant, Galli legatum (*a*) adeant, nec, ſecundum ejus ſententiam, apud Chinenſes (*b*) ipſos multo ſecus ſe res habet. Et fortaſſe ſi mores, & ſermones hominum, haud adeo procul diſtantium, attente conſideraremus, haud ſane parum metuendum foret, ne, in regionibus, in quibus homines ad politiorem humanitatem formantur, Dei notitia in plurimorum animis admodum debilis & obſcura deprehendatur (77); nec abſque ratione eſt, cur concionatores pro ſuggeſtu de graſſante atheiſmo graviter querantur. Licet enim non niſi perditi quidam & diſſoluti homunciones has opiniones ſuas audacter profiterentur; fortaſſe tamen plures in eandem eſſent ſententiam locuturi, niſi magiſtratus, aut vicinorum cenſura ora illis obſtrueret, quæ, ſi metus ſupplicii, aut infamiæ pudor abeſſet, haud minus atheiſmum ſuum vulgarent, quam vitam ſuam diſſolutam ſolent.

§. IX. Quod ſi etiam homines ubique gentium *Dei notitiam* haberent (cujus contrarium hiſtoriis mandatum eſſe novimus) non tamen inde ſequeretur

(76) Nuper adinventi fuere in nova Zelandia, qui ſine Numine, ſine cultu, ſine Divinitatis idea vitam degunt. (*V. Viagg. del Cap. Cook.*)

(a) *La Loubere du Royaume de Siam t. 1. c. 9. ſect. 15. & c. 20. ſect. 22. & c. 22. ſect. 6.*

(b) *Ib. T. I. c. 20 ſect. 4 & c 23.*

(77) Idea ſupremi entis a diverſa perfectionum repræſentatione pendet; per conſequens a facultate abſtrahendi, ſi hæc rudis ac imperpolita cuidam homini extat, rudem pariter, ac imperpolitam Dei ideam habet. Quot homines Deum colunt, cujus idea clara ac diſtincta non gaudent? Vos ad experientiam appello. Interrogate homines, neque commercio, neque reflexione perpolitos, auſcultate reſponſum, & ex eorum definitione dijudicate. Adnotatio Domini Coſte, quam modo referemus, ad evidentiam probat.

tur, *ideam* iſtam eſſe a natura *inſitam* (78). Etiamſi enim nulla eſſet gens, quæ nomine, & obſcuris quibuſdam notionibus hujus ſummi Entis careret; haud illud tamen magis probaret, ea naturaliter eſſe in animo ſignata, quam ignis, ſolis, caloris, aut numerorum nomina probant *ideas*, quas indicant, ingenitas eſſe, quoniam rerum iſtarum nomina, & illarum *ideæ*, inter genus humanum univerſaliter adeo cognita, uſuque recepta ſint. Neque e contrario talis nominis defectus, aut notionis, e mentibus humanis abſentia magis demonſtrat non eſſe Deum, quam argumento foret, non dari magnetem in rerum natura, quoniam pars hominum neque rei iſtius cognitionem habeat, neque nomen, quo exprimatur, teneat; aut non eſſe diſtinctas diverſaſque angelorum, aut entium intelligentium ſpecies ſupra nos, quoniam neque *ideas* habemus diſtinctarum iſtiuſmodi ſpecierum, neque nomina, quibus ſignentur: cum enim voces hominibus ſuppetant ex patrii ſermonis uſu quotidiano, fieri non poteſt, quin aliquas habeant rerum iſtarum *ideas*, quarum nomina ſæpius ab iis uſurpantur, quibuſcum familiares ſermones conferunt: atque ſi *ideæ* iſtæ excellentiæ, magnitudinis, aut rei cujuſvis inſignis notionem præ ſe ferant; ſi reverentia eas comitetur; ſi abſolutæ & ir-

(78) Idea Dei eſt idea numero completa perfectionum. Dum dico Deum, dicere puto Ens ſumma manſuetudine, juſtitia, ſapientia, bonitate, libertate &c. gaudens. Attributa hæc ſunt qualitates eminentiori gradu conſideratæ, ergo ſupponunt ſubjectum. Quidquid in ſubjectis videmus, quod optimum atque perfectum dicimus, Deo tribuimus, per conſequens noſtræ mentis operatio in repræſentatione Dei abſtractio eſt. Perfectiones enim ex peculiaribus ſubjectis avellimus & in unum colligimus. *Ea*, ſunt verba Div. Thom., *quæ ſunt diviſim, & multipliciter in creaturis, in Deo ſunt ſimpliciter, & unitæ, ut ſupra dictum eſt*, (*V.* 1. *part.* *q.* 14 *art.* 1. *ad* 2.) ſi ergo haud res creatas percipimus, nequimus nobis repræſentare Deum. Idcirco recte ait Lockius, ideam Dei non eſſe animo inſculptam.

irreſiſtibilis poteſtatis timore in animum imprimantur, vix fieri poteſt, quin radices altius agant, latiuſque extendantur; præſertim ſi conſentaneæ ſint rationis lumini, & ab unaquaque parte cognitionis noſtræ poſſint deduci, cujuſmodi Dei *ideam* eſſe, manifeſtum eſt. Notæ enim viſibiles ſapientiæ, & poteſtatis ſummæ, in rebus omnibus creatis adeo conſpicuæ ſunt, ut creatura rationalis, cui ſerio illas contemplari vacat, non poſſit non ad Dei omnium horum admirandorum operum auctoris notitiam pervenire: atque ejuſmodi Entis agnitionis vim in illorum animis, qui ſemel tantummodo numen auditione acceperunt, tantam eſſe tantique ponderis cogitationes ſecum trahere, quæ ſe per totum orbem expandere poſſint, neceſſe eſt, ut mihi magis mirum videatur, uſpiam inveniri univerſam gentem barbaram adeo atque ſtupidam, ut nullam Dei notitiam habeat, quam ſibi imaginari homines, qui omni numerorum, aut ignis notione carerent (79).

§. X.

---

(79) Attente perlege, & ſi potes, Atheum auctorem appella. Ego nullam adinvenio notam, de qua culpetur ille. Non quia ait, ideam Dei naturaliter nobis inſculptam non eſſe, ipſius ſupremi entis exiſtentiam negat. Verbis Divi Auguſtini utatur. *Ego ita ſum affectus ut quid ſit verum non credendo ſolum, ſed etiam intelligendo apprehendere impatienter deſiderem*. (*V. lib. III. contra Academicos cap.* 20.). Quando Lockius ait oportere, nos veritates perquirere, natura enim animo noſtro nequaquam adeſſe, non idcirco intelligit veritates deficere (9); quando ait ideam Dei nobis non eſſe ingenitam, non ſequitur Deum ab illo negari. Ope ſenſuum & reflexionum innoteſcit Dei exiſtentia. *Ratio*, ſunt verba Gregorii Nazianzeni, *illa, divinitus omnibus inſita, & prima in pectoribus noſtris condita lex, cunctiſque mortalibus innexa, nos ab iis rebus, quæ oculis cernuntur, ad Deum ſubvenit*. (*V. orat.* 2. *de Theol.*), & alibi ſcribit idem, *oportere hominem, aut Philoſophum eſſe, aut philoſophiam laudare, ne brutæ ſocordiæ damnetur, qui rationis particeps creatus eſt*; his addit per *rationem ad verbum imus* διὰ λόγον πρὸς λόγον σπεύδοντες. (*Orat.* 23.). Sic legitur apud peranti-

quum

§. X. De Dei nomine mentione ſemel in quodam terrarum loco facta, ad ſupremum, omnipotens, ſa-

---

quum Auctorem. *Sunt autem modi duo, quibus poſſumus adduci ut cognoſcamus Deum, ſuſcipiamuſque curam noſtri ipſorum; ſc aut cogitationibus naturalibus per viſibilia adſcendamus ad Conditorem, aut per legis nobis traditæ doctrinam.* (*V. comm. in Eſaiam cap.* 8. *inter Oper. S. Baſilii Tom.* 1.). Et ut ita ſe res habeat, paululum perpendamus argumentum, quod ad Dei cognitionem ducit.

Homo in lucem editur, & tot diverſa numero, figura, qualitate &c. videt, tangit, audit &c., hinc ſenſim ſuam adauget rationem, percipit denique, comparat, dijudicat quæ ſuis oculis obverſentur. En quod diſcrimen inter ſe & externa, relationes inter patrem, & filium, ſimilitudinem, prioritatem, ſucceſſionem, ſeriem continuo obſervando, ſentit, percipit, arguit, concludit. Hoc facto, ſi eſt homo, quod intendi volo, ſi eſt rationis particeps, e cognitionibus a ſenſibus ſuppeditatis non poteſt non arguere Deum, illum colere, & attributa ejus internoſcere. Tempore quo ſibi eſt conſcius ſe ab altero eſſe diverſum, haud internoſcere nequit exiſtentiam ſui ratione temporis, & ſucceſſionis ab aliorum exiſtentia eſſe diverſam, & magnum ineſſe diſcrimen inter opus & Opificem, per conſequens nequit profecto inficiare, quod ratio exiſtentiæ unius in altero contineat, & pedetentim progrediens ad fulcrum tandem perveniat, in quo omnia videat innixa. Manu tangimus, oculis videmus, animo internoſcimus fluxu perpetuo omnia corrumpi, omnia ergo haud in ſeipſis rationem ſufficientem habere queunt, hanc rerum ſucceſſionem, dependentiam, relationem non videremus alioquin. Hoc unum, e quo omnia fluunt, & in quo propriam exiſtentiam internoſcimus, Deus eſt, Ens ſcilicet unum, primum, independens, immutabile, neceſſarium, perdurans, liberum, infinitum &c. Quidquid continet in ſe rationem ſufficientem ſui, ſemper cum ſe, & in ſe exiſtit: principium neque finem agnoſcit, totis ſuis qualitatibus perdurat, per conſequens neceſſarium, immutabile, infinitum &c. ecquis eſſet tam ſtupidus, ut fulcrum ſuæ exiſtentiæ in hoc non agnoſcat? Ecquis tam cognitionibus expers ut hoc unum non colat? omni habitu & reflexione deſtitutus profecto, ut Populi ſupra enunciati, eſſe deberet. Nullos invenire poſſe atheos, qui revera ſic ſentiant in animo, tantum qui ſic velint pro flagitiis ac iniquitatibus patratis nec in toto Terrarum orbe poſſe, cenſeo. „ Impii ſunt contra Numina, „ ipſe

ſapientiſſimum, & inviſibile ens deſignandum, neceſſe eſt, propterea quod notio iſtiuſmodi communis ra-

---

„ ipſe Plato ait, qui Deorum exiſtentiam negant, vel eam etſi „ concedent, impugnant poſt, Deos nos reſque noſtras non re„ ſpicere, atque curare . . . ſenſa ſunt æque nefanda, ac exi„ tialia „ (*V. leg. lib. X.*). Et en altera atheorum ſpecies, qui, Deum providentiſſimum eſſe, negant.

Duo argumenta oppoſuere. I. Providentiam cum Dei beatitudine pugnare. II. bonos homines miſeria afflictari, e contra malos felicitate gaudere. Hinc primo oſtendam, rationem nobis dictitare, Deum eſſe providentiſſimum, ſecundo argumenta contra providentiam allata ab Epicureis uberrime confutabo.

I. Wolfius Divinam providentiam definit „per decretum Dei „ de conſervatione, & gubernatione rerum omnium in hoc uni„ verſo, & concurſu ad earundem actiones „. Recte porro. Videndum ergo an Deus: 1. conſervet quæ creata ſunt: 2. concurrat ad eorundem actiones: 3. ea omnia gubernet.

1. Vidimus modo, quod creaturæ omnes non continent rationem ſuæ exiſtentiæ niſi in Deo, qui ſolus per eſſentiam ſuam neceſſario exiſtit, ergo voluntate Dei continuata perdurant; alioquin dediſſet Deus exiſtentiam per eſſentiam creaturis, quod dici nequit, attributa enim incommunicabilia ſunt, nec poteſt ens contingens neceſſarium evadere. Continuatio voluntatis divinæ de rei creatæ exiſtentia dicitur *conſervatio*, & exiſtentia rerum ſupponit Dei Voluntatem, ergo ſupponit pariter, Deum continuare rei conſervationem.

Sunt interim duo diſtinguenda in re conſervata *reale* ſcilicet & *limitatio*: quatenus *reale* eſt, Deus conſervat, non ſic quatenus limitatio, hæc defectus eſt ulterioris realitatis, nec influxu aliquo indiget. Exemplum afferam. Anima humana vim habet ſibi repræſentandi res, hæc vis repræſentativa realis eſt, verum limitationes habet, oriuntur enim ex ea *repræſentationes confuſæ*, *errores*, *præjudicia*, hæc quæ limitationes appello, defectus realitatis ſunt, nec ut diximus expoſcunt conſervationem. Oportet, adnotari pro moralibus actionibus, de quibus infra.

2. Concurſum ad actionem alterius Wolfius definit „ per actio„ nem, quæ in ſe continet aliquid rationis, cur agens agat vel „ egerit „. (*V. Theol. Nat tom.* 1. *p* 873), actio ſupponit vim, qui concurrit ad medium, concurrit ad finem, qui concurrit ad conſervationem cauſæ, concurrit ad conſervationem effectus, Deus qui agit voluntate ad exiſtentiam rerum creatarum

rationis principiis conſentanea ſit, & frequens iſtius mentio ad illorum commoda pertineat, ut longe lateque vagetur; & feræ poſteritati per multa ſecula tradatur; etiamſi quoque hæc vox univerſe nota ſit: &

---

tarum, concurrit ad exiſtentiam virium, quibus res ipſæ agunt per conſequens Deus concurrit generatim ad actiones creaturarum, quatenus ſunt actiones & a vi agente proficiſcuntur, non quatenus hoc illove modo ſunt per limitationes determinatæ, ut ex diſtinctione modo enunciata liquet.

3. Gubernatio nihil eſt aliud „ quam mediorum, actionumque „ ad certum aliquem finem directio „ cum Deus agat in exiſtentia rerum propter concurſum, agit ſapienter, & ut Ens ſapientiſſimum optimis finibus ſapienter optima media connectit, per conſequens omnia gubernat.

II. 1. Deus pura mens eſt, infinita ſapientia præditus, per conſequens unico intuitu omnia perſpicit, diſtinctius intelligit, tranquille vult, continet, & gubernat; perridiculum ergo erit cum Lucilio (*V. apud Cic.* 1. *de nat. Deor.*), dicere, *quod æternum & beatum eſt id nec habere ipſum negotii quidquam, nec exhibere alteri: itaque neque ita affici, neque gratia teneri, quod quæ talia eſſent imbecillia eſſent omnia & mutabilia. Deum vero quid niſi quietum dicere licet?* En PANAMANACK Deus Indorum (66.). *At ſi Deus regit curſus Aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordineſque conſervat, terras & maria contemplans, hominum commoda vitaſque tuetur, ne ille eſt implicitus moleſtis negotiis, & operoſis.* Hic cum mente limitata confunditur Deus, & homini comparatur; quid hoc ſtultius ac perridiculum?

2. Ecquis in hac rerum ſerie quid mali, quid boni ſit luculenter internoſcit? Ecquis poteſt futurum perſpicere, ut credat eſſe, quod modo videtur bonum in irreparabile malum ſe non convertat? Afferam in integrum textum Divi Auguſtini, & meditationem finiam. *Placuit quippe Divinæ providentiæ præparare in poſterum bona juſtis, quibus non fruentur injuſti; & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Iſta vero temporalia bona & mala utriſque voluit eſſe communia: ut nec bona cupidius appetantur, quæ mals quoque habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur.* (*V. lib.* 1. *de Civ. cap.* 8.). Unicum verbum addam. Deus in ordine rerum dirigit actiones, quatenus a vi proficiſcuntur, non quatenus ſunt limitationes, multoties hæ mala gignunt, hoc ſenſu ea non regit Deus ut ſupra (1, 2.) demonſtravimus.

& imperfectæ quædam parumque ſibi conſtantes notiones, ab hominibus, ſeriis cogitationibus minime aſſuetis, adjectæ fuerint, *haud tamen ideam Dei congenitam eſſe, exinde ſequitur*; verum illos tantum, qui veritatis iſtius inventores erant, ratione ſua recte uſos fuiſſe, de rerum cauſis mature deliberaſſe, atque ad primam uſque originem inveſtigaſſe: cumque notio tanti momenti cum hominibus rudioribus ſemel fuerit communicata, ab iiſque accepta, haud facile iſta deleri penitus & extingui poſſet.

§. XI.

Idea Dei haud ingenita eſt.

HOc omne eſt id, quod e Dei notione inferri poſſet, ſi verum eſſet, eam ad omnes in univerſum homines ſe extendere, & ab hominibus ætatis maturioris ubique terrarum agnitam eſſe. Generalis enim numinis agnitio ulterius, ut arbitror, non extenditur: atque ſi hoc, *numinis ideam ingenitam* eſſe, abunde ſatis probat: *ignis* etiam *ideam* nobis a natura inſitam eſſe, haud minus probabit: quoniam, puto; vere dici poteſt, haud quenquam eſſe *Dei* notione imbutum, cui non *ignis* etiam *idea* inſit. Nullus dubito, quin ſi infantulorum colonia foret in inſula conſtituta ignis prorſus experte, illi neque notionem iſtius haberent, neque nomen, quo ſignaretur, quamvis hæc res generaliter ab omnibus recepta, & terrarum ubique cognita eſſet; & fortaſſe mentes illorum haud minus forent remotæ a nomine quodam, aut notione Dei, donec aliquis inter eos hujus mundi rebus earumque ordini & cauſis contemplandis temporis aliquid impendiſſet: hæc conſideratio facile eum ad Dei cognitionem ducere poſſet; quam deinde aliis non prius inſtillare poſſet, quam ratio, & propenſio naturalis, quæ eos ad ſuas de ejuſmodi objecto conceptas cogitationes colligen-

gendas perduceret, & ita evulgatam inter ſe propagarent.

§. XII.

Reſpondetur illis, qui dicunt, Dei bonitati conſentaneum eſſe, ut Dei ideam omnes habeant: ergo naturaliter ab eo imprimitur.

OBjicitur quidem, *divinæ bonitati conſentaneum eſſe, in mentibus hominum characteres & notiones ſui imprimere*, & non permittere, ut in re tanti momenti & maximopere ad homines ſpectante in tenebris & ignoratione verſarentur, ut etiam hoc ipſo creaturam, uti homo eſt, intelligentia præditam in debito obſequii & venerationis officio retineret, ideo hoc ab illo eſſe factum contendunt.

Argumentum hoc, ſi quam omnino vim habet, plus probabit, quam illi ſibi imaginantur, a quibus hoc uſurpatur. Si concludamus enim, Deum omnia hominibus feciſſe, quæcunque ipſimet ſibi grata atque maxime utilia eſſe judicabunt, quoniam conſentaneum eſt bonitati ejus, ita facere; id probabit, *Deum* non ſolum ſui *ideam* in mentibus hominum ſignaſſe; verum etiam claris ibi expreſſiſſe characteribus omnia, quæ ab hominibus ſciri, aut credi de ſe ipſo debent, & omnia, quæ ſunt facienda, ſi voluntati ejus obſequi volunt; voluntatemque & affectus illorum penitus ad hæc conformaſſe. Hoc, ſine dubio, omnes homines potius & utilius ducent, quam ſi in tenebris cognitionem clauſis quaſi oculis incertiſque pedibus veſtigarent, quemadmodum Divus Paulus loquitur, *totas gentes hominum* Deum quæſiviſſe Actor. XVII. 17. & ſi voluntates ipſorum irent contra intellectum, & appetitus contra officium perpetuo pugnarent. Puto optimum eſſe argumentum, ſi dicamus, *rem ita a Deo infinite ſapienti com-*

comparari: *ideoque optima eſt*. Sic vero *videmur noſtræ nimium ſapientiæ confidere*, *cum dicimus*, *optimum illud eſt*, *hinc ita etiam a Deo ordinatum eſt*; & quod ad rem attinet, quæ in controverſia eſt; fruſtraneum erit exinde confirmare, *Deum* certas ideas menti omnium hominum impreſſiſſe, cum tamen certa experientia contrarium evincat, quod hoc non ſit. Sine iſtiuſmodi vero primigeniis impreſſionibus, & conſignatis in mente *Ideis*, ſatis hominibus divina bonitas in eo proſpexit, quod facultates iis tribuit ſatis ad omnia inveſtiganda efficaces, quæ ipſorum naturæ neceſſaria & accommodata ſunt; & nullus dubito, quin liquido ſim demonſtraturus, hominem ſolo naturalium facultatum adminiculo, ſine congenitis quibuſdam principiis, Dei, & quæ uſui ſunt ipſi, rerum omnium cognitionem poſſe acquirere. Cum Deus hominibus eas, quibus utuntur, vires cognoſcendi dederit, haud bonitas ejus ulterius obſtricta tenebatur, ut notiones iſtas animis illorum inſereret, ſicuti, conceſſo ipſis rationis, manuum, & idoneæ materiæ uſu, pontes aut ædificia ipſis extruere non tenetur. Interim tamen pleræque ſunt gentes, quæ, etſi non contemnendis ſint præditæ ingeniis, aut pontibus & ædificiis penitus carent, aut male fabricatis utuntur; ſicut in aliis Dei notiones & moralia principia, aut nulla ſunt omnino, aut ſaltem perobſcura atque depravata. Ratio utriuſque eſt, quod neque hi neque illi facultates ſuas, & vires mentis diligenter in rebus hiſce, quarum utique compotes fieri poterant, exercuerint; verum ſatis habuerunt, opiniones, mores, & res, prout in ſua cujuſque patria inveniebantur, ſine ulteriori diſquiſitione amplecti. Si tu, qui mihi hic contradicis, & ego in ſinu *Soldaniæ* nati fuiſſemus, haud fortaſſe noſtræ, incolentium ibi *Hotentotorum* cogitationibus & notionibus agreſtibus, forent præſtantiores: & ſi rex *Virginiæ Apochancana* educatus fuiſſet in *Anglia*, nemini fortaſſe hic in Theologiæ, aut Matheſeos peritia cederet,

ret, unicum inter illum & excultiorem *Anglum* diſcrimen in hoc conſiſtit, quod hujus mentis vires patriæ ipſius moribus & notionibus illigatæ, haud aliis unquam rebus inveſtigandis operam dederint; & ſi nullam omnino Dei *ideam* habuit, exinde eſt, quod eas, quæ ducunt ad *Deum* cogitationes haud ſuſcepit.

§. XIII.

Dei ideæ in diverſis hominibus diverſæ.

Fateor equidem, rationi conſentaneum eſſe, ut, ſi qua in mentibus hominum *idea imprimeretur*, *ea creatoris eſſet notitia*, qua Deus, tanquam ſignata in opificio ſuo nota homines ad dependentiæ & officii memoriam revocaret, eaque primum eſſet cognitionis humanæ ſpecimen. Quam multum autem temporis ſpatium intercedit, antequam id genus notio quædam palam in puerulis appareat? Et poſteaquam occurrit, quis non videt, eam Doctoris ſenſum & opinionem magis exhibere, quam eſſe ideam, quæ directe Deum verum repræſentat? Qui in parvulis animadverterit progreſſus, quibus eam, quam habent, rerum cognitionem adipiſcuntur, credet, objecta, quibuſcum primo & maxime familiariter verſantur, ea eſſe, quæ primas intellectui impreſſiones faciunt; nec ulla alius impreſſionis veſtigia reperiet. Perfacile etiam eſt, animadvertere, quomodo, poſtquam multarum rerum ſenſibilium cognitionem acquirunt, cogitationes illorum latius ſe extendant, ut *ideas* iſtarum rerum in memoria retinere, eaſque ampliare, & alia atque alia ratione componere poſſint. Quomodo his diverſis mediis Dei *ideam* tandem in mentibus effingant, poſt demonſtrabo.

§. XIV. Num credi poteſt, Dei *ideas*, quibus homines ſunt imbuti, eſſe characteres & notas ejus, quas ſuo ipſius digito in animis illorum inſculpſerit,

107. & 177.) rectius notat, in nullius omnino numinis agnitione proprie conſiſtere.

Si dictum fuerit, ſapientes ubique gentium de unitate atque infinitate Dei veras notiones habuiſſe, haud illud inficior. Hoc vero

Primo. univerſalem conſenſum in illis, quæ Deum concernunt, tollit, præterquam in nomine: cum enim ſapientes iſti pauciſſimi ſint, unus fortaſſe inter mille, univerſalitas hæc peranguſta erit.

Secundo, plane mihi probare videtur veriſſimas optimaſque notiones, quas de Deo habuerunt, non fuiſſe inſitas, verum cogitatione & ſtudio, rectoque facultatum uſu acquiſitas: cum viri cordati & ſapientes, debita cognitionum & rationis exercitatione, veras notiones hac in re, perinde ac in aliis adepti ſint: dum contra viri ſocordes & inconſiderati, quorum numerus longe maximus eſt, in notiones ſuas fortuito inciderunt, easve a fama aut vulgi ſermonibus acceptas, multo ſine examine comprobarunt. Et ſi *notio* Dei propterea innata eſſe cenſenda eſt, quod ſapientes omnes ea ſint imbuti, virtus etiam innata eſt, ea enim ſapientes ſemper erant præditi.

§. XVI. Inter Ethnicos res ita plane ſe habuit: & licet magna diligentia & cura inter *Judæos*, *Chriſtianos*, & *Mahumetanos*, qui unicum tantum Deum agnoſcunt, fuerit adhibita, ut veram de hoc Ente independente ideam ſiſterent, hæc tamen doctrina non ita prævaluit in intellectu tam variis religionibus imbutorum populorum, ut ii homines eaſdem, veraſque de Deo *ideas* haberent. Quot numero vel inter nos reperiendi ſunt, qui Deum forma & ſpecie humana cælo ſedentem ſibi fingunt, quique abſurdos alios & eo indignos conceptus habent? Deum eſſe corporeum, & figura humana præditum, totæ ſectæ Chriſtianorum æque ac Turcarum acriter contendunt: & quamvis pauci nunc inter nos reperiantur, qui ſe *Anthropomorphitas* eſſe profitentur, (in quoſ-

dam tamen incidi, qui illud faterentur) (*) attamen, credo, ſi qui ſedulo inveſtigarent, rudes inter & imperitos Chriſtianos plurimos invenirent, ea opinione imbutos. Si ſermones habeamus cum ruſticis, cujuſcunque ſint ætatis; aut cum iis, qui tenerioris ſunt ætatis, cujuſcunque demum ſortis ſint, videre erit, etſi Dei nomen ſæpiſſime in ore habeant; notiones tamen, quibus nomen hoc tribuunt, abſurdas adeo, humiles, abjectaſque eſſe ut vix credi poſſit, eos a viro rationis participe illas accepiſſe; tantum abeſt, ut characteres Dei ipſius digito inſculpti haberi poſſint. Neque video, cur illud bonitati Dei magis derogaret, quod mentes nobis inſeverit harum ſui ipſius *idearum* expertes, quam quod nobis in lucem hanc miſſis corpora tribuerit ab omni plane veſtimento nuda; vel quod artes aut diſciplinæ nullæ cum nobis ſimul naſcantur. Cum enim ad hæc adipiſcenda facultates habeamus, ex noſtra magis ignavia & imprudentia accidit, quam defectu benignitatis, ſi iis careamus. Deum eſſe, æque certum eſt, ac angulos oppoſitos, duarum linearum rectarum interſectione factos, æquales eſſe. Nemo unquam rationis particeps in harum duarum propoſitionum veritate examinanda operam ſerio collocavit, qui aſſenſum iis denegare potuerit: etiamſi extra dubium eſt, plurimos, qui de iis cogitationem haud ſuſceperunt

(*) Hæc Lockii reflexio in mentem mihi revocat quod homo bonæ conditionis, cui non defuerat educatio, neque deerat ingenii vivaciras, olim mihi dixit. Cum coram ipſo loqueremur de Dei præſentia omni loco diffuſa, cenſuit, poſſe demonſtrare, Deum univerſali aquarum inundatione non in terra morari. Deprehendit me objectio; & interrogavi eum, in quo præſtruebat illam. Subdidit ipſe: *Si Deus tum eſſet in terra, ſe ſubmerſiſſet ſane*. Deus, addidit idem, corpus habet porro, quod videtur tam noſtro ſimile, ut in aqua non poſſet ſe, ut piſces, ſervare. *COSTE*.

runt, harum veritatum duarum pariter eſſe ignaros. Si hujuſmodi conſenſum (qui non ulterius extenditur) univerſalis nomine quis dignum putet, talem facile agnoſco: id genus vero conſenſus univerſalis, haud magis probat Dei *ideam*, quam duorum ejuſmodi angulorum, *ingenitam* eſſe (80).

§. XVII.

Si Dei idea non ſit ingenita, haud alia ulla ingenita eſſe, dici poteſt.

QUoniam igitur, etiamſi *Dei* notitia maxime naturalis ſit humanæ rationis diſquiſitio, *ejus idea haud ingenita eſt*, quod, ut arbitror, ab iis, quæ ſuperius dicta ſunt, palam fit; haud aliam puto *ideam* reperiri poſſe, quæ nomen illud jure ſibi vendicaret: ſi quam enim ullam ſpeciem, ſi quem ullum characterem Deus hominis in animo ſignaſſet, probabile eſt, hoc fuiſſe claram aliquam & uniformem ſui ipſius *ideam*, in quantum debiles noſtræ mentis

 vires

(80) Neque plus, neque rectius dici quit. Subſtantiam ratione præditam, vel facultatem cognoſcendi rationem noſtræ exiſtentiæ Deus nobis largitus eſt; dedit ergo, quo exiſtentia, & bonitas ſui internoſcatur. Recte porro. Quid alioquin mereretur homo in diligendo Deum? Si divinæ perfectiones omnibus eſſent animo inſculptæ, putas ne, quod Deum tanquam ſummum bonum ſibi non repræſentarent homines, & omnes tota mente, tota anima, toto corde ſe ad Deum non æque ducerent? Si verum eſſet, quod nulla data opera, detegitur bonus, ecquis eſſet, qui reſpueret illud? En per conſequens idea ſceleris everſa, notio erroris deleta, præmia abſque merito largita, ſupplicia ſine neceſſitate producta; omnes homines legi conformes, nullum diſcrimen, nulla pervicacia, nullus atheus. Voluit ergo Deus, & recte voluit, quod ſolertia ſuas perfectiones nos deprehendamus, reflexione ſummum bonum animo concipiamus, voluntate nos ipſos ad eum portemus, & omnia pro eo agamus, omnia in eo perſpiciamus, omnia denique, ratione, conſcientia, determinatione per eum toleremus.

vires incomprehenſibile adeo infinitumque objectum recipere poſſent. Cum vero intellectus noſter primitus *ideæ* iſtius ſit expers, quam nos habere maxime e re noſtra eſſet, *id ſolido argumento eſt*, *nos aliis omnibus characteribus ingenitis carere*. Mihi equidem fatendum eſt, me nullam eorum ſpeciem inveſtigando invenire poſſe: hinc gratum mihi erit, ſi de hujus rei veritate ab aliis convinci potuero.

§. XVIII.

Subſtantiæ idea *haud ingenita eſt*.

FAteor equidem, aliam eſſe *ideam*, e qua genus humanum, ſi, prout vocibus eam uſurpant, ita revera haberent, magnum emolumentum perciperent; ea eſt *ſubſtantiæ idea*, quam neque habemus, neque per *ſenſationem* aut *reflexionem* habere poſſumus. Si quæ *ideæ* nobis a natura forent tributæ, tales eſſe deberent, quales ipſimet facultatum noſtrarum vi comparare nequimus: contra vero videmus, ex eo quod modis iſtis, quibus aliæ *ideæ* in mentem introducuntur, hæc non intromittatur, nos claram iſtiuſmodi *ideam* neutiquam habere; ac proinde per vocem *ſubſtantiam* nihil omnino ſignificare, præter opinionem incertam rei ignotæ, i. e. rei alicujus, cujus particularem nullam diſtinctam, & poſitivam ideam habemus, quam illarum, quas novimus, *idearum ſubſtratum*, aut ſuſtentaculum ducimus (81).

§. XIX.

(81) Habemus illius ideam, ut ceteras, quas abſtractas appellavimus. Idea ſubſtantiæ abſtracta eſt. Subſtantiam tanquam fulcimentum qualitatum conſideramus; abſtrahendo ſubjectum a qualitatibus, ejuſmodi ideam acquirimus. Nos poſſumus ergo decomponendo qualitates objectorum, quæ oculis obverſentur, animo repræſentare ſubſtantiam. Hinc eſt, quod ante objectorum ideam, ideam ſubſtantiæ nequimus comparare. At poſita ejuſmodi

§. XIX.

Propoſitiones nullæ innatæ eſſe poſſunt, quoniam ideæ nullæ ſunt innatæ.

UTcumque igitur de innatis ſive *ſpeculativis* ſive *practicis principiis* loquamur, æque probabiliter dici poteſt, hominem centum libras in arca habere, etiamſi inficietur ſe denarium, ſolidum, coronam aut alium quemvis nummulum, e quo ſumma iſta conficienda eſt, in ea continere; ac credi poteſt, propoſitiones quaſdam eſſe innatas, cum *ideæ*, circa quas verſantur, haud dici poſſint ingenitæ. Generalis iſta aſſenſio, qua recipiuntur, haud probat eas, quæ in iis exprimuntur, *ideas* eſſe innatas: in multis enim caſibus, undecunque *ideæ* venerint, aſſenſus voces, talium *idearum* convenientiam, aut inconvenientiam exprimentes, neceſſario ſequetur. Unuſquiſque vera *idea Dei* & *cultus* præditus propoſitioni huic, Deum eſſe colendum, ſtatim aſſentietur, ſi ea lingua, quam intelligit, hæc propoſitio exprimitur (82): atque unicuique rationis compoti, qui hodie haud de ea cogitavit, huic propoſitioni cras aſſen-

---

di idea, non comparamus? falſum. Duas ergo contra Lockium enunciamus veritates. I. Ideam ſubſtantiæ nobis adeſſe, quatenus conſideramus objecta, ſeductis qualitatibus: II. a nobis acquiri, quatenus eſt nobis datum ſenſibus, & reflexionibus uti.

(82) Propoſitio nihil aliud eſt „ quam judicium verbis expreſſum „. Nihil aliud ergo, quam conjunctio, vel ſeparatio idearum, quæ verbis exprimitur. *Deus eſt æternus*, propoſitio eſt, & quod idem ſonat, judicium verbis expreſſum. Hinc mens non efficit aliud, quam I. Ideam *Dei* cum idea *æterni* conferre. II. ſibi repræſentare eorum convenientiam, vel diſconvenientiam. III. conjungere, vel ſeparare ideas, convenientia, vel diſconvenientia perſpecta. IV. Tandem ſtatuere, & confirmare verbis, *Deum eſſe æternum*. Ex quo fit, quod deficientibus ideis, ruit judicium, & propoſitio deeſt.

aſſentiri in promptu habebit: fieri tamen poteſt, ut quamplurimi harum *idearum* altera, aut utraque hodie careant. Si demus enim, feros homines, & ruſticos pleroſque imbutos eſſe *Dei*, & divini *cultus ideis*, (quod, pro illorum colloquio & conſuetudine, haud facile credemus) attamen pauci, puto pueruli iis imbuti eſſe *ideis* cenſendi ſunt, eas itaque ut aliquando habere incipiant, neceſſe eſt; tunc etiam iſti propoſitioni aſſentiri incipient, nec de ea dubii in poſterum erunt. Iſtiuſmodi vero aſſenſus, qui ſtatim auditis terminis præbetur, haud *ideas* eſſe innatas magis probat, quam, ſi probarem, quemdam cæcum natum (propter maculas oculis ſuffuſas, quæ cras tollentur) ſolis, aut lucis, aut croci, aut flavi ingenitas *ideas* propterea habuiſſe, quoniam luce oculis ſemel reddita, propoſitioni huic, ſolem eſſe lucidum, aut crocum eſſe flavum certo aſſentietur (83); ſi talis itaque aſſenſus haud *ideas* ipſas, multo minus conflatas ex illis propoſitiones, ingenitas eſſe probabit. Si quas omnino ingenitas *ideas* habeant, quænam, & quot ſint, ſcire libenter vellem.

§. XX.

---

(83) Phantaſia ex ſeipſa conjungit, ſeparat, fingit ideas quodam peculiari modo habitas, & Ens *rationis* nuncupatum ſibi format, repræſentat, videtque, etſi non videat unquam, non exiſtat, neque exiſtere poſſit. Hæc productio entis aliis ex ideis pendet, non haberetur ſecus. Pariter notionem Dei poſſumus per vim phantaſiæ conflare, acquirere, & ſi Deum non viderimus, neque de Deo audiverimus loqui, nobis eum repræſentare, eum fingere, de eo judicare quimus. Hominem agnovi, qui oculis ex infantia orbatus de coloribus dijudicabat violaceum, aſſerens, eſſe ſibi gratum. Ex quo Judicium hoc? Ex ideis auditu antea acquiſitis Colorem hunc tanquam gratum, ac peculiarem ſibi repræſentabat.

§. XX.

Nullæ in memoria ideæ *ſunt ingenitæ.*

LIceat mihi ulterius ad hæc adjicere : ſi quæ innatæ ſint ideæ, ſi quæ ideæ in mente exiſtant, de quibus mens haud actu cogitat ; neceſſe eſt , ut eæ in memoria (84) recondantur , atque inde per recordationem palam & quaſi in conſpectum edantur ; i. e. ſciri debent, cum in memoriam revocantur , perceptiones eſſe , quæ prius in animo erant , niſi forte recordatio ſine reminiſcentia eſſe poteſt . Reminiſci enim eſt aliquid memoria percipere , aut conſcire , illud cognitum aut perceptum prius fuiſſe (85) : hoc niſi fit, omnis quæ mentem ſubit *idea* nova eſt, nec reminiſcentiæ beneficio percipitur: conſcire enim, eam prius in memoria fuiſſe , illud eſt , quod reminiſcentiam ab aliis omnibus cogitandi modis diſtinguit. Quæcunque *idea* nunquam erat a mente percepta, nunquam etiam menti inerat. Quæcunque *idea* menti ineſt, aut actualis eſt perceptio , aut cum actualis fuerit perceptio , ita eſt in mente , ut ope memoriæ actualis iterum perceptio fieri poſſit. Quandocunque *ideæ* cujuſvis actualis eſt perceptio abſque memoria, *idea* plane nova & intellectui prius incognita eſſe videtur: quandocunque memoria efficit, ut *ideam* quandam actu contemplemur , id ſemper conjunctum eſt cum cognitione, eam prius ibi fuiſſe, nec menti peregrinam penitus eſſe . Utrum hoc ita

(84) De Memoria infra diffuſius . Hic ſatis eſt cum Wolfio eam definire „ per facultatem animæ recognoſcendi ideas reproductas pro iiſdem, quas habuimus antea „. (*V. Pſychol. Emp. lat. pag.* 123.)

(85) En definitio reminiſcentiæ . „ Eſt facultas animæ perceptiones præteritas , mediantibus quibuſdam circumſtantiis , reproducendi , recognoſcendi , & obſcuras ideas olim habitas commutandi in claras & diſtinctas „ fuſius intra .

ſe habeat, nec ne, penes unumquemvis, diligenter rem iſtam expendentem, judicium eſſe velim: dein vellem exemplum mihi redderent *ideæ* innatæ, prout dicitur, quam ante ullam iſtius impreſſionem acceptam modis paulo poſt memorandis aliquis reſuſcitare, & in memoriam revocare poſſet, tanquam *ideam* prius ab ipſo cognitam; niſi, ſe prius percepiſſe hoc modo, ſibi conſcius ſit, nulla eſt reminiſcentia; & quæcunque *idea* ſine conſcientia iſta in mentem venit, haud ex memoriæ theſauro prodit, nec, antequam apparuit, in memoria extitiſſe dici poteſt (86). Quod enim neque actu contemplamur, neque reminiſcimur, nullo modo in mente eſt, & perinde eſt, ac ſi nunquam ibi fuiſſet. Supponamus, puerulum tam diu oculorum uſum habere, donec colores ſciat, eoſque a ſe invicem diſtinguere poſſit; dein obductas albugines oculos occludere, ipſumque per quadraginta aut quinquaginta annos in tenebris plane verſari, & interea temporis colorum *idearum* memoriam omnem prorſus amittere. Id infortunium erat cæci cujuſdam, cum quo ſermonem ſemel habui; variolæ eum, cum puer adhuc erat, luminibus orbarant, neque colorum aliam notionem habebat, quam ſi cæcus eſſet natus. Rogo, utrum quis dicat, hunc alias colorum *ideas* tunc habuiſſe, quam cæci nati habere ſolent? Nemo arbitror hoc dicet, quemvis illorum ullis omnino colorum *ideis* præditum eſſe. Offuſa luminibus ejus, qui cæcus fuit factus, albugo tollitur, poſtea, reddita luce, colorum *ideæ*, (quas non reminiſcitur), *de novo* in mentem intromittuntur, & recluſus oculus admittit in mentem has diverſas ideas, quas antea jam percepiſſe, homo non credit. Nunc has reſuſcitare poteſt, & in memoriam illarum, vel in me-

(86) Platonici Scientiam non eſſe niſi reminiſcentiam dixere (12). Lockius refellit, evidenterque demonſtrat, hujuſmodi opinionem ipſimet conſcientiæ repugnare.

mediis tenebris redire ; in hoc caſu omnes hæ colorum *ideæ*, quas, licet extra conſpectum poſitæ ſint, priſtinæ conſuetudinis recordatio poteſt reſuſcitare, cum hoc modo in memoria ſint, in mente etiam eſſe dicuntur. Quare exin concludo, omnem *ideam*, quamvis non actu in conſpectu poſita ſit, ita in animo eſſe, ut ſolum in memoria ſit ; & ſi non ſit in memoria, eam quoque haud in animo eſſe ; quod ſi in memoria ſit, haud in conſpectum noſtrum actu poteſt produci, niſi percipiendo, eam ex memoria prodiiſſe, vel, quod idem ſonat, nos iſtius, prius cognitæ, nunc in memoriam venire. Si quæ igitur *ideæ* ſint ingenitæ, eas in memoria eſſe, neceſſe eſt, alioquin nullibi in animo ſunt ; & ſi ſint in memoria, reſuſcitari poſſunt nulla impreſſione extrinſecus ante facta ; & quandocunque in mentem introducuntur, quendam reminiſcentiæ ſenſum afferunt, i. e. ſecum perceptionem ferunt, ſe non menti penitus eſſe novas. Cum hoc conſtans & certum ſit diſcrimen inter illud, quod eſt & quod non eſt in memoria, aut mente; quod illud, quod non eſt in memoria, quandocunque ibi comparet, novum penitus, & prius incognitum eſſe videtur ; quod vero in memoria eſt, aut animo, quandocunque per memoriam ſuggeritur, haud de novo fieri videtur, verum mens illud intus in ſe deprehendit, & prius ibi extitiſſe comperit. Hinc experiri licet, utrum ingenita quædam *idea* prius ſit in mente, quam per *ſenſationem* aut *reflexionem* imprimatur. Utinam quis me certiorem faceret, ſe, poſtquam ad rationis uſum pervenit, aut alio quovis tempore, harum, quas innatas perhibet, aliquas in memoria tenuiſſe : eaſve ipſi, poſtquam vitam ingreſſus eſt, haud novas unquam fuiſſe. Si dixerit quis, eſſe *ideas* in animo, quæ non ſunt in memoria; vellem, ut ſenſum ſuum exponeret, efficeretque, ut ab aliis intelligi poſſet.

§. XXI.

§. XXI.

Principia non ſunt ingenita, quoniam nullius ferme ſunt uſus, & parum certa ſunt.

PRæter ea, quæ jam dicta ſunt, alia eſt ratio, quæ me dubium facit, utrum hæc, aut quædam alia principia ſint ingenita. Certus ſcio, Deum infinite ſapientem omnia perfecta admodum ſapientia abſolviſſe, haud video itaque, cur in animis hominum univerſalia quædam *principia* ſignaret; quorum illa, quæ ingenita dicuntur, & *ad ſpeculationem referuntur, haud magni ſunt uſus; quæque praxim ſpectant, haud per ſe clara ſunt; & neutra illorum ab aliis quibuſdam veritatibus diſtingui poſſunt, quas ingenitas eſſe nemo dicit*. Quorſum enim digito Dei in animis hominum characteres imprimerentur, qui non clariores ſunt iis, qui poſt introducuntur, aut ab iis nequeunt diſcerni? Si quis in ea eſt opinione, *ideas* eſſe propoſitiones ingenitas, quæ propter perſpicuitatem utilitatemque ſummam poſſunt ab iis omnibus internoſci, quæ adventitia ſunt animo, & acquiſita, quænam ſint, haud difficile erit monſtrare; tunc nemini non judicium ferre licebit, utrum ita ſe habeant, nec ne. Si quæ enim ejuſmodi ſint *ideæ* & notæ ingenitæ, a reliquis perceptionibus & notitiis noſtris plane diverſæ, unuſquiſque eas facile in ſemet experietur. De ingenitorum, prout dicuntur, principiorum iſtorum evidentia ante diſſerui; de utilitate illorum fuſius poſt dicendum erit.

§. XXII.

Notionum diverſitas oritur e diverſo facultatum uſu.

UT omnia concludam, *ideæ* nonnullæ nullius non intellectui ſtatim ſemet offerunt; quædam veritates a quibuſdam *ideis* oriuntur, quamprimum propoſi-

poſitiones ex iis in mente conficiuntur: aliæ veritates poſtulant, ut ſeries *idearum* ordine ponatur, ut comparentur inter ſe, & quædam ab aliis caute prius inferantur, quam illæ patefieri, & aſſenſum elicere poſſint. Quædam primi generis, propterea quod ab omnibus facile capiuntur, ingenitarum in numerum ex errore relatæ fuere: revera autem *ideæ* & notiones haud nobiſcum magis congenitæ ſunt, quam artes vel ſcientiæ; etiamſi illarum nonnullæ quidem ſemet promptius, quam aliæ facultatibus noſtris offerant; ideoque aſſenſum magis univerſalem obtinent: quanquam illud etiam pendeat ab organorum corporis exercitatione, & operationibus mentis; *Deus enim vires & facultates hominibus tribuit, ad inveſtigandas, recipiendas, & veritates retinendas, prout ipſimet eas exercuerint*. Magnum illud diſcrimen in notionibus hominum ex longe diverſo facultatum uſu exoritur, dum nonnulli (quorum numerus longe maximus eſt) aliis fidem habentes, ea, qua prædıti ſunt, aſſentiendi facultate abutuntur, & mentem ſuam ex ſocordia aliorum imperio & auctoritati ſubjicientes, in illorum verba jurare non recuſant; idque in dogmatibus, quæ caute examinare debebant, & non temere fide tantum implicita comprobare: alii cogitationes ſuas in paucas tantum res quaſdam abjicientes, illas penitus perſpectas planeque cognitas habent, alias autem res omnes, in quibus cognoſcendis haud ſtudium poſuere, prorſus ignorant. Ita tres angulos trianguli eſſe æquales duobus rectis, veritas eſt, qua non alia quævis certior eſſe poteſt; & quidem, ut puto, clarior, quam multæ ex iis propoſitionibus, quæ principiorum albo dignæ cenſentur; attamen multa ſunt hominum millia, utcunque periti ſint in rebus aliis, qui illud nihilo minus neſciunt, quod nempe mentes ſuas ad angulorum cogitationem haud excitarunt: & qui propoſitionem hanc certe ſcit, poteſt eſſe ignarus veritatis aliarum propoſitionum mathematicarum, quæ non minus cla-

ræ

ræ ſunt & evidentes ; quoniam in mathematicarum veritatum inveſtigatione frænum cogitationibus ſuis injecit, nec in iis ſtudiis adeo longe proceſſit. Idem contingere poteſt in iis notionibus, quas de numinis exiſtentia habemus; etſi enim nulla ſit veritas, quam homo magis perſpectam habere poſſit, quam de Dei exiſtentia, ſi quis tamen ad res, quas in mundo reperit, animum eatenus tantum applicare ſatis habuerit, quatenus ipſius voluptatis atque propenſionum ſunt illecebræ, nec illarum cauſas, fines, aut mirandam fabricam ulterius perſcrutatus fuerit, ut conſequentias, quæ exinde prono fluunt alveo, conſideraret, ejuſmodi homo ævum ſuum ſine Dei notione facile tranſigere poterit: & ſi notionem hanc a quopiam in colloquio familiari hauſerit, fidem fortaſſe iſti habebit, dari ejuſmodi Ens: ſi nulla vero de ea examinatio inſtituatur, haud perfectior erit illius cognitio, quam is habebit, qui ab aliis cum acceperit, tres angulos trianguli eſſe æquales duobus rectis, opinionem ſtatim iſtam, ſine demonſtrationis quodam examine, amplectitur. Hæc vero obiter, ut nimirum oſtenderem, quantum *cognitio noſtra pendeat ex recto facultatum iſtarum uſu, quas nobis natura largita eſt*, & quam parum momenti ad cognitionem noſtram dirigendam ſit in iis principiis ingenitis, quæ generi humano ineſſe vulgo cenſentur; ſi ea nobis ineſſent, id omnibus cognitum neceſſario foret, alioquin fruſtra ineſſent: & quoniam haud omnibus ſunt nota, & ab aliis veritatibus adventitiis diſtingui nequeunt, concludendum eſt, nulla eſſe iſtiuſmodi principia.

§. XXIII.

§. XXIII.

Oportet, ut homines pro ſemetipſis cogitent, & cognoſcant.

PRincipiis congenitis fidem hoc modo abrogantem neſcio, qua me reprehenſione dignum ii ſint habituri, qui cognitionis & certitudinis priſca a me fundamenta convelli arbitrantur: mihimet ſaltem perſuadeo, per hanc methodum, quæ rationi veritatique conſentanea eſt, me fundamenta iſta firmius jeciſſe. Hoc certus ſcio, mihi deſtinatum eſſe in hoc tractatu, nec ſequi alterius cujuſvis, nec repudiare ullius auctoritatem: veritati litare curæ mihi unice fuit; ubicunque ea ducem ſe præbere viſa eſt, libere ſecutus ſum, haudquaquam ſolicitus, utrum aliorum veſtigia viam iſtam mihi aperuerint, nec ne. Haud hæc perinde loquor, ac ſi aliorum ſententias nihil morarer; cenſeo equidem, *maximam deberi veritati reverentiam*, nec hoc dictum arroganter exiſtimari velim, ſi dicam, me cenſere, nos, in rationalis & contemplativæ cognitionis inveſtigatione, majores facturos progreſſus, ſi eam in ipſo fonte, *in rerum ipſarum contemplatione*, inveſtigaremus, & ad hoc negotium noſtris magis, quam aliorum cogitationibus uteremur. Æque enim foret abſurdum, ſperare, ut in videndo oculis, ac ſi intelligendo intellectibus aliorum niteremur. Quantum ipſimet veritatis & rationis contemplamur, tantum realis & veræ ſcientiæ poſſidemus. Dum aliorum ſententiæ fluctuant in cerebris noſtris, etiamſi veræ fortaſſe ſint, haudquaquam nos ſapientiores reddunt. Quod in illis ſcientia erat, in nobis vana tantum opinatio eſt, dum auguſtis tantummodo nominibus aſſentimur, & non illorum ritu, rationis & intellectus noſtri vires adhibemus ad *veritates* iſtas *intelligendas*, quæ hono-

honores famæque æternitatem ipſis conciliarunt. *Ariſtoteles*, dubio procul omni, vir erat multiplici eruditione repletus, illud vero de eo nemo unquam judicavit, quod alterius opiniones temere fuerit complexus; eaſque pro ſuis confidenter in lucem ediderit. Si in alterius dogmata, ſine prævio quodam examine, jurando haud philoſophiæ gloriam conſecutus eſt, haud alium quempiam puto eam conſecuturum eſſe. Tantum quiſque ſcientiarum habet, quantum ipſe revera ſcit & fundamentum earum comprehendit. Hic eſt genuinus theſaurus, fundus, qui ipſi proprius eſt, & cujus ſe nominare poteſt dominum. Nihil autem earum rerum, quas nude credit ſuam in alterius reſolvens fidem, poteſt ſuas in rationes referre. Hoc enim ita ſe habet; ſicut panni fruſta plane ſunt inutilia colligenti ea, quamvis omnino ſuum habeant pretium, ſi rurſus conjungantur huic parti, unde fuerant detracta. Fragmenta iſta mutuatitia, nummorum ad inſtar lemurum (*Fairy-money*) etiamſi in manu, e qua deſumuntur, aurum erant, cum tamen ad uſum rediguntur, folia tantum inania & pulvis evadunt (87).

§. XXIV.

Opinio Principiorum ingenitorum unde.

INventis ſemel generalibus quibuſdam propoſitionibus, de quibus, quamprimum intelliguntur, nulla dubitatio eſſe poteſt, ſcio, *facillimum erat*, *eas ingenitarum nomine dignari*. Hoc ſemel recepto, poſ-

(87) Lectio iteratæ repetitionis digna; O utinam omnibus eſſ[illegible]t animo inſculpta! Vigeret veritas, opinio & paradoxa ruerent.

poſſe diſquiſitionis omnis tædio ſuperſederi ignavi crediderunt, atque ii, quibus prius dubia fides erat, ſupervacaneum putábant de iis dubitare, quæ innata dicebantur, Nec mediocri emolumento erat illis, qui ſe magiſtros & doctores haberi cupiebant, principium hoc, principia haud vocanda eſſe in controverſiam, pro ſummo principiorum omnium habere; hoc enim dogmate ſemel accepto, innata dari principia, quidam e ſectatoribus illorum neceſſum habuere, dogmata quædam tanquam ingenita amplecti, hoc vero quid aliud erat, quam propriæ rationis & judicii uſu eos orbare, atque efficere, ut ſine diſquiſitione & examine omni, tantum doctoris ſui auctoritate adducti, hæc dogmata acciperent? in ſervili iſto cæcæ credulitatis ſtatu facillimum erat, homines pro arbitrio ſuo regere, & ſibimet utiles reddere, ſi modo ſolertes ſatis ſunt, qui pro religione officii, percommodis eos dogmatibus imbuunt. Nec parva quidem eſt iſta potentia, quam alter in alterum obtinet, cum apud eum ea eſt auctoritate, ut dictator ſit principiorum, & non dubiarum veritatum doctor; cum efficere poſſit, ut alter id pro ingenito principio amplectatur, ex quo ipſemet ſummam utilitatem percepturus eſt. Contra ſi perpendiſſent, quibus modis homines plurimarum veritatum univerſalium cognitionem adipiſcuntur, vidiſſent, eas in mente oriri ex rerum ipſarum exiſtentia, & debita illarum contemplatione, ipſaſque fuiſſe facultatum illarum adminiculo inventas, quæ aptæ ſunt natæ, ut judicium de iis ferre poſſint, quandocunque rite expenduntur.

§. XXV.

§. XXV.

Concluſio.

TRactatus inſequentis inſtitutum eſt oſtendere, *qua methodo intellectus in hiſce utatur*; antequam ad illud memet accingam, præfari liceat, quod hactenus, ut viam mihi aperirem ad fundamenta iſta, quibus, tanquam unice veris, omnes, quas adipiſci poſſumus, notiones ſtabiliendæ ſunt, neceſſarium mihi viſum eſt oſtendere, quæ me rationes impulerint, ut principia ingenita in dubium vocarem: & quoniam argumentorum nonnulla, quæ contra ea afferuntur, a receptis communiter opinionibus oriuntur, neceſſum habui multa pro conceſſis habere, quod ab eo non poteſt non fieri, cui propoſitum eſt, dogmatis cujuſvis falſitatem, aut improbabilitatem oſtendere; in hujuſmodi enim controverſiis idem accidit, quod in urbibus expugnandis; ubi ſi totum illud firmum ſit, in quo bellica tormenta collocantur, quibus proſternenda ſunt mœnia, haud quæri ſolet, ad quem dominum fundus iſte pertineat. Cum vero mihi ſtatutum ſit, in tractatus hujuſce ſequela ædificium extruere, ſibimet conſentiens, quantum illud mea unius experientia & animadverſione fieri poteſt, ſpero illud in ſolida adeo baſi fundatum iri, ut mihi non opus ſit, illud adminiculis & pedamentis fulcire, quæ mutuatitiis & emendicatis fundamentis innituntur: ſaltem ſi contingat, ut opus hoc noſtrum *Turris* (ut idiomate noſtro dicimus) *aerea* ſit, dabo operam, ut ea ſibimet ipſi conſentanea ſit. Atque monendus eſt lector, ut demonſtrationes infallibiles, quæque aſſenſum neceſſario eliciunt, a me flagitare nolit, niſi permittat, ut, quod alii non raro faciunt, principia mea pro conceſſis habeam; tunc nullus dubito, quin ego etiam idoneus ſim ad demonſtrationes efficiendas. Pro iis, quibus utor, principiis hoc tantum-

tummodo dicam, me ad propriam uniuſcujuſque haud præjudicatam *experientiam*, & obſervationem provocare tantum poſſe, utrum vera ſint, nec ne; hoc ſatis eſt homini, qui nil aliud in ſe ſuſcipit, niſi ut conjecturas ſuas tradat de re, quæ caligine aliquantum circumfuſa eſt, idque non alio conſilio, quam ut nudam ſimplicemque (*) veritatem inveſtiget (89).

Finis Libri Primi.

(*) CONDILLAC noſtrum arguit Auctorem, ex eo quia cauſa confutandi opinionem idearum innatarum eſt hic valde moratus. Ego perpendens quam perdifficile ſit, ab univerſalitate hominum errorem diu radicarum funditus extinguere, cum culpare neſcio. Nunc, quod poſt Lockium inſignes philoſophi curavere in apricum ponere idearum originem, & aperte demonſtrare, omnes e ſenſationibus eruere, directa confutatio idearum innatarum eſſet ſane ſupervacanea. *SOAVE*.

(89) Fateor, me quoque hic pauliſper eſſe moratum; at feci, non cauſa confutandi ideas innatas, verum ut videat Lector e quo fonte noſtræ emergant ideæ. Meditationes meæ pro alumnis metaphyſicæ diſciplinæ fuere conſcriptæ, quapropter eas non arctiori modo exponere permagne prodeſſe poſſe, putavi.

ANALYSIS
INTELLECTUS HUMANI
A FRANCISCO SOAVE
LIBRO II.
DE IDEIS PRÆPOSITA.

NOn abſque ratione auctor eſt a CONDILLAC cenſuratus, ex eo quia libro de ideis analyſim humani intellectus minime præfixit. Ego ſupplere molior & a metaphyſicis ſi in aliqua parte recedam, haud me eis diſplicere, arbitror, dummodo rem ipſimet ad trutinam ponant.

1. Ut darent clariorem præciſamque notionem facultatum operationumque intellectus, celeberrimi metaphyſici *Condillac* & *Bonetus* crediderunt, permagni referre, earum principia perpendere, & paſſim eruere. Simulacrum animo inſignitum excogitavere, cui dare vel tollere unum, alterumve ſenſum, & omnia in eo, quæ opportuniora videntur, experiri, fingere, atque repræſentare, ut licitum, expoſtularunt. Primus (*Condillac*) ab olfactu incipiens illud per ſenſus omnes uſque ad perfectum ſtatum comitatur; ſecundus (*Bonetus*) in olfactu relinquit. Ambo diverſimodas ſenſationes ope objectorum diverſi generis in eo excitantes, ſuarum facultatum enodationem ſucceſſive conſiderant, ac naturam evolvunt.

2. Plura me vetant, eorum ſequi methodum. I. illa eſſet hic nimis longa. II. vim abſtractionis, imaginationiſque requirit, cui forſan non placeret omnibus ſubjicere. III. multa eget diligentia ne in ſuppoſitiones inexactas incidamus, & ſimulacro uno, vel duobus ſenſibus circumſcripto, illud quod, omnibus concurrentibus, nos in noſipſos experimur, concedamus. Ego ſemitam, ut opinor, breviorem, tutiorem, ac ſimpliciorem ſumam. Ego id quod in nobiſmetipſis perſentiſcimus, quam ob rem levi attentione, facilique modo quit in ſemet unuſquiſque invenire, perpendam.

3. Pomarium pro noſtris experimentis legimus. Primo intuitu millena objecta in unum me feriunt, flores, fructus, herbæ, vaſa,

vaſa, umbracula, proſpectus &c. At ego in initio præter confuſam apprehenſionem unius complexus non habeo; hæc paulatim clareſcit; ſeparatim flores, fructus, herbas notare incipio, donec nebula, ut ita dicam, depulſa, quæ objecta obſcurabat, omnia clare intueor.

4. In hoc ſolo experimento operationes intellectus, perinde omnes, concipiuntur; convenit eas ſejunctim perpendere. A prima ac ſimpliciore incipimus, quæ eſt illa ſentiendi impreſſiones nobis e ſenſibus efformatas. Et ut cum evidentia progrediamur, nos ad unum objectum retinemus. Colligo malum aureum: ecquæ mihi ſunt hujus fructus impreſſiones? manu extenſionem, figuram, ſoliditatem ſentio; oculis extenſionem, colorem video; naribus odorem, guſtu ſaporem, percipio.

5. Quatuor rationes poſſunt admovere curioſitatem. I. Extenſio, figura, ſoliditas &c. quomodo in malo aureo exiſtent? II. quomodo ea ſentiam? III. eodem modo ne ſentiam? IV. quomodo operatio intellectus, qua ea ſentiam, eſt appellanda?

6. Ablato eo, quod intimam pomi naturam conſtituit, unico actu evaneſcerent color, odor, extenſio &c. hæc per ſe ipſa idcirco non exiſtunt in malo aureo, altera res extat, quæ fulcrum eorum eſt, & quod intimam naturam hujus fructus conſtituit. Ipſa eſt quod *ſubſtantia* a philoſophis nuncupatur, hoc eſt *ſubſtare* (α) a latinis,

(α) Dubito, quin recte hic definiatur ſubſtantia, vel enodatius hoc fiat. Idem cenſeo ſubſtantiam dicere, quam *ſubſtare*. Scholaſtici ſubſtantiam per ſe *ſubſiſtere* dixere; neque video quomodo Theologi, qui ſubſtantiam eſſe Chriſti humanam naturam, ajunt, eamdem per ſe ſubſiſtere negant, poſſent, hanc definitionem tolerare. *Hebenſtreitius* eam rejicit, ſubſtituitque ſequentem. „ Subſtantia eſt ens, quod non exiſtit in alio, tanquam in ſubjecto „. In *altero* quid eſſe dicitur, cum revera & actu in alio ente ita eſt, ut de illo revera affirmari poſſit, nec ad illius eſſentiam ſpectet, neque inſit ei, tanquam pars, neque ab ipſo ſeparari poſſit poſitive h. e. ut facta ſeparatione remaneat. (*V. Conſer. Philoſoph. p. 1. n. 248.*). *Spinoza* definit ſubſtantiam „ per „ ens, cujus conceptus non indiget conceptu alterius, a quo for„ mari debeat „. *Hollmannus* optimam credit, cæteriſque præferendam (*V. Metaph.* §. 356.). Leibnitius, & cum eo complures definiunt ſubſtantiam „ per ens vi agendi præditum „ vel quod principium ſuarum mutationum in ſe continet (*V. Conſ. Hanſchii princip. Philoſ. Leibn. more geometrico dem. p.* 31. & *Act. Erudit. an.* 1694. *p.* 110.). Wolfius definit ſubſtantiam, per

tinis, nam ut res conſideratur quæ qualitatibus ſubſtet, videlicet extenſioni, colori, ſapori &c., quæ dicuntur qualitates ex eo quia ſunt ea, propter quæ objectum diſtinguitur.

7. Verum curioſitas non ſolvitur. Quid enim eſt ſubſtantia hæc? Quæſtio involuta eſt. Scio equidem malum aureum eſſe variis fibris, diverſiſque ſuccis conflatum; pariter ſcio has fibras, & ſuccos continere aquam, aërem, terram, ignem, & ſalem; ſi cereros decomponam fructus, & generatim quodlibet corpus, ſit animale, vegetabile, vel minerale, non invenio præter enarrata in diverſa proportione commixta. Probabiliter hinc concludo, omnia corpora non eſſe præter harum ſubſtantiarum combinationes, juxta quaſdam proportiones diverſo modo confectas, & corporum diverſitatem obtineri a diverſa proportione ac diſpoſitione ipſarum rerum modo enunciatarum. Quapropter aerem, aquam, ignem, ſalem, terram, *elementa*, vel *ſubſtantias corporum elementares* appello. Verum quid hæ elementariæ ſubſtantiæ ſunt? Quid eſt ignis, aer, aqua? hic me irretio, & obſtaculum me vetat ulterius progredi, & præter tenebras denſiſſimas non invenio. Intima rerum ſubſtantia, vel ut diverſo modo

---

per id quod continet in ſe, vel aliquid in ſe habet (*V. Metaph. Germ.* §. 144.). Quidquid de hoc ſit, verbum non addam. Implicata involutaque quæſtio eſt, & ut puto, nunquam enodanda. Tantum abrupta occaſione referam ſubſtantiarum diviſiones juxta nonnullos Philoſophos factas. Diſpeſcunt nonnulli ſubſtantiam in *ſubſtantiam primam*, & *ſecundam*; in *communicabilem*, & *incommunicabilem*; in *completam*, & *incompletam*.

Subſtantiam primam appellant eam, *in qua omnia ſunt determinata*; alias vocare ſolent ſubſtantiam *ſingularem*. Ad hanc referunt *individua*, in quibus omnia ſunt determinata. Veteres definiebant „ per eam, quæ neque de ſubjecto aliquo dicitur, „ neque in ſubjecto aliquo ineſt „. ut *Petrus*.

Huic primæ ſubſtantiæ ſecunda opponitur, ſcilicet *univerſalis*, in qua non omnia ſunt determinata, ſed poſſunt adhuc plura determinari; ejuſmodi ſunt *genera*, *ſpecies*, ut *homo*, *ſpiritus*, *animal*.

Quæ poſtea pluribus poteſt competere, *communicabilis*; quæ nequit, *incommunicabilis*: omnes univerſales ſubſtantiæ communicabiles appellantur.

Subſtantia, quæ non ordinatur ex ſua natura ad aliam tertiam, *completa* dicitur; quæ eſt ad aliam tertiam ordinata, *incompleta*. Hæc eſt anima, illa eſt Angelus &c. Ex eo quia anima eſt ordinata ad conſtituendum hominem, non ita Angelus.

modo dicitur, intima eſſentia ignoratur omnino. Nos præter earum qualitates internoſcere nequimus, videlicet id quod è diverſa proportione elementorumque diſpoſitione eruitur. Philoſophi, qui ulterius progredi voluere, in ingenti eſſentiarum profunditate hæreſcerunt.

8. Concludimus ergo, corporibus, præter qualitates, intimam ſubſtantiam, verum ignotam, & tanquam fulcrum ineſſe. Hæ qualitates interim eodem modo in corporibus omnes exiſtunt? Si malum aureum tango, in eo extenſionem, figuram, ſoliditatem percipio. Extenſionem, & figuram pariter viſu internoſco. *Extenſio*, dicitur complurium partium unio (*a*), quæ una extra aliam exiſtunt, & quoddam ſpatium occupant (*β*). Pro Figura intelligitur hæc eadem extenſio limitibus circumſcripta. Soliditas (*b*) eſt proprietas corporis, qua alteri reſiſtit, & impedit una cum eo idem ſpatium occupare, quod a ſe occupatum fuit. Hinc præter dubium eſt, quamdam figuram, ſoliditatem, extenſionem nullo modo in malo dicto realiter exiſtere.

9. Verum tactu calorem in eo internoſco, ut & frigus; viſu colorem aureum detego, ex quo trahit nomen: guſtu ſaporem, olfactu odorem percipio; verum hæ qualitates realiter, ut præcedentes in pomo exiſtunt? Perpendamus. Siniſtram manum in gelu, dexteram in igne teneo. Prima ſi tangit pomum, calorem, ſi ſecunda, frigus ſentio. Unde diverſitas hæc? Dici debet, ei ineſſe calorem & frigus uno tempore ſimul? Eſſet contradictio. Quædam ergo extrinſeca ratio debet huic phænomeno adeſſe. Et en exacte ea. Manus ſiniſtra cum in glacie fuiſſet, minorem doſim ignis elementaris continet quam pomum. Tactu hoc malum portionem ſui ignis manui communicat (*c*), & manus calidior evadit.

 Dexte-

(*a*) Intactam relinquo quæſtionem, ſi ejuſmodi unio ſit ſimplicis proximitatis, vel abſolutæ continuitatis, nam eſſet hic extrinſecum. SOAVE.

(*β*) Ego crederem, quod cum dicat, eſt quod habet partes, dicat pariter extenſum; naturam extenſionis ſola particula conſtituit. Definitio a Soave allata eſt eadem, quam veteres dicebant.

(*b*) Dicitur quoque *impenetrabilitas*. Videbitur in *Cap.* 4. hujus libri, qua ratione primum nomen præſtet ſecundo. SOAVE.

(*c*) Quod ignis elementaris per omnia diffundatur corpora, & quod ab illis, quibus magis ineſt, eis communicetur, in quibus minor copia reperitur, omnibus conſtat. Quæſtio adeſt, an æquabiliter diffundatur, vel illum nonnulla corpora attrahant ante omnia,

Dextera cum igni expoſita fuerit, majorem quantitatem ignis acquiſivit, quam continebat pomum. Tactus pomo communicat portionem ſui ignis, & refrigeſcit. Si interim calor, & frigus in quodam exiſterent loco, quam in pomo aureo, eſſet dicendum manui ineſſe, nam illa calidior evadit, ignem attrahendo a pomo, vel ei ignem communicando, frigidior (γ). At quo modo frigus, caloremve in eadem manu ſentio? Quando calor major evadit, quemdam modum fibrillis nerveis imprimit, quæ per manum ramificentur; quando minor evadit, quemdam diverſum motum imprimit, forſan primo caſu celeriorem, ſecundo tardiorem. Nervi manus uſque ad cerebrum propagantur, e quo originem trahunt. Probabile ergo eſt, quod motus in eis impreſſus ad cerebrum uſque extendatur; & nonnulla experimenta demonſtrare videntur, illuc pervenire revera (*d*). Modo incomprehenſibili animæ communicatur motus, illi Enti ſcilicet uni &

omnia. Secunda opinio, videtur, melius obſervationibus reſpondere. Nullatenus nec nobis, nec huic loco convenit hujus quæſtionis deciſio. *SOAVE*.

(γ) Hac ſuper re complura conſcripſimus. Videri poteſt in Opere noſtro *Malattie Flatuoſe* nuncupato, ubi de igne fuſius peregimus (*V. tom.* I. *cap.* XI.).

(*d*) Quamquam exiſtentia ſenſorii communis in cerebro, ad quam omnes referuntur impreſſiones, abſolute nequit hactenus demonſtrari, nullatenus probabiliſſima res eſt (*). Et multis experimentis aperte videtur, quod impedita communicatione nervi unius cum cerebro, deſtruitur in eo omnis ſenſatio: econtra adſunt complures, qui aſſerunt dolorem in digito ſentire, vel in brachio, quod porro reſecatum fuit; quod alioquin videtur nequire explicari, niſi diceremus, quod multoties portio nervi cum cerebro communicationem tenentis, a quacunque cauſa admoveatur eo modo, in quo prius integer nervus erat, ſufficiat hoc, ut integra ſenſatio habeatur. Valde incertum eſt, qua cerebri parte hoc ſenſorium commune ſit repoſitum: nonnulli autumant in *glandula pineali*, in corpore *calloſo* alii, ceterique in millenis aliis locis exiſtere dicunt. Incertum quoque eſt, quo modo illuc ſenſationes transferuntur; ſunt qui volunt, hoc prove-

(*) Dominus de Buffon opinatur, cerebrum ſenſu prorſus deſtitutum eſſe, & propemodum inutile; tanquam terrenum credit, quod nervis nutrimentum præſtat. Diaphragma pro eo centrum ſenſus eſt ex eo quia ſumma adinvenitur in illo ſenſibilitas (*V. Stor. natur. tom.* VIII.).

& ſimplici (*e*) quod in nobis cogitat; & juxta quod motus hoc, vel illo modo eſt ipſi communicatus, ſenſatio, quæ dicitur *calor*, vel *frigus*, illi ineſt. Id quod in nobis percipimus non eſt itaque ei ſimile, quod in pomo, vel manu conſideramus. In illo non extat, quam quædam ignis quantitas, major vel minor, habita ratione illius, qui in manu deprehenditur; in hac præter augmentationem, vel diminutionem ignis, juxta acceptum a pomo, vel ab ea pomo communicatum, & quemdam motum celeriorem, vel tardiorem ab hoc igne aucto, vel diminuto in fibrillis nerveis, & hinc ad cerebrum uſque perventum, non invenitur. Econtra ſenſatio caloris, vel frigoris animæ inhærentis, ſimplex modificatio eſt, admirabili modo, ab ipſo nervorum tremore, vel ut probabilius videtur, ab hoc ultimo cerebri motu, producta, quæ concipi nequit, nec ullam ſimilitudinem cum eodem modo tenet (δ). Interim neque calor, neque frigus qualitates ſunt, quæ realiter in pomo vel manu exiſtant; in eis non eſt præter potentiam quamdam excitandi motum in nervis, e quo eveniunt hæ ſenſationes.

 10. Cir-

---

venire a ſimplici vibratorio motu in nervis excitato, alii fluidum ſubtiliſſimum ſupponunt, qui expedite fluit a puriori, atque ſanguinis ſpirituoſiori parte extractum, & non deſunt, quibus videtur, non eſſe, quam fluidum electricum (*). Nos generali vocabulo *motus* utemur, omnibus relictis hypotheſibus. *SOAVE*.

(*) Sic opinavit Nollet (*V. Sagg. pag.* 149.), ignem elementarem credit, vel materiam lucis cuidam ſulphuris parti adhærentem. (*V. pag.* 137. 146. 190) qua ex parte eſt de Sauvages (*V. diſſ. ſu la rabb* §. 46. *& ſeq.*).

(*e*) Quod unitas enti intelligenti, ut & ſimplicitas, omnino neceſſaria ſit, enodabimus in *ann. cap.* 3. *lib.* IV. *SOAVE*.

(δ) Quomodo anima mutationem in nervo excitatam animadverrat, & quænam illi analoga mutatio in mente oriatur, haud facile eſt hic reſolvere, atque determinare; mutatio dari nequit abſque motu, motus ſine partibus, per conſequens comprehendere nequimus hanc reciprocam conniventiam, & ſimilitudinem inter mutationes in corpore exortas, & mutationes in anima partibus carente. Attamen multi multa dixere, & omnia ad tria reducuntur. 1. ad *influxum phyſicum*, quam ob rem qui eum ſectantur, *Influxioniſtas* appellamus 2. ad *adſiſtentiam*, ſive *ad cauſas occaſionales*, & qui hoc ſyſtema defendunt *Occaſionaliſtæ* dicuntur. 3. ad *harmoniam præſtabilitam*. Primi opinati ſunt, animam in

10. Circa colorem accidit ne idem? Si pomum aureum in tenebris intueor, nullum colorem ei ineſſe, mihi videtur, immo inviſibile prorſus eſt. Ut ego illud videam, oportet irradiari, & radios ſic reflexos pervenire ad meum oculum, & ab humoribus eidem exiſtentibus refrangi ejuſmodi, ut in totidem punctis ſub retina uniantur, & imaginem pomi inſculpant: nec non quod eodem tempore quemdam motum nervo optico imprimant, & ab hoc transferatur in cerebrum, animæque communicetur. Tum Anima, juxta diverſitatem motus ſibi a cerebro

---

in corpus, corpus in animam ita agere, mediante fluidi nervei motu, ut motus in organo ſenſorio factus animæ imprimatur, & anima, ſibi voluntate exorta, membra ſuo nutu moveat. Secundi, Deo quaſi ex machina advocato, poſita in organis ſenſoriis mutatione, altera illi conveniens excitatur: & econtra poſita animæ voluntate, motus conveniens corpori imprimatur a Deo. Tertii demum in novam ingreſſi ſententiam, putant 1. facta mutatione in organis ſenſoriis, produci ſenſationes per vim animæ intrinſecam, & quidem ex ſenſationibus præcedentibus 2. hoc non immediate a Deo produci, ſed ab anima ex ſtructura, & vi motrice corporis, & motibus præcedentibus reſultare (23) 3. quod tam arctus, & amicus inter corporis motus, & animæ repræſentationes conſenſus a quadam Dei præordinatione derivat. Præter ſententias allatas, alia in medium adduci nequit. Hoc a priori demonſtravit Illuſtris Bilfingerus (*V. Comm.* 1. *hypoth. de arm. animæ & corp. max. præſtab. p.* 10.). Cel. Hollmannus ſic habuit. „ Diverſiſſimæ duæ ſubſtantiæ ſi „ in operationibus ſuis conſpirare ſecum debent *aut* altera alteram dirigat, moveatque, *aut* communis inter utramque me„ diator intercedat, *aut* utraque ſuum agat in perpetua tamen „ cum altera conſenſione neceſſe eſt „. (*V. Diſſ* 1. *de arm. inter anim. & corp. præſtab p.* 6.). Qui primam ſectati ſunt, fuere Peripatetici omnes, Scholaſtici, quibus ſe addiderunt Langius (*V. diſquiſ. ex natura omn hom. hac in parte æqual. ſibi conſcia & hinc ex evidentiſſ. & univerſaliſſ. exper p* 2.). Hollmannus (*V. diſſ* 11. *de Harm præſt. pag.* 9.) & nos addamus (*V. diſſ* 11. *de Harm. præſt pag* 5) Franciſcum Soave; ſecundam Carteſius (*V med. de phil. prima*). Malebranchius (*V. de inquir. verit*): De la Forge (*V lib de mente humana*): Sturmius, alique. Tertiam Leibnitius adinvenit (*V. Theodicæa* §. 61.) poſtea ſectati ſunt Wolfius (*V. Metaphyſ German.* §. 765.) Bilfingerus (*V. dilucid. p.* 246., *& ſeq.*) Quid interim dicemus? Non eſt hic diſcutiendi locus. alibi videbimus.

bro communicati, ſenſationem unius, alteriuſve coloris habet; nulla adhuc eſt hic ſimilitudo inter animæ ſenſationem, & id quod in pomo extat. In hoc non exiſtit præter ſpeciem, diſpoſitionem, configurationem quamdam partium, quæ ſunt aptæ ad reflectendos erga oculum radios unius potius, quam alterius coloris, & ſenſatio nec etiam immediate ab his radiis pendet, ſed a motu per eos nervo optico impreſſo, & ab hoc cerebro, animæ denique communicato. Color itaque nec etiam pomo realiter exiſtit.

11. Idem prorſus eſt quoad ſaporem, & odorem. Subtiliſſima effluvia a pomo emanata nervis olfactoriis quemdam motum imprimentia, necnon Sales tenuiſſimi in pomi ſuccis contenti quemdam motum guſtatoriis nervis imprimentes, faciunt, ut hi motus ad cerebrum uſque transferantur, & anima, ut per conſequentiam, habeat odoris, ac saporis ſenſationem.

12. Circa ſonos idem præciſe eſt. Cantum luſciniæ audio vel campanæ ſonum. Hoc ſignificat, quod primo caſu aer motum vibratorium in luſciniæ laringe ſumit, ſecundo caſu quemdam pariter motum vibratorium a velociſſimo tremore minimarum campanæ partium concipit: quod hi motus per aera ad aures uſque meas veniunt, quod hic in nervis acuſticis quoſdam excitant impulſus, qui ad cerebrum transferuntur, & animæ communicantur. Motus ultimus fibrarum cerebri eſt quoque cauſa, qua determinatam ſoni ſenſationem anima habeat.

13. Qui poſſet interim in ſeipſas res exacte obſervare, non videret in corporibus, præter figuram quamdam, quamdam diſpoſitionem, & motum minimarum partium, has partes mediate, vel immediate motum quemdam nervis excitare, videret denique, motum hunc ad cerebrum uſque ramos decerpere. Ac quod nos *calorem*, *frigus*, *colorem*, *odorem*, *ſaporem*, *ſonum* vocamus, & quod corporibus ineſſe credamus, minime videret, quam in ſola anima exiſtere, & has res in anima prorſus diverſas eſſe ab eo quod in corporibus ineſt.

14. Duæ qualitates igitur, diſtinguendæ ſunt: qualitates reales, quæ realiter in corporibus exiſtunt, & a nobis concipiuntur, vel ſaltem in ſimili modo exiſtunt, ut *extenſio*, *figura*, *ſoliditas* (*f*), & qualitates apparentes, etſi videantur quoque exiſtere

(*f*) *Similem* dixi, nam figura ex. gr. unius corporis ab oculo nudo viſa præciſe eadem non eſt, ut ſi microſcopio obſervetur, & corpus quod nudo oculo æquale videtur ac continuum, ſub microſcopio ſcabroſum ac poroſum invenitur; id vero non au-

te in corporibus, quæ a nobis comprehenduntur; non ideo realiter exiſtunt, ut *æſtus*, *frigus*, *color*, *ſapor* &c.

15. Si verum non exiſtunt, unde venit deceptio, qua credimus eas quoque in illis exiſtere? oritur ab habitu transponendi, ut ita dicam, ſenſationes noſtras extra nos ipſos, & applicandi objectis, e quibus nobis ſunt attributæ, ab infantia uſque acquiſito. Quæſtio perinvoluta, ac inexplicabilis eſt quomodo hic fiat habitus (ɩ). Nunc ad factum, ſuper quo nullus, eſt dubius adhæremus. In Appendice cap. 9. hujus libri modum quoque explicare nos experimur.

16. Circa factum vero obſervare oportet, quod non omnes ſenſationes extra nos ipſos æqualiter transferuntur. Hæc obſervatio permagne neceſſaria eſt ad naturam varietatemque determinandam. Nonnullæ conſtanter in nobis remanent, ut ſenſationes *doloris*: nonnullæ, ut ita dicam, communes nobis objectiſque evadunt, ut *calor*, *frigus*, *odores*, *ſapores*, *ſoni*: nonnullæ demum in integrum tribuuntur objectis, ut *colores*.

17. Quoad dolores haud ex cauſis externis procedentes, verum a cauſis nobis ipſis exiſtentibus, ut fames, ſitis, podagra, cephalalgia, cardialgia &c. naturaliſſimum eſt. Ego ſenſationem ad objectum externum nequeo referre, ſi illud, e quo pendet, haud percipio. Unica translatio, quæ his caſibus fieri poteſt, eſt credere, pedem, ſtomachum &c. dolorem ſentire; Quando ſolum principium ſentiens anima eſt (o), & quando forſan in pede, in ſtomacho

aufert, quod ſi non exiſtit ejuſmodi figura. & illa partium unio, quam credimus corporibus, non ineſſet eis realiter figura quædam, & quædam partium unio. *SOAVE*.

(ɩ) „ Facultas, qua actus tam internos quam externos poteſt „ anima expeditius edere „ dicitur habitus. Quod natura humana hac facultate ſit prædita, nequit inficiari, niſi ab eo qui haud ſeipſum internoſcit. Actiones hominum, quotquot ſint, non ſunt præter habituum congeriem. Nos ad conſervationem noſtram tantum inclinare perſentiſcimus, reliqua habitu acquiſimus. Et veluti continuata inflexio dat ſitum, & formam plantis, ſic actus continuati dant inflexionem, & formam quamdam, qua anima celerrime videat, internoſcat, dijudicet &c. De modo quo id fiat infra diſputabimus.

(o) Non apud omnes hæc viget propoſitio. Sunt qui credunt, realiter principium ſentiens ineſſe parti quæ afficitur. Ex hoc fit. quod nonnulli animam, animum, & mentem diſtinguunt, animam appellant principium, quo vivimus, animum quo perſen-

cho &c. nec etiam cauſa proxima ſenſationis ineſt, verum remota tantum, vel mediata (5) Cum eſſet valde probabile, ut modo indigitavimus, ſenſationem a motu in filis nerveis dentis, pedis, ſtomachi excitato haud pendere, verum a motu per ipſos fibris cerebri communicato.

18. Circa dolores, a cauſis externis provenientes, res majorem expoſcit obſervationem. Si igni manum admoveo ad quemdam gradum uſque lenem calorem ſentio; ſi ulterius, dolorem. In ambobus caſibus ignis non aliud efficit, quam excitare in fibrillis nerveis manu extantibus quemdam motum; & mea ſenſatio in utroque caſu pendet ab hoc motu jam cerebro communicato. Nihilominus ego ſenſationem transfero in primo caſu ad ignem, & ex eo quia calorem igni exiſtentem ſuppono, ut in me extet, ignem calidum eſſe, enuncio: non ita in altero caſu. Nemo hactenus credidit, quod dolor exiſtat in igne, nec ignem appellavit unquam *ignem dolentem*.

19. Ad hoc phænomenon enodandum, obſervamus imprimis, eundem dolorem nobis in integrum non manere, niſi quando peragatur de ſenſationibus ad tactum pertinentibus. Odor fœtidus, ſapor amarus, ſonus aſper, profecto ingratæ ſunt ſenſationes; nihilominus momento in quo eas habemus, ſupponimus communiter, adhuc ineſſe corporibus, e quibus veniunt, aliquid ei ſimile, quod nobis exiſtit. Imo obſervandum eſt, quod ipſum doloris nomen non tribuitur quam ſenſationibus ad tactum pertinentibus. Odor, ſapor, ſonus *ingrati* dicuntur, & *moleſti*, nunquam *dolorifici* (t). Verum eſt, quod odor pungens, ſapor acris ac mor-

---

ſentiſcimus, mentem qua intelligimus, ac dijudicamus. Plato, & Ariſtoteles cum ſuis omnibus aſſeclis, vim ſentiendi per totum corpus diffundi, intelligendi in cerebro tantum exerere, exiſtimarunt. Nos vero credimus cum *Soave*, principium ſentiendi animæ ineſſe, & hanc cum animo ac mente confundimus.

(5) Principium potius. Cauſa proxima doloris eſt periculum ſolutionis quod patitur fibra. Male ergo id quod pedi affert mutationem, cauſa mediata appellatur. Vocabula cauſæ mediatæ, immediatæ &c. pariunt confuſionem. Cauſa eſt, quæ parit effectum; & ſufficit ad eum producendum, reliqua omnia ſunt principia, ex eo quia non continent in ſe præter poſſibilitatem alicujus effectus.

(t) Aperte negamus. Quidquid poteſt, prædictam ſolutionem excitare, habeatur per tactum necne, dolorem ſemper nobis do-

mordens, ſonus acutus producunt adhuc dolorem, & quod dolor hic concipitur a nobis, ut totus nobis ſolis exiſtens. Sed ſenſatio potius, quam ad olfactum, guſtum, auditum, pertinet tum ad tactum univerſalem per omnes ſenſus diffuſum. Revera nullam peculiarem odoris, ſaporis, vel ſoni modificationem tunc ſentimus, vel ſaltem ad eas non attendimus: tantum punctus vim perſentiſcimus, & vocabula ipſa *acuti*, *pungentis*, *mordentis &c.* quibus utimur, demonſtrant clare, quod tum has ſenſationes percipimus tanquam ſimplices ſenſationes tactus (k).

20. Hoc præſtructo, ratio qua ſupponimus in objectis calorem, frigus, odorem, ſaporem, ſonumque, non ita dolorem, eſt ſane, quia nos ab infantia neſcientes modum, quo prædictas ſenſationes excitentur, imaginamus, calorem, frigus, odorem &c. jam omnes efformatos, ab igne, glacie, flore, fructu, campana egredi, & ita ſe nobis intromittere, quales in reſpectivis objectis inſunt, hoc duntaxat diſcrimine, quod nos ea ſentimus, corpora nativa, cum inſenſibilia ſint, perſentiſcere nequeant (λ). Contra quoad dolorem, occaſiones diſtinguendi ſenſationem, quæ nobis exiat a cauſa, e qua diffunditur, nimis nobis frequentiores videmus. Puer, qui ſibi punctus infligit, ceu ſe lacerat, vel ſe in lapidem impellit, aut ab alio percutitur, videt aperte cauſas, e quibus dolor venit: actionem, quam ejuſmodi corpora in eo exercuerunt, & modum internoſcit, nec adeſt quod ei ſupponere efficiat, dolorem perceptum ita efformatum, in acu, vel gladio exiſtere, ceu in lapide, aut in perſona, quæ eum percuſſit: immo ſic eſt arcte in illo conjuncta cum motibus violentibus notio doloris, ut impoſſibile ei videretur, quod dolor ſi in

---

excitat; per conſequens ejuſmodi affectionem perſentiſcimus non ſolum per tactum habiram, verum etiam adhuc per reliquos ſenſus.

(k) Diſcrimen graduum mutationis determinat gradum doloris; ſi nobis conſideramus mutationem præter naturalem in ſerie creſcente augeri, ita ut perveniat ad ſolutionem fibræ, tum omnes gradus ſenſationis, incipientes ab indifferentibus, progredientes per lenes ac ingratas, & deſinentes in dolorificas, habeæmus tam ad tactum, quam ad reliquos ſenſus pertinentes.

(λ) Hoc fit propter ideas comitatas. Nos habitum acquirimus repetitis actibus. Poſtquam centies, pluries ſaltem, aliquid cum aliquo ſemper conjunctum vidimus, nobis illud animo repræſentamus, in eo credimus, & cum eo confundimus. Quam ob rem ſenſationes nos habere, credamus, in ſubjectis quæ nihil efficiunt, quam in nobis agere.

in ejuſmodi objectis exiſteret, ſignum quoddam non darent unde veniunt. Cum ſit in his circumſtantis aſſuetus, ſuas ſenſationes a cauſis diſtinguere, adhuc in reliquis omnibus in quibus ſimiles experitur ſenſationes; quapropter ſenſationes pariter doloriſicas appellat, (ſicuti accidit per ignem ingentem, per odorem nimis acutum), quamquam directe non videat modum, quo objecta ſuper ſe agant, intelligit idcirco, quod dolor, eodem modo, ſupra ſemet ipſum totus eſſe debet, & in corporibus præter cauſam efficientem non exiſtere. Hinc ille concipit ad inſtar minutorum cuſpitum e corpore evolantium, qui illud corpus, ſimilique modo, quo ipſe cuſpites eſt tactu expertus, feriant, ſicque vulneri ab eis producto ſuum tribuit dolorem.

21. Facilitas, qua nos ſenſationem a cauſa producente ope tactus diſtinguimus, efficit, quod habita ratione ad hunc ſenſum, non tantum in moleſtis ſenſationibus, verum etiam in gratis indifferentibuſque (*g*) raro decipimur, ut in aliis, in quibus credamus corporibus ineſſe quod nobis vere exiſtit, & contra (*h*). Nemo extat qui tangens durum vel molle, aſperum vel levigatum, fluidum vel ſolidum (*i*), ſit hac vel illa magnitudine, hac illave figura, non internoſcat ut duo diverſa, ſenſationem in ſe extantem, & proprietatem in corpore exiſtentem. Frigus, calor, ſenſationes, penitus ſolæ, ad tactum ſunt pertinentes, quæ hac parte nos decipiant, ex eo quia extant ſolæ, in quibus nimis abſcondita eſt corporum actio in nobis conſumpta.

22. Senſus, e quo major illuſio venit, vel de quo potius nobis illam formamus, *viſus* eſt. Quando calorem, frigus, odores, ſapores, ſonus, extra nos ponimus, nihil aliud efficimus, quam credere in corporibus eos exiſtere, modo quo nos perſentiſcimus. Illuſio ergo conſiſtit in credendo, quod noſtrum eſt, in obje-

(*g*) Senſationes *indifferentes* appello, quibus non ineſt voluptas, vel dolor perceptus. An extent ſenſationes per ſe, & abſolute indifferentes, eſt quæſtio longior in diſcutiendo. *SUAVE*.

(*h*) Odores, ſapores, ſonus uſque dum non deſinant in dolorem, nos ſupponimus, ut modo diximus, omnes ſimili modo, ac in nobis, in corporibus exiſtere. Voluptas quæ excitatur, ſola eſt, quam in eis non credimus, ex eo quia in principio ſentiente eam ineſſe nimis aperte videmus. Quoad hos ſenſus. non ſimus exacti quam in dolore, tum internoſcimus, in corporibus non exiſtere nec actum ſentiendi, nec rem perceptam, tantum unicam cauſam, e qua exurgit ſenſatio *SOAVE*.

(*i*) Per *ſolidum* intelligitur quod eſt *conſiſtens*. *SOAVE*.

objectis, &, ut ita dicam, illis commune facere. Verum quando in coloribus ulterius progredimur, nos objectis in integrum tribuimus, & pro conſiderandis eis, ut noſtris ſenſationibus, tantum, ut eorum proprietates habemus. Ad hoc duæ rationes concurrunt potiſſimum. 1. Cum nos omnia corpora quodam colore tecta, & eadem ſemper eodem colore videamus, ſi alia cauſa hic non alteretur, faciliter ſupponimus, colores corporibus ipſis inhærere, & ab eis inſ. parabiles eſſe. 2. Cum impreſſio nobis a coloribus facta tenuior ac levior ſit illa a calore, frigore, odoribus, ſaporibus & ſonibus progenita difficiliter nobis in mentem venit, illas, pariter ac iſtas, noſtras quoque ſenſationes eſſe.

23. Modus diverſus, cum quo diverſas qualitates corporum reſpicimus, modo noſtro concipiendi, producit fortaſſe diſcrimen, non hactenus ſufficienter perſpectum, & quod nimis grave videtur: *Senſatio*, *apprehenſio*, & *perceptio* apud metaphyſicos ut plurimum ſunt ſynonyma, vel eis major philoſophorum pars ſæpius utitur indiſcriminatim, vel ſaltem diſcrimen non hactenus eſt præciſe ſtatutum. Verum actus ſentiendi non ſolus eſt, nec omnibus caſibus idem. Adſunt quædam impreſſiones, quæ internam doloris (*k*) vel voluptatis modificationem nobis producunt, aliæ quæ ſimplicem repræſentationem rerum externarum efficiunt, nonnullæ demum, in quibus utrumque effectum experimur. Hæ differentiæ ſunt maghopere neceſſariæ, & in ſcientia in qua nunquam ſupereſt profuſio, impune relinqui nequeunt. Ego revera dubito, quin multos errores, ac obſcuritates exortas videamus, non ex alia cauſa, quam ex hujus diſtinctionis defectu, & ulterius hoc in probationibus videbimus. Pro adhibendis ergo his tribus vocabulis indiſcriminatim, & pro ſynonymis, utar ego vocabulo *ſenſationis* in illis duntaxat caſibus, in quibus impreſſiones excitant internam voluptatis, doloriſve modificationem; vocabulo *perceptionis* tantum, quando impreſſiones offerent nobis repræſentationem rerum exteriorum; & detinebo vocabulum *apprehenſionis* illis caſibus, in quibus non intereſt unum ab alio effectu diſtinguere, & ſufficit tantum determinare adnotare actum habendi modificationem (*l*), ceu repræſentationem, vel

(*k*) *Modificatio*, vocabulum univerſale eſt, & indicat illud quo in determinato modo aliquid exiſtit. Nos, ubicumque illud repræſentationi opponere occurret, ſemper particulariter intelligemus, per ſtatum, in quo eſt anima, quando externa impreſſio voluptatem, vel phyſicum dolorem producit. SOAVE.

(*l*) Vocem *doloris* in ſenſu metaphyſicorum ſumo, per quam-

vel ambas ſimul. Ecquæ impreſſiones nobis unum potius quam alterum effectum producunt? Diligenter perpendimus.

24. Impreſſio *lucis*, *colorumque* tam tenuis eſt, & modificatio doloris vel voluptatis, ut plurimum, tam levis, quod nec etiam eam nos præſentiſcimus. Ut plurimum ajo, ex eo quia pulcher, *ruber*, *viridis*, *aurantius*, color, ſane nobis phyſicam ſenſibilemque voluptatem producunt; contra nimia lux nobis excitat phyſicam moleſtiam, quæ pervenit multoties ad dolorem (μ). Verum hi caſus infrequentiores ſunt. Viſu rerum communium, quod paſſim obſervamus, eſt nihil ſentire. Lapis, lignum, via, platea, domus, janua, objecta indifferentiſſima ſunt; nullam voluptatem, vel phyſicum dolorem in reſpiciendo ſentimus, & viſu, habita ratione eis, nos utimur potius cauſa videndi ſituationem, formam, quam cauſa trahendi modificationem, quæ nos voluptate vel dolore afficiat. Raro igitur *lux*, *coloreſque* (& idem dicatur de qualitatibus omnibus, quas, eorum ope, detegimus, ut eſt *extenſio*, *figura*, *motus &c.*) nobis aliquam modificationem excitant. Contra promptiorem repræſentationem nobis ſemper afferunt. Quoniam habitus, factus in integrum corporibus transferendi colores, & qualitates eis credendi inhærentes, una cum exercitio acquiſito (m) celerius internoſcendi, eorum ope, poſitionem, & diſtantiam corporum, ſuper quibus apparent, efficit, quod ſtatim ac recipitur eorum impreſſio, ad objecta e quibus fluit, mente recurrimus, & quot punctus impreſſionis nobis fiunt, tot coloratos punctus ſuper objectis reponimus, ita ut nobis imaginem formemus impreſſionibus exacte reſpondentem. Qualitates

---

quamlibet moleſtiam generatim ſumptam (*). *SOAVE*.

(*) *Dolor*, ſi ſatis perpendemus, nequit ſic definiri. Nullum alioquin diſcrimen adeſſet inter ſenſationes ſimpliciter ingratas, & dolorificas. Ego in argumento diverſo definivi dolorem „ per „ perceptionem moleſtam, conſtantem, ac notabilem e quovis „ principio nobis productam „. Rationes hujus definitionis videri poſſunt ibidem (*Malatt. ſtat. tom.* 11. *def. XVI. Avv.* 1.).

(μ) Per conſequens ingrata ſenſatio vel moleſta non eſt eadem ac dolorifica. Illa oritur a mutatione nonnaturali, hæc a periculo diſſolutionis noſtræ fibræ; differunt gradibus inter ſe, verum gradus modificationis producunt novum ens. Quod nova eget definitione.

(m) Modus, quo hoc exercitium acquiratur, indigitabitur in prædicta appendice capitis IX.. *SOAVE*.

tes viſibiles nobis relatæ (*n*) poſſunt interim reſpici, uti ultimæ inter *modificas* & *ſenſibiles*, & uti primæ inter *perceptibiles* & *repræſentantes* (*v*).

25. Sonus in ordine qualitatum repræſentantium ſunt ſecundi. Habitus factus transferendi eos a nobis procul, & eorum ope diſtantiam, atque corporum poſitionem metiri, efficit quod ſtatim ac eos audiamus, ad objectum, e quo veniunt, cogitationem dirigimus. Diſcrimen quod extat inter eos, & colores eſt, quod in integrum hos ad objecta referimus non reſpiciendo eos, ut noſtras ſenſationes, quando ſonus conſiderantur & ut ſenſationes noſtræ, & ut objectorum qualitates. Verum non ſecus ac colores, eos a nobis quoque ſejungimus, & quod in nobis eſt, & quod eſt in objecto tanquam duo diverſa reſpicimus. Repræſentatio eſt adhuc minus clara, ac diſtincta in ſonibus, quam in coloribus (*o*). Ratio eſt, quod quaſi nulla extat ſuperficies, etſi uniformis coloris, quæ nobis offerat in omnibus ſuis punctis præciſe eumdem colorem; minima aſperitas quæ reperitur, minima lucis diverſitas ſtatim diverſum colorem nobis porrigit. Qua-

---

(*n*) Cum dico quoad nos, intelligo quoad omnes illos, qui uſum liberum viſus habent; quoniam in cæco nato, qui videre incipiat, & in infantibus tum exortis, colores non ſunt præter ſimplices modificationes, & ut ex variis exemplis conſtat, modificationes ſenſibiles; hac ſuper re videri quoque poteſt prædicta appendix. *SOAVE*.

(*v*) Hæc eſt vera ratio ſenſationum. Conſiderantur gradus mutationum e corporibus externis organis ſenſoriis noſtris excitati, ut in progreſſione creſcente in infinitum; primus terminus erit ad ultimum tamquam zerum, per conſequens ſi ultimus fibræ ſolutionem producit, & ideo dolorem, primus nihil doloris producere debet; erit ergo hic primus mutationis gradus ſimplex *apprehenſio*; nam adeſt mutatio quam anima percipere debet. Si poſtea ſumantur intermedii termini, tum hi exprimentur *perceptiones*, nam ſunt ſenſibiliores, & anima internoſcit, ac diſtinte eos percipit; *ſenſationes* denique, ſi pro ultimis terminis habentur. Dicuntur gratæ ſi retrogrado motu a ſtatu nonnaturali ad naturalem veniunt, ingratæ vel dolorificæ ſi in anteceſſum a naturali ſtatu ad nonnaturalem procedunt. Sed de hoc alibi diſputati ſumus. (*V. Mal. Flat. tom.* 11.)

(*o*) Repræſentantio eo clarior eſt, quo eſt vividior, & per conſequens captu facilior; eo diſtinctior quo major punctorum numerus enodate percipitur, quod plurimum ipſimet claritati contribuit. *SOAVE*.

Quapropter in viſibilibus objectis toties repræſentationes quaſi ſemper habemus, quoties ſunt eorum puncta. In ſonibus econtra repræſentatio cujuslibet majori hominum parti una eſt, quam ipſi applicant *in ſolidum*, ut ita dicam, in corpore ſonoro. Si quilibet hominum aurem *Rameau*, & *Tartini* haberet, & aliorum muſicorum, qui aptiores ſunt ad diſtinguendos in vibrationibus unius chordæ uno tempore plures ſonus, videlicet præter ſonum fundamentalem, adhuc ſuas conſonantias, diſtinctio in ſonuum repræſentationibus ſane ſe accederet multo melius ad illam colorum. Argumentum verba præſtant. Vox imaginationis *ex. gr.* diſtinctam italiano auri repræſentationem offeret, nam ille tot partiales repræſentationes internoſcit, quot ſunt litteræ: *Senenſi* econtra vox imaginationis non eſſet quam confuſa repræſentatio, nam ille præter unum ſonum diſtinguere neſciret. Idem eveniret nobis ſi auſcultaremus Sinenſem. Nullatenus repræſentatio nunquam eſt in ſonibus abſolute ſola; in omnibus ſymphoniis, in omnibus concentibus, in omnibus articulatis vocibus plures ſemper ſe nobis offerunt repræſentationes vel ſucceſſivæ, vel contemporaneæ, quæ ſimul inſerviunt ad magis claram, ac diſtinctam repræſentationem efficiendam.

26. Qualitates, quæ tactu deteguntur, in duas claſſes ſunt diſpeſcendæ, quædam tactum univerſalem reſpiciunt, hoc eſt percipiuntur a nobis in qualibet corporis parte, & adhuc abſque immediato contactu alterius corporis (*p*): ejuſmodi eſt *calor*, *frigus* & generatim *voluptas*, *dolor*; aliæ quæ particularem tactum reſpiciunt, hoc eſt, quæ contactu immediato deteguntur, ut *figura*, *extenſio*, *ſoliditas*, *fluiditas*, *durities*, *mollities &c.* (ω). Primæ nullam repræſentationem nobis communiter offerunt, qua de re rationem modo enodabimus. Secundæ deberent nobis offerre claras repræſentationes, nam ex una parte extenſio, figura, cum eſſent reales qualitates corporum, ſunt ſolæ, quas legitime nos conſiderare debemus, ut ipſis inhærentes;

 ex

(*p*) De tangibili alio corpore intelligo, nam ipſe elementaris ignis, ex. gr., abſque dubio corpus eſt. *SOAVE*.

(ω) Hanc diſtinctionem ſupervacaneam puto. Nos conſcii ſumus caloris, frigoris, figuræ, extenſionis &c. quatenus corpora quædam organis ſenſoriis noſtris agant, & mutationem producant: parum refert an corpora fixa vel volatilia ſint; an ſubtilia vel craſſa; an proxima, vel remota &c., mutationes, & per conſequens ſenſationes duntaxat differunt ratione actionis, quapropter ad actiones potius, quam ad corpora eſt attendendum.

ex alia parte quodlibet extenſionis punctum, quod tangimus, ſuam nobis efficit impreſſionem, & hæ impreſſiones deberent eſſe totidem repræſentationes, cum ſint totidem ſigna vel animadverſiones rei exterioris. Nihilominus ſi corpus tangimus, nos utplurimum ad modificationem potius attendimus, duritie, mollitie evitate vel aſperitate &c. nobis excitatam, quam ad repræſentationem a ſua extenſione figuraque exhibitam; de quo duas adinvenio rationes, una, quod impreſſiones extenſionis magis ſunt tactui uniformes; ex quo fit, quod repræſentatio non ſit nimis diſtincta: altera, quod repræſentationes extenſionis per viſum promptius habetur, hinc eſt, quod parum noſtrum interſit ope tactus nobis imaginem efformare, quando multum intereſt internoſcere modificationem, quæ a mollitie, duritie, aſperitate &c. poteſt oriri. Hæc ultima ratio, fortaſſe principalis, non eſt communis cæcis,qui coacti, defectui viſus tactum ſupplent. Cum idcirco majus exercitium in hoc ſenſu faciant non tantum cauſa ſentiendi impreſſiones gratas vel moleſtas ab objectis productas, verum etiam cauſa internoſcendi extenſionem, figuram, poſitionem, proprietatem, naturam, ad impreſſionum differentias detegendas, quas nos non internoſcimus; & per conſequens ad repræſentationes claras ac diſtinctas, ſibi formandas, perveniunt (q).

27. *Odores*, ac *ſapores*, communiter loquendo, nullam repræſentationem nobis efficiunt. Ratio eſt,quia nunquam in integrum a nobis ſejungimus, nunquam ut duo diviſa conſideramus, & quod eſt in nobis, & quod eſt in objecto; per conſequens nullam imaginem nobis ſejunctam a nobis ipſis, repræſentamus, quæ ad objectum referri, ac applicari poſſit. Malum aureum olfaciens, acquiſivi habitum credendi, odorem a me perceptum in eo quoque eſſe, ſed illud conſidero, ut ita dicam, ut rem continuam, quæ ab ipſo ad meos nares pervenit; nullam ſeparationem concipio, quæ dividat odorem in me extantem ab odore, quem in pomo aureo ſuppono (o). Ratio hujus una eſſe poteſt, parva ſcilicet vel nulla diſtantia, quæ inter organum & objectum eſt, quando odoratur, vel deguſtatur. Altera eſt uniformitas ſapidarum, odoroſarum-

que

(q) Quales clariſſimas repræſentationes non habere debuit *Saunderſon*, qui cæcus, ut erat, ad mathematicorum claſſem ſe extollere ſcivit, & meruit Newtoni Cathedram occupare? *SOAVE*.

(o) Et ita in ſe res eſt. Particulæ, quæ continuo a pomo aureo effluunt, continuatum fluxum efformant; nec concipi poteſt fluxus ab objecto ſejunctus.

que impreſſionum, quæ videtur nobis major adhuc, qua non eſt, cauſa parvi exercitii, quod in his habeamus organis. Revera quando in ſonis, quamquam unuſquiſque ſeorſim ſumtus, ut ita dicam, nobis unicum punctum impreſſionis efficiat, verum clare diſtinguimus ſucceſſionem diverſorum punctorum, & multiplicitatem punctorum contemporaneorum, quando unico actu plures ſonus auſcultamus; Contra in odoribus, ſaporibuſque a nobis percipitur ſucceſſio, ut linea continua, potius, quam ut ſeries plurium punctorum unum ab altero ſeparatum, & odores, ac ſapores contemporanei ſe miſcent ad invicem, & ut plurimum, in unum ſaporem vel odorem confunduntur. Rationem qua nunquam nos ſejungimus odores & ſapores a nobiſmetipſis, & nullam imaginem formamus, potiſſimam eſſe arbitror nullum utile ex uſu olfactus, guſtuſque ad repræſentationem objectorum retrahendam nobis comparatum, utile, quod tam abunde, ac prompte per tactum, auditum, viſumque habemus; & per conſequens nullus horum ſenſuum uſus, quem ad hunc finem efficimus, & minima applicatio, quam impreſſionibus eorum ſuppeditamus, ipſam abſolvit rationem. Et ut ita ſe res habeat, quis internoſcit, quod canes, lupi, & quodlibet aliud animale, in quo olfactus primarius ſenſus eſt, vel majoris uſus eſſe videtur, impreſſionibus odorum diligentius attendendo, diſtinctius, atque perexacte varietates percipiendo a ſemetipſis adhuc non ſejungant, in corporibus transferant, directe ut proprietates ipſis adhærentes conſiderent, & hoc modo diſtinctas habeant repræſentationes non ſecus ac nos colorum, & ſonuum habemus? Indifferentia, qua omnes olfaciunt, demonſtrat, quod voluptas, vel dolor in eis ab his impreſſionibus excitatus nimis ſenſibilis eſſe nequit, vel non permagne ſaltem ad ea attendunt. Rationes, propter quas *calor*, *frigus*, & eo magis *voluptas*, & *dolor* nullam repræſentationem nobis communiter faciunt (r), ſunt perinde eædem, quas circa odores, ac ſapores indigitavimus.

28. Qualitates *repræſentantes*, & *ſenſibiles* quaſi in proportione reciproca extant. Quæ majores nobis offerunt repræſentationes, minores excitant modificationes: quæ majores modificationes nobis faciunt, minores repræſentationes largiuntur. At ſicuti hæc omnia nimis inter ſe ſunt diverſa, & diverſum nobis pro-

 du-

(r) *Communiter* addo, ex eo quia ubi agitur de ſenſationibus, multis cautelis eſt progrediendum, ut ſupponatur, cæteris omnibus evenire quod nobis accidit. *SOAVE*.

ducunt effectum (π); ſic diligenter diſtinguere oportebit, habita ratione ad qualitates, *modificationem* vel *repræſentationem*, quam nobis producunt; habita ratione ad nos ipſos, *ſenſationem*, vel *perceptionem*, quam ex illis retrahimus. Quod ſi indeterminate indigitari vellet effectus a quadam qualitate productus, non ſpecificando, an ſit modificatio, vel repræſentatio, id vocabitur quoad eam *impreſſio*, quoad nos *apprehenſio*.

29. His primis operationibus intellectus ſtatutis, facilius erit adhuc alias ſtatuere. Ad pomarium regrediamur, quod nos a natura & gravitate rerum coacti perparum reliquimus. Diximus quod primo intuitu, præter repræſentationem obſcuram, ac confuſam complexus rerum non habemus, & quod paulatim poſt clareſcit, donec nos ad clariſſimam perceptionem totius pervenimus. Unde initio, hæc confuſa obſcuraque perceptio? Quomodo perceptio hæc acquiritur poſterius?

30. Vis noſtræ mentis circumſcripta eſt, nec unico actu poteſt

(π) Neſcio, an recte dici queat. Nos ſæpe obſervamus, eadem objecta, modo repræſentationes, ut ait *Soave*, modo modificationes nobis excitare, et ratione actionis ab eis acquiſitæ, & ratione reſiſtentiæ habitæ, ſemper eas modificari. Si nos repræſentationes ad objecta referimus, & modificationes organis ſenſoriis noſtris tribuimus, hoc tantum evenit ratione habitus; objecta, quæ nobis animo repræſentamus, verſantur ante oculos, & utplurimum ſunt poſita in quadam ſenſibili diſtantia, quapropter anima diſtincte percipit punctum, e quo modificatio ad ſuum venit organum, videtque extra ſe eſſe poſitum, & cauſam cum effectu confundens in objectis ſuas videt modificationes; verum cum hæ ſequantur extenſionem, colorem &c. ſingulorum objectorum, e quibus veniunt, inter modificationes & objecta ſemper percipit quaſdam proportiones, & ſimilitudines, & in ſuis modificationibus videt objecta, apprehendit, & animo ea ſibi repræſentat: per conſequens plura in ea diſtinguimus, non ſic in modificationibus, anima ut plurimum objecta eas excitantia non videt, & ſi videt non clare diſtinguit, an ſit in ſe vel in objectis modificatio; per conſequens, cum nullum habeat argumentum eſſe in objectis, modificationes niſi in ſe non videt. Cæteroquin, eadem ſunt, ac repræſentationes, tantum, ut diximus, differunt ratione gradus. Solidiſſimum argumentum habemus ex viſu eorum, quæ alio tempore nobis dolorem excitarunt. Perinde videtur, viſu eorum renovari dolorem, & in cauſis dolorem ipſum quaſi reſpicimus.

eſt multa amplecti. Ex quo fit, quod nimis impreſſionum multiplicitas ab initio eam implicat, ac confundit. Cum enim non omnes impreſſiones habeant in ea eamdem vim, ſic primo ictu elapſo, vim ſuperiorem illarum ſentire incipit, & relictis reliquis, particulariter in his ſe compeſcit. Modo pulchritudo floris illam ferit, modo fructus raritas: quando trichilæ forma, quando artificium fontis &c.. Cum modo ſe nunc in uno, nunc in alio objecto illa ſiſtat, & in uno eodemque objecto nunc unam, nunc aliam qualitatem obſervet, ſibi fiunt objectorum repræſentationes magis atque magis diſtinctæ, & quoque perceptiones clariores. Claritas vero particularium perceptionum alicujus objecti non eſſet potis ad clarificandas ſibi totales perceptiones complexus, ſi ex uno ad aliud objectum progrediens, paſſim amitteret memoriam illius, quod antea in præcedentibus obſervavit. At facultas, quam habet, per aliquod tempus objecti præcedentis imaginem ſervare. poſtquam ad aliud eſt quoque progreſſa, facultas, quam illa tenet, in mentem hanc imaginem denuo revocare, poſtquam etiam prorſus evanuit, efficiunt, ut objectis attenteque ac ſejunctim conſideratis, per omnia cum oculo rapide percurrens, & in quolibet obſervatarum rerum celeriter commorans, omnium, & totalis eorum complexus tandem ſibi clariſſimam perceptionem efformet. Nunc actus, quo mens ſiſtit ſe ipſam in particulari impreſſione, vocatur *attentio*, actus, quo per aliquod tempus hanc impreſſionem præſentem habet, etſi abſit objectum, *contemplatio* denominatur; actus, quo ſibi revocat elapſas impreſſiones, adhuc poſtquam prorſus fuerunt obliteratæ, appellatur *reminiſcentia*.

31. Hic vero multa examinanda ſunt. In primis attentio ſequitur ſemper fortiores impreſſiones? Sæpiſſime ex fortiori ad debiliorem tranſit. At non forte, & abſque ratione anima illas reliquit, ut in iſtis commoretur. Laxitas, vel tædium impreſſionis nimis longæ ac uniformis efficit aliquando, ut cupiat mutationem, & libenter commoretur in nova, hæc etſi phyſice ſit debilior, relarlo, quam habet cum actuali ſuo ſitu, vel cum ſuis perceptionibus, vel præcedentibus ſenſationibus, eſt utplurimum quæ ad id eam conſtituit. Sæpius propinquitas ſola efficit, illam ſe in uno præ alio objecto, magno vel magis pulchro, vivido, verum magis remoto immorari (ψ); ſæpius quoque

(ψ) Nos percipimus, ſentimus, apprehendimus objecta, quatenus hæc mutant organa ſenſoria noſtra: mutatio ſequitur eorum actionem, & actio, cæteris paribus, inverſam diſtantiarum: ergo remo-

quæ ſola ſimilitudo, quam cum objectis habeat, a qua in diverſis temporibus fuiſſet percuſſa ſic tantum loquendo, id facit (p).

32. Secundo, anima plus quam unicam impreſſionem poteſt unico actu amplecti, vel ſingulatim amplectitur unam? Eſt diſtinguenda apprehenſio ab attentione. Nonnulli crediderunt, quod anima apprehendere nequeat plus quam unam impreſſionem eodem tempore; aliqui, quod unico actu ad plura poſſit attendere. Falſitas primæ opinionis facile demonſtrari quit. Video duo mala aurea, unum altero craſſius, rotundius, & eorum diverſitatem percipio. Quo modo ego poſſim ea mihi animo repræſentare, niſi eodem tempore amborum perceptionem haberem? Verum ego opinor, animam nunquam eis ſuam præſtare attentionem plus quam ſingulatim. *CUORE* vocabulum lego, in eo quinque literas mihi repræſento; profecto omnes ego eas percipio, at imprimis obſervo, quod ſi ego immoror attente in una, *ex. gr.* in *O*, hujus perceptio mihi clariſſima eſt, reliquarum perceptio obſcurior. Secundo adhuc obſervo, quod ſi cupio, me ſimul in duobus literis cum attentione immorari, ex. gr. in *V* & in *O*, vivam perceptionem extremitatum interiorum ambarum habeo, exteriorum vero minus vivam: Optica me alia ex parte docet, quod in omni ſuperficie punctum extat, quod ante reliqua vividius videamus, illud ſcilicet in quo conveniunt duo aſſes optici (ſ), ex eo quia impreſſio, quæ ab hoc venit, alia eſt vividior. Itaque ego credo, quod in attentione accidat in ge-

---

mota objecta minus feriunt, minus nos mutant, per conſequens minus percipiuntur. Ratio, qua anima trahitur, cum ſint impreſſiones, vel mutationes organo ſenſorio noſtro excitatæ, erit quoque in ratione compoſita, ex directa magnitudinis, denſitatis, pulchritudinis, vivacitatis objectorum, & reciproca diſtantiæ, quam ab organis objecta ipſa conſervant. Si ergo ratio diſtantiæ eſt ad rationem magnitudinis &c major, tum anima immoratur potius in vicinioribus objectis, etſi minus vividis, ac pulchris &c. quam in remotis pulcherrimis, & vivacioribus.

(p) Ratio eſt comitatus idearum. Hac ſuper re inferius.

(ſ) *Aſſes optici* nuncupantur illi duo radii, qui ab uno objecti puncto progredientes in oculos perpendiculariter intrant, & humores abſque refractione permeantes directe ad retinam perveniunt. Quod eorum vis major debeat eſſe, theoria ac experientia æque demonſtrant. Ipſi, ut ſuperficialiter tangant, rationem nobis ſuppeditant, qua quodlibet objecti punctum ſimplex perſpiciatur, etſi duplici oculo intuemur. *SOAVE*.

generali, id quod in viſione ſpeciatim evadit. In circulo, ita dicam, impreſſionum, quæ nobis uno tempore adſunt, medii punctum ſemper extat, in quo potiſſimum immoremur. At ſicuti quaſi omni momento hoc mutatur punctum, modo quo in viſione mutatur, quia mens, ut oculus, rapide ex una in aliam impreſſionem celerrime currit; & raro evenit, quod ſub individuata impreſſione maneat diutius: ita ex rapiditate, qua anima percurrit ex uno ad aliud objectum, necnon ex una ad aliam partem ipſius objecti, cogito, oriri illuſionem illius, qui crediditſſet, quod eodem inſtanti indiviſibili pluribus impreſſionibus, æqualiter, ac conjunctim anima poſſit ſuam attentionem applicare. Exemplum a viſione erutum melius mea ſenſa enodabit. Titionem accenſum ego celerrime circumvolvens, video circulum lucidum & continuum, non ſecus ac ſi titionis extremitas in omnibus circuli punctis uno eodem tempore exiſteret: at lente eum circumvolvens ego lucem titionis non video, quam in ſolo duntaxat loco, in quo actu reperitur. Cauſa eſt, quod primo caſu celeritas, qua ſubſequuntur impreſſiones, efficit, ut connectantur inter ſe ejuſmodi, quod nullas intercapedines in eis ego internoſcam, quas clare video in ſecundo caſu. Eodem modo ſi unam in alteram impreſſionem attentionem transfero, hi actus, quodam modo, mihi efformant lucidum titionis circulum, hoc eſt eo in me conjunguntur, quod mihi videtur unico ac indiviſibili actu illas multiplices impreſſiones figere, quas realiter ego figo variis actibus ſucceſſivis (σ). Hæc rapiditas rebus duabus proportio-

(σ) Vereor ne allatum argument , & exemplum contrarium potius demonſtret Si circumvolve .pide titionem, tum rapide impreſſiones ſucceſſivæ in me oriuntur, & propter hanc rapiditatem in integrum illo actu exiſtunt, & anima ſuam attentionem omnibus æqualiter præſtando, eas figit, atque percipit, non ſic ſemota celeritate. Si eſſet revera, ut opinatur *Soave*, deficeret ſane ratio, qua, cum vellet anima, rapide attentionem transferendo, non eodem modo puncta lucida titionis percipiat; quando eodem modo, & tempore impreſſiones, etſi lente efficiant, perdurent, & coexiſtant. Nec dici poſſe, opinor, facilitatem impreſſiones retinendi ad quandam animæ modificationem pertinere; omnes enim, quotquot ſunt homines, circulum lucidum vident, ſi titio celerrime circumvolvatur, ſit nec ne adhibita attentio, vel exercitio perpolita. Autumo potius habitum permagne conferre ratione organorum, non ratione animæ, cujus vis ſemper una eademque eſt. Ergo cum ratione dubito, quod anima pluribus

tionalis eſt 1. facilitati prompte feriendi, & diſtincte ſingulam impreſſionem exigendi, quæ facilitas permagne pendet ab exercitio, & analogia quam habent impreſſiones cum noſtro ſtatu, & cognitionibus. 2. facilitati paſſim eas retinendi. Hinc eſt quod peritus muſicus unico intuitu notarum verſum legit rapide;, videlicet attentionem fert celerrime ſuper longa notarum ſerie, ad quas percipiendas inchoans, debet magna, lentaque intentione procedere (τ).

33. Viſis attentionis proprietatibus, effectus modo videamus. Tres potiſſimum ſunt: 1. ſenſationes, perceptioneſque vividiores reddere: 2. conſervationem expedire: 3. renovationem facilem efficere. Quod anima quoad unam impreſſionem ſe vehementius applicet, eo vividior ſenſatio, vel perceptio evadat, veritas ad factum pertinet, nec erit qui eam inficiari poſſit. Sola cauſa eſt, circa quam poteſt aliquid dubii admoveri. Communis opinio eſt, quod effectus oriatur directe ab eadem attentione; immo cauſa enodandi, quo modo attentio eum gignat, ſupponit *Bonetus*, quod eadem attentio in quadam animæ reactione conſiſtat facta ſuper fibra ab impreſſione extrinſeca commota, quam ob rem motus illius augeatur, & per conſequens augeatur pariter ſenſatio (υ). *Robinet* ponit attentionem in reactione ipſius fibræ fa-

---

ribus impreſſionibus attendere queat, tantum requiri habitus efficiendi impreſſiones tam ſucceſſive, rapideque, ut dum una erigitur, altera non deleatur, quapropter anima unico actu plures impreſſiones poſſit ſibi ſimul repræſentare; de quo diffuſius infra diſputabimus.

(τ) Habitus notas oculo percurrendi, exercitio acquiſitus, efficit, ut impreſſiones celerrime confectæ ſimul coexiſtant in cerebro, & ratione celeritatis, qua fiunt, in ortu unius, altera non deleatur. Hoc confirmat experientia. Ab incomparabili amico, omni exceptione digno, nuper audivi, quod perilluſtris quædam Domina unico intuitu integram paginam legebat. Quomodo hoc fieret, ſi attentio animæ in unico puncto eſſet, quicunque fluendi habitus illi conſideretur? Eſt porro dicendum, quod anima pluribus objectis poſſit pandere attentionem, & plura ſimul percipere.

(υ) Nec mihi ſatiſdet; eſſet ignotum per ignotum. Quid eſt animæ reactio? quomodo hæc fiat in fibris? pendet ab anima? a motionibus fibræ? Si ab anima, qua ratione attentio non eſt ſemper eadem? unde venit, quod non omnibus ineſſet pariter? Si a fibris, cur eiſdem impreſſionibus ab objectis factis, non ea-

facta ſuo motui, & animæ ſuæ modificationi, opinans, quod augmentum ſenſationis ab hac reactione habeatur. Ego non morabor in demonſtrando, his duobus opinionibus poſſe opponi. Longam, ac valde ſubtilem confutationem Abb. *Draghetti* effecit. (*V. Pſychol. ſpecim. Part* II.). Dicam duntaxat, quod ego dubito, falſum eſſe principium, cui innituntur, nec non cauſam, qua fuere adinventæ; hoc eſt, quod ego autumo, attentionem ſemper occaſionem eſſe augmenti ſenſationum, ac perceptionum, non cauſam. Redeo ad experimentum vocabuli *CUORE*. Poſita attentione in litera O, hæc mihi ante omnes alias clareſcit; qualis vero eſt cauſa? Eſt porro, quia concurſum axium opticorum in ea ſiſto, quod idem eſt, quam dicere, in ea oculos pono ejus modi, quod vividior impreſſio ad me de ea venit neceſſe. Transfero celeriter nunc ante, nunc retro per totum vocabulum attentionem, & clarius mihi videtur, & ante alia perilluſtratum. Res eſt valde certa; ſed ratio aperte eſt eadem. Non igitur attentio eſt illa, quæ in his caſibus vim impreſſionis adauget, eſt duntaxat ſimplex occaſio, ut ego organum objecto ita repræſentem quod ab ipſo ad me vividior impreſſio veniat. Circa reliquos ſenſus luculentius idem eveniret, quod dicere non audeo. Obſervo, quod quando velimus nos fixis auriculis ſonum audire, aures ſuæ directioni perpendiculariter præſentamus; idem efficimus, habita ratione ad odores, colorem &c.: alia ex parte, quod actio perpendicularis ſit major obliqua, omnibus conſtat (ɛ). Vi-

eadem oritur attentio? Vereor equidem, ne hæc animæ reactio in errorem nos recto tramite ducat,

> . . . . *Namque officium, quod corporis extat*
> *Officere atque obſtare, in omni tempore adeſſet omnibus.*
> De hoc verum infra diſputabimus.

(ɛ) Credo, cum ratione me dubitare poſſe, omnia hactenus a *Soave* allata potius opinionem noſtram probare. Ut celerius audiatur Campanæ ſonus, vel floris odor, ceu color cujuſdam objecti percipiatur, oportet eo ponere ſenſus, ut melius fortiuſque poſſent in ſe impreſſiones recipere, quapropter fluxu continuato exerceat animam, & habeat hæc integram perceptionem; per conſequens vides, quod uno tempore anima percipit impreſſiones factas, & actu faciendas, ut ita dicam; alioquin ipſa non haberet poſteriores prioribus ſimiles, aquales, ceu inæquales. Nec objectio eſt, dicere, tum animam in impreſſionibus ejuſdem naturæ im-

mo-

Videtur ergo, quoad hos quoque ſenſus, augmentum ſenſationis non oriri a vi directa attentionis, ſed potius a præſentatione organi ſenſorii a nobis facta ad objectum in apriori modo, ut major impreſſio habeatur. Forſan obiicit quidam: Audio tintinnabuli ſonum, ſi ad eum non attendo, vix eum audio, ſi attendo, vividius percipio, etſi aures in eadem poſitione continuent. Cæteroquin, idea elapſa, ſi renovetur, clara evadit, mea præſtita attentione, contra obſcura remanet. In his duobus caſibus impreſſionis augmentum cauſæ extrinſecæ nequit profecto tribui, ergo debet reperi ab attentione? Nequaquam credo. Immo dubito, quin reale impreſſionis augmentum extet. Ego opinor, hanc eamdem exacte remanere, adhibeatur nec ne attentio. Solum diſcrimen eſt, quod in primo caſu omnem vim ſentio, non ſic in ſecundo: taliter ut omnis res ad hoc reducitur, quod mens noſtra eſt circumſcripta, nec unico actu plura poſſit amplecti. Quando ab aliis cogitationibus illa vehementer occupatur; vix conſcia eſt campanæ ſonus, vel ideæ, quæ rapide tranſit: quando in eis immoratur expreſſe, omnem ſentit vivacitatem, & vix advertit reliquas impreſſiones ſibi factas, vel ideas in ſe excitatas (αα).

34. Secundus attentionis effectus eſt, facilem reddere conſerva-

---

morari, nam quoties unico actu videt, percipit, internoſcit puncta diverſa, parum refert, an ſint eiſdem impreſſionibus ſignata, vel diverſis; fac, quod habitu acquiſito, unico, ac indiviſibili inſtanti poſſint plura organa exerceri, tum in eodem inſtanti omnes mutationes ſimul exortas anima percipiet. Hæc omnia ſunt rationi, & experientiæ conſectanea. *Rationi*, quia anima non eſt partibus conflata, ut impreſſionum partibus partes animæ reſpondeant, & hæc ratione partium percipiat. *Experientiæ*, quia Muſici, ut ait ipſe *Soave*, propter exercitium uno tempore complures conceptus percipiunt. Per conſequens non quatenus anima non poſſit ſua vi pluribus objectis ineſſe, ſed quatenus organa nequeunt uno tempore, etſi diverſa, plures ſimul impreſſiones recipere; ſi vero habitu id efficeretur, tum anima unico actu plura profecto percipiet.

(αα) En ratio, qua organa, etſi diverſa, non poſſint uno tempore diverſas impreſſiones recipere, vel retinere. In omni impreſſione requiritur *actio* corporis impellentis, & reactio corporis recipientis. Organa noſtra vi animæ deſtituta in perfectam inertiam ruunt, per conſequens non reagunt niſi ratione ipſius vis. Si habitu pluribus hæc diſtribuitur vis, plures ſiunt impreſſiones, ſi uni una.

varionem idearum receptarum. Quod revera quo magis attente anima ſe ad unam impreſſionem applicet, eo magis impreſſio perduret, adhuc amoto objecto, experientia aperte demonſtrat. Ratio ex eo quod diximus in præcedenti numero clare èruitur. Quo magis eſt in una impreſſione attentio, eo vividior eſt impreſſio (ββ) per conſequens diu continuare debet remoto adhuc objecto, non abſimili modo ac in chorda vibratio conſervatur per majus tempus, quo fortior, vel repetita ſit concuſſio. At maximum extat diſcrimen inter repræſentationes, & modificationes. In malo aureo colorem, figuram conſidero; remoto hoc pomo, mihi remanet ipſius imago per longum tempus impreſſa. Odorem ſentio; remoto pomo, celerrime odor evàneſcit, vel quoddam veſtigium vix mihi remanet. Unde diverſitas hæc? Pendet ab eadem diverſitate, quæ extat inter modificationis, & repræſentationis naturam. Conſiderans ego figuram, & colorem mali aurei, transfero attentionem ex uno ad aliud punctum, & eo vividiores repræſentationes mihi formo, quo plura ſunt puncta quæ in ea conſidero. Remoto pomo, cum continuem in ſua imagine cogitando, non eſt quod ad unam repræſentationem cogito: rapide percurro cum attentione per omnia puncta diſtincta, quorum mihi impreſſio manet (γγ). Et hæc repreſentationum multitudo eſt quæ mihi totalem repræſentationem conſervat. Contra in odore ego extenſionem non diſtinguo, nec impreſſiones multiplices, ac contemporaneas. Impreſſio ad unum perinde punctum reducitur. Per conſequens luculentius eſt, hanc impreſſionem multo citius evaneſcere, & quando adhuc æqualiter perduraret, minori vi debeo hujus puncti diuturnitatem ſentire, quam illam omnium

---

(ββ) Ratio fuit ſatis a nobis indigitata. Tum major reactio extat, per conſequens major impreſſio.

(γγ) Cur non potius, percipio plura puncta diſtincta? unico actu omnia ſic rapide percurrere, ut nullum diſcrimen appareat inter omnimodam perceptionem ſine interruptione factam, & illam, quæ fit fluxu quantumvis celeri, ac inſtanti indiviſibili autumo, idem eſſe, quam ideas confundi. Anima in integrum percipit malum aureum, unico actu, & tempore; cur igitur debemus dicere hoc fieri, puncta impreſſionum percurrendo? Habet ne partes, ut illæ pomi reſpondere poſſint animæ particulis? Nequaquam porro. Igitur dicendum eſt, quod omnia non percurrendo, ſed ſibi repræſentando pomi puncta percipiat, & ratione multitudinis notarum characteriſticarum melius, pomum videndo, illud internoſcat.

omnium ſimul punctorum repræſentationis (ſſ). Dictæ rationi aliam quoque addimus. Anima permagne laborat in uno puncto diutius immorari; per conſequens magnus poſtulatur conatus, ut ſuper una modificatione cogitet, quod plerumque recuſat. Contra ut ſuas ſequatur cogitationes ſuper quadam repræſentatione minor conatus requiritur; ratio eſt, quia ipſa, ſucceſſive ac viciſſim transfert ad varia puncta attentionem, quod libenter, minorique labore efficit (rr).

35. Impreſſio a contemplatione nobis ſervata, non eſt realiter diverſa ab actualibus impreſſionibus, niſi ratione minoris vivacitatis, non ſecus ac vibratio, quæ in chorda perdurat, & ſonus enaſcens non ſunt ea diverſa a vibratione, & primo ſonu quam ratione minoris vis. Nullatenus ſicuti ſæpius accidit, in metaphyſica ratiocinatione potiſſimum, quod debet diſtingui impreſſio conſervata, vel renovata objecti (t), quod non amplius nobis adeſt, ab actuali impreſſione ejuſdem objecti præſentis; ſic permagni refert, illud nomine diſtincto ſignare. Actualibus impreſſionibus præſentium objectorum jam dedimus, juxta eorum diverſam naturam, diverſoſque effectus, *modificationis*, ac *repræſentationis* nomina. Pro *repræſentationibus* vel conſervatis, vel renovatis aptius nomen habemus, quod *ideæ* nomen eſt, quod revera in origine Græca imagini præciſe reſpondet. At Metaphyſici in ſenſu nimis lato hoc nomine utuntur. Lockius pro eo intelligit, ut videbimus, diſtincte illud in quo mens detinetur, dum ipſamet cogitat, taliter ut juxta ſignifica-

---

(ſſ) Confirmantur ergo ea omnia a nobis modo expoſita. In pluribus impreſſionum punctis plures notas percipimus, & multo melius objectum internoſcere, percipere, ac in mente poſſumus retinere, quam ſi ſub unico puncto, vel impreſſione repræſentaretur.

(rr) Dicam potius, quod ſub minoribus punctis, vel impreſſionibus, minores differentiæ extent, per conſequens tum anima laborat in internoſcendo eas; quod non evenit, ſi in majori forma fiunt impreſſiones, vel ſub punctis numero majoribus quoddam repræſentetur. Verum eſt, quod translatio mentis ex una ad aliam perceptionem ei renovat perinde laborem, at hoc debet repeti e ſubjecto impreſſionum, vel ab organis ſenſui dicatis, non ab anima; de quo inferius diſputabimus.

(t) Ad unam claſſem impreſſiones reduco, ſint impreſſiones conſervatæ, vel renovatæ ex eo quia eumdem producunt effectum. *SOAVE*.

ficationem ab eo applicatam, amplectitur omnes ſimul modificationes, & repræſentationes tam præſentium quam præteritarum. Metaphyſici poſt eum venientes, omnes in eadem quoque ſignificatione ea adhibuere. Verum quam neceſſaria in ſcientiis potiſſimum abſtractis ſit præciſio, ac terminorum diſtinctio, mihi videtur, quod Dominus *Salzer* in obſervationibus ſuis circa reciprocam influxionem Rationis in ſermonem, & ſermonis in Rationem perbelle demonſtravit. (*V. ſcelta d' Opuſc. intereſ. Vol.* 4.), & credo, quod circa negligentias, & contuſiones, quæ ſecus proveniunt, exemplum nimis ſenſibile erui poſſet ab hujus termini abuſu: nos occaſionem plus quam unam probationem indigitandi profecto habebimus. Ut ad determinatam ſignificationem eam reducamus, pro idea nos intelligemus imaginem rei non amplius præſentis. Non auferemus ei univerſalem ſignificationem, qua diutius gaudet apud metaphyſicos, tantum eo, tali modo uteremur, quod faciliter diſtinguatur, quando in univerſali ſenſu vel proprio nunc indigitato erit ſumendus.

36. Modificationibus quæ imagines non repræſentent, nomen *idea* non poteſt ſane applicari. Nos applicabimus vocabulum notionis (φφ), quod etſi adhibeant in diverſo ſenſu metaphyſici, brevi videbimus, quod adhuc modificationibus conſervatis, vel renovatis extendi commode quit. Quod igitur communiter confunditur ſub vocabulo ideæ duntaxat, a nobis quatuor terminis erit diſtinctum, *repræſentatione*, *modificatione*, *idea*, & *notione*; hujus diſtinctionis emolumentum infra videbimus.

37. Diximus, facillimum eſſe, objecto remoto, in cogitatione repræſentationum ab eo nobis oblatarum perdurare, quam in ea modificationum pariter excitatarum ab objecto ipſo immorari, hoc non obſtante, in his poſſumus diu cogitare, illis vero comitantibus. Meam explico mentem. Malo aureo ablato, volo ex. gr. ſuum odorem animo contemplari. Si vellem, mihi tantum adeſſe ſolam iſtius odoris notionem, difficillime hoc facere poſſem. Quid ego facio? Imaginem mali aurei mihi animo repræſento, actum olfaciendi illud imagino, nomina mali aurei odoriſque præſentia habeo, quæ nomina mihi offerunt per ſe duas repræſentationes, unam characterum, quibus ſcribuntur, alteram ſonuum, quibus pronunciantur (ϑϑ). Omnia hæc cum mihi adſint, attentione alternatim percurro modo ſuper dictas re-

(φφ) Vocabula ſunt ſigna arbitraria. Videbimus infra an recte differentia hæc, & applicatio fuerit a *Soave* excogitata.

(ϑϑ) Sunt ideæ comitatæ, de quibus interius.

repræſentationes, modo ſuper eamdem odoris notionem, hoc modo poſſum meam cogitationem ſiſtere, & in eo, quemadmodum mihi placet, animo immorari (*u*).

38. Tertius attentionis effectus eſt, facilem impreſſionum præteritarum renovationem reddere. Revera ex conſtantiſſima experientia habemus, quod impreſſiones ab uno objecto receptæ, eo facilius renoventur, quo magis eas intenſe perpenderimus. Ratio in aptico eſt. Attentio, ut demonſtravimus (33) efficit, quod nos impreſſiones haberemus majores ac magis vividas: igitur neceſſe eſt, quod profundius in nobis inſculpantur, & faciliori modo excitentur. Aperio ex gr. librum, non lego eum, vel rapide, negligenterque lego, paucas, debileſque impreſſiones recipio: quid mirum ergo, ſi ſtatim evaneſcunt & in poſterum eas revocare neſciam? Contra, ſi cum ſeria meditatione legam, tum recipiam ab eo majorem impreſſionum numerum, & impreſſionum omnium vividiorum, naturaliſſimum eſt, quod remaneant mihi magis impreſſæ, & facilius excitentur; at quomodo fit excitatio hæc? Quæſtio difficilis eſt, & eam pertractabimus ſeorſim in appendice capiti 10. poſita.

39. In præſentiarum de memoria, de facilitate ſcilicet, ope cujus de præteritis impreſſionibus recordemur, non efficimus præter quaſdam generales obſervationes. I. Quod ideæ, & notiones non excitantur quam ope comitatus vel ſimilitudinis. Una idea alteram non revocat, cum nullam habeat ſimilitudinem, & cum nunquam in mente conjunxerit, hac de re aliquid adhuc dicemus in indicata appendice. II. Quod multoties nobis in mentem veniunt eædem ideæ, ac notiones, multoties eorum ſigna duntaxat. Quando in mentem veniunt mali aurei vel pyri, roſæ, vel violæ nomina non ſemper una cum his mihi animo adeſt eorum imago. Imo optime Dominus *Sulzer* in modo citata diſſertatione obſervat, quod ſæpe ratiocinamur in ſignis quam in ideis, ad algebriſtarum inſtar, qui plus in literis quam in quantitatibus per illas repræſentatis operantur. Super hoc aliquid annotabimus adhuc in (*lib.* 3.). Interdum adnotandum eſt, id ſæpius circa notiones quam circa ideas evenire. Etenim hæ facilius ſe trudunt ſponte, & abſque quoque ſignis (quæ demum non ſunt quam ideæ ipſæ) in mentem facilius revocari queunt. Notiones contra abſque naturalibus, vel artificialibus ſignis eas comi-

(*u*) Provenit ſane, ex completa repræſentatione, nota unius qualitatis alteram alterius excitat. Mens majori facilitate ſpeciem totius objecti contemplatur, quam ſpeciem unius qualitatis. Rationem jam modo retulimus (*u*).

comitantibus (*u*), ſicuti difficillime poſſunt contemplatione conſervari, ſic difficillime ad memoriam revocari queunt (*x*) *Condillac* memoriæ idearum tribuit vocabulum *imaginationis*, & illi ſignorum retinet titulum genericum memoriæ. Imprimis vocabulum *imaginationis*, ideis proprie dictis, non notionibus, poteſt duntaxat convenire (kk). Secundo, terminus hic, uti ille quo-

(*u*) *Naturalia ſigna* ea appello, quæ ideæ, notionive naturaliter anneſtuntur. Ejuſmodi eſt, quoad dolorem *ejulatus*, ejuſmodi eſſet adhuc, quoad odorem imago objecti, vel actus olfaciendi illud &c. *Artificialia* poſtea ea quæ notioni, vel ideæ a nobis conſiderate ligantur, ut geſticulationes; nomina, & indicia, quibus utimur, ut faciliter eas revocemus. *SOAVE*.

(*x*) In opere, cui titulus *Ricerche intorno all' iſtituzione di una ſocietà e d' una lingua ec.* ego aſſerui, quod abſque ſignis, ſolæ, ac inſulatæ notiones odoris, ſaporis &c, nequirent abſolute revocari, & quando revocantur non ſunt eædem odoris, ſaporis &c. modificationes, quæ nobis renoventur, verum tantum eorum ſigna una cum memoria abſtracta quarumdam annexarum modificationum. Tam in una, quam in alia re me feſelliſſe, credo. Nunc attente cogitans mali aurei, atque roſæ odorem, præter ſigna, mihi videtur adhuc aliquod ejuſdem modificationis principium ſentire, quæ efficit, ut ego unum ab altero odorem diſtinguam. Et nullum habeo dubium, quod *Condillac*, ac *Boneti* ſimulacrum, ſoli odoratus ſenſui circumſcriptum, queat præteritos odores commemorare, etſi nullum habeat ſignum, cui eos poſſit ligari. *SOAVE*.

(kk) Quid aliud anima efficit in commemorando, niſi hoc illudve ſibi repræſentare? Quo plures ſunt characteres in uno objecto, eo diſtinctius ſibi repræſentat, per conſequens vividius illud imaginat: ut loquamur ergo vocabulis a *Soave* excogitatis, notiones, & ideæ non differunt inter ſe, quam numero characterum, quapropter comparativo tantum, non poſitivo, per conſequens cenſeo vocabulum imaginationis adhuc notionibus convenire. Scio, quod Dominus de la Roche (*V. Analiſ. del ſiſt. nerv. tom.* 1.) poſtquam diſpeſcuit ideas *compoſitas* ab ideis, ut ille inquit, *relationis*, de *reminiſcentia*, *memoria*, *imaginatione*, ſomniiſque loquitur. Hic autumat, omnibus conſtare, memoriam, ac imaginationem præter viſus, tactuſque ideas non renovare, juxta eum doloris ſenſus renovari nequit, quam ob rem cum *Soave* apprime convenit. At dicant quæſo, doloris ſenſus ad quod reduci debet? nonne ad modificatio-nes

Digitized by Google

quoque annuit in communi uſu ſignificat non ſolum facultatem ideas revocandi, verum etiam & illam, nutui noſtro compoſitas formandi. Erit ergo clarius, primam *memoriæ idearum*, *notionumve* nomine inſignire, ſecundam vocabulo *memoriæ* ſignorum directe appellare (λλ). III. Quod vocabulum *memoriæ* tantum facultatem, vel potentiam in mentem revocandi præteritas impreſſiones ſignificat. Actus, quo recordamur, *reminiſcentia* appellatur, ut num. 30. innuimus. Verum in hoc actu, duo ſunt diſtinguenda, unum renovatio factarum impreſſionum, alterum eſt animæ recognitio, olim eas habuiſſe. Plerumque ſub *reminiſcentiæ* nomine ambo confunduntur. Nos ad majorem diſtinctionem, hoc nomine primæ parti relicto, illud *agnitionis* ſecundæ tribuimus. Quid interim anima efficit, ut recognoſcat, ſe aliter impreſſiones habuiſſe? Magna eſt difficultas: & nos illam in dicta appendice reſervamus.

40. Circa primas quatuor operationes intellectus, ſcilicet *apprehenſionem*, *attentionem*, *contemplationem*, *reminiſcentiam*, ſufficit hactenus. Aliam graviorem debemus adhuc conſiderare, vide-

---

nes per contactum excitatas? Sic porro. Eſto. Dolor generatim conſideratus nihil aliud eſt niſi repræſentatio murationis ab una vel altera qualitare unius objecti excitata? Per conſequens anima eodem modo eum revocare poteſt, ac reliquas ideas. Diſcrimen in eo poſitum eſſe puto, quod character doloris in unico puncto conſiſtit; hæc eſt ratio qua facillime forſan confundi, vel omitti poteſt, quod non obſervatur de ideis, quæ profecto ejuſdem naturæ ſunt, & anima dolorem poteſt, ut & notiones. imaginare, etſi laborioſe, & obſcure efficiat.

(λλ) Ex hac diviſione majorem confuſionem oriri, puto. Signa ſunt repræſentationes alias repræſentationes comitantes. Per conſequens quoad ſe ſunt notiones, quoad ſignata ſigna. Cæteroquin, non adeſt nobis idea, vel notio, ſenſu a *Soave* ſumpta, quæ non comitatur alias; quidquid videmus, audimus, ſentimus &c. non abſolute, & ſingularim, ſed relative, & copulare nos ſentimus, audimus, videmus &c; quam ob rem memoria idearum, notionumque, utplurimum habemus, propter aliam ideam, vel notionem a quodam accidente, ſigno &c. excitatam, non ſecus ac habemus propter ſignum ſignatum. Si valeret ergo diviſio hæc, deberemus ideas ac notiones ipſas ſigna appellare, & earum memoriam, *memoriam ſignorum*, nam omnes quotquot ſunt, quod ad ſe ſunt ideæ, quod ad ideas comitatas ſigna. Et omnes habita ratione ad ſignatum, ſint ideæ, vel notiones, ſigna dici recte debent.

delicet *reflexionem*. Varii varias huic dedere definitiones. Lockius per eam intelligit actum, quo in ſe, & in ſuas operationes anima attentionem volvit. Condillac (*V. ſull' Orig. delle umane cognizioni*) eam conſiſtere facit in actu applicandi attentionem nunc rebus externis, nunc internis ideis ope ſignorum revocatis, volens adhuc, quod ablato iſtorum uſu, reflexio nequeat haberi Contra in *tractatu ſenſationum*, & potiſſimum in opere *TRANSUNTO RAGIONATO animalium tractatui* annexo, reponit eam in ſimplici tranſitu attentionis ex una ad aliam impreſſionem; ſimilitudinem radii afferendo, qui ex uno ad aliud corpus reflectatur. *Bonetus* (*V. Saggio anal ſulle facoltà dell' anima*) eam definit per „ reſultatum attentionis, quam anima præ„ ſtat ideis ſenſibilibus iſtas comparando, ac induendo ſignis vel „ terminis, qui eas repræſentant „ ($\mu\mu$). Juxta hanc definitio-

 nem

($\mu\mu$) Omnes allatas definitiones mancas eſſe, cenſeo. Eſto. *Lockius*, ut infra melius enodabimus, negligit imagines ab impreſſionibus efformatas. Quod anima in ſeipſam, operationeſque ſuas vertat attentionem, neſcio, quid ſignificet. Adnotandum enim eſt, quod a Lockio anima habetur, tanquam materialis; quapropter ſuo ſenſu attentionem vertens in ſeipſam, poteſt fortaſſe amplecti impreſſiones ab objectis externis factas; de hoc verum alibi diſceptabimus. *Condillac* comparationis actum omnino deſerit, in quo, ſi recte video, vera reflexio conſiſtit. Anima ſi tantum percipit objectum, non ſequitur ideo in eo attentione immorari. Oportet ſane, quod illud diſtinguat, adnotet, & cum peculiaribus notis internoſcat. Ergo debet a cæteris omnibus, quibus objectum ſe animæ præſentat, ſecernere, & quodam rapido modo cum eis comparare. Ecqua ſecus eſſet ratio, qua internoſcit mens, hoc objectum eſſe ſibi magis grave, ut relictis reliquis in eo immoraretur? In actu quo anima juxta Condillac tranſit ex una ad aliam impreſſionem, non percipit, niſi primam, vel ſecundam, in qua immoratur, etſi hoc in inſtanti indiviſibili fiat. *Bonetus* pro reflexione potius reflexionis effectum ſumit. Conſequentia idearum ſenſibilium ope comparationis eruta dici poſſe, arbitror, reſultatum attentionis, quam ob rem non reflexio, ſed effectus reflexionis potius hic actus vocari debet. Cum anima ideas ſignis, ac terminis induat, quibus ideæ ipſæ repræſentantur, nihil aliud efficit, quam ad ideas ipſas attendere, vel notas minimas, & relationes ſibi repræſentare; hoc per conſequens reflexionis actum non exprimit

nem, ſimplex attentionis tranſitus ex una ad aliam impreſſionem, quando curatus, vel deliberatus non eſt, ſed mechanice oriatur e ſucceſſiva vi impreſſionum, quæ alliciunt attentionem, dici nequit *reflexio*, vel ſaltem dici quit paſſiva *reflexio*. Illa Lockii, juxta hanc definitionem, non erit, quam pars, vel particularis reflexionis ſpecies; ut erit quoque peculiaris ſpecies illa Boneti, & prima a *Condillac* allata.

41. Revera non video, cur reflexio limitari debeat actui duntaxat, quo anima attentionem in ſeipſam vertit, actus quem Galli appellant *reditum animæ in ſeipſam*, & ego directe appellabo, *reflexionem animæ in ſeipſam*. Non video adhuc, cur debeat tantum ad actum coerceri, propter quem alternatim attentionem vertemus, nunc in impreſſiones nobis factas ab objectis, nunc ad ideas interiores, ac ſigna, quæ eiſdem objectis fixa habeamus, vel figere velimus, nec cur ſit ſignorum uſus reflexioni abſolute eſſentialis (*nn*).

42. Experientia declarat, quod mea attentio aliquando, me propemodum neſciente, rapitur ſucceſſive a vi impreſſionum, & quod aliquando ego ipſe illam determinate ſiſto, potius in una quam in alia impreſſione. Hæc *deliberata* attentio, quæcunque ſit cauſa qua eam figo, diſtinguitur ſane ab attentione altera, quæ *fortuita* dici poteſt, & diſtincto nomine debet ſignari (*oo*).

Ad

---

primit, quando aliquid aliud reflexio debet indigitare. Pariter dici poteſt de definitione *Francifci Soave*. Et ut verum fatear, differentiam inter applicationem attentionis, & attentionem ipſam: inter conſciam, deliberatamque applicationem, & ſimplicem applicationem attentionis, non intelligo profecto. Attentio ad quoddam objectum præſtita communi uſu intelligitur, actus animæ, quo anima ipſa objectum videt, diſtinguit, adnotat; per conſequens dum attentio in objecto immoratur, anima deliberat ſe in eo immorari, advertitque ſe in objecto applicari; quam ob rem, his omnibus perpenſis, credamus melius definiri reflexionem „ per actum mentis, quo videt, diſtinguit, adnotat objectum „. Hac ſuper re fuſius alibi diſputabimus.

(*nn*) Si non viſimus, an internis ideis reſpondeant impreſſiones ab objectis externis excitatæ, nuſquam objectum percipimus, per conſequens nullam attentionem ad illud præſtamus. Ea ratio, qua attendendo ad objectum comparatione indigemus, & hinc animæ actum appellamus reflexionem.

(*oo*) Diſcrimen inter *attentionem deliberatam*, & *fortuitam* concipe, ſi potes. Actus animæ in attendendo idem eſt, ſit nec ne, a ratione deliberata vel fortuita productus.

Ad hoc tantum reflexionis nomen fuit ſtatutum, & communi uſu per reflexionem non intelligitur, quam hæc applicatio deliberata attentionis (rr). Cur ſine neceſſitate conceptum mutare vel circumſcribere debemus? Fateor, ſignorum uſum valde prodeſſe, & poſſe translationem attentionis ab externis impreſſionibus ad internas ideas facillimam reddere; & potiſſimum, quoad notionem ſuppeditantem (37) repræſentationes, in quibus nos immoramur, & quæ per ſe notiones nobis minime offerunt, maximopere valere. At ego non video, hanc translationem attentionis ab externis impreſſionibus ad internas ideas eſſe reflexioni neceſſariam, nec, ſi eſſet, video, translationem hanc uſu ſignorum ſemper indigere (ſſ). Revera, quoad partem alteram, ſi malum aureum video, et immorari cupio in malo aureo, quod heri obſervavi, erit neceſſe forſan quod nomen in mentem mihi revocaret ideam iſtius? Sufficit, me imaginis recordari, ego ad hoc reflectere poſſum, quando mihi placet. Quoad primam par-

Q 2

(rr) Applicatio attentionis idem ſonat ac actus deliberatæ attentionis, & actus deliberatæ attentionis idem, quam ipſa attentio; anima ad objectum attendit, ergo in eo immoratur, & actu deliberato adnotando immoratur, alioquin novis ideis deturbatur attentio. Hinc eſt, quod ſi anima propemodum coacta alicui objecto attendit, potius principium, non actus attentionis videtur, non eſſe deliberatum: fuit actus enim, ſaltem in initio deliberatus & debet ſic ſemper exiſtimari. De hoc verum infra diſceptabimus.

(ſſ) Hic credamus translationem eſſe neceſſariam, & ſignorum uſu indigere. I. debet anima in actu reflexionis objectum, quod ſibi repræſentat, internoſcere, aliter nulla eſſet reflexio. Hoc objectum vel eſt abſtractum, vel concretum; ſi concretum, debet anima illud referre ad impreſſionem externam; ſi abſtractum ad determinationes, characteres, notas, quibus conficitur, ſecus ſibi non repræſentaret. At demonſtraturi erimus in hoc actu animam nihil efficere quam ideas individuales ſibi repræſentare, & neglectis reliquis determinationibus, tantum ad eas, quæ inter ſe conveniunt, attendere; ergo pariter in hoc caſu referre debet ad impreſſiones externas, obſervando, an eædem notæ, characteres &c. ſint illis necne. II. quo plures extent notæ, eo diſtinctius internoſcitur objectum, per conſequens eo magis anima illud poteſt percipere, atque conſiderare. Omnibus ſignis deletis, nihil vel parum remanet quibus anima inhæreat. Poſſum ad imaginem alicujus objecti reflectere. At quæſo qua ratione anima id potius ad unum, quam ad alterum efficiat? ſane propter aliquod ſignum, cui, ut ita dicam, anima adhæreat.

partem, cum plures impreſſiones uno tempore habeam, ſi in una potius, quam in alia attentionem ſiſtam, quis impugnabit, hunc actum non poſſe reflexionem vocari, etſi ad nullam interiorem ideam illum revertam? Verum circa nomen non amplius verbum.

43. Reliquæ intellectus operationes ex reflexione oriuntur, a *reflexione* enim ad *externas res* ſequitur 1. *comparatio*, ab hac *diſtinctio*, *cognitio*, *judicium*, *ratiocinium*: 2. actus *abſtrahendi*, & ab hoc actus *reddendi ad genus*, *componendi*, *decomponendi* ideas: ex animæ *reflexione in ſeipſam* oritur *conſcientia* ſuarum *operationum* (*y*) propriæ *exiſtentiæ*, propriæ *perſonalitatis*, una cum ceteris internis cognitionibus.

44. Incipiamus a *reflexione ad externas res*. Imprimis certum eſt, duas res comparari non poſſe inter ſe, ſi cuilibet attentio non applicetur ſeorſim. Ex hac comparatione oritur cognitio earum relationum, illius ſcilicet, qua una eſt habita ratione ad alteram. Omnes hæ relationes ad tres claſſes tantum reducuntur: 1. *identitatis*, vel *diverſitatis*, 2. *coexiſtentiæ*, 3. *dependentiæ* (*z*). Cognitio diſcriminum inter duo vel plura exiſtentium, eſt quod dicitur *diſcretio*: Cognitio coexiſtentiæ plurium qualitatum in re una, vel plurium rerum in uno eodemque loco, ut & illa mutuarum derivationum, quas plures habent res inter ſe, proprium nomen non habent, & nomen genericum *cognitionis* retinent. Actus, quo intellectus affirmat, vel negat exiſtentiam determinatæ relationis inter duas ſtatutas res, *judicium* appellatur: Actus, quo, cum nequeat immediate detegere relationes duarum rerum, ambas comparat ad tertiam, cum qua relationem jam cognitam habeant, ut hinc deducatur relatio, quam habent inter ſe, *ratiocinium* vocatur (*aa*) (*bb*).

45. Donec qualitates conſiderantur ut in proprio ſubjecto exiſtentes, ideæ vel notiones, quas habemus, concretæ appellantur, ſcilicet ſimul inter ſe conjunctæ. At per reflexionem ego ſecundo poſſum relictis aliis, ad unam qualitatem attentionem applicare ex. gr. me ſoli colori mali aurei adhærere, vel ſeparatim figuræ, odori, ſapori &c. Hujus qualitatis impreſſio dum vividior mihi evadit, reliquæ, ita dicam, obtenebrantur, taliter ut

---

(*y*) Hoc termino in ſenſu univerſali ſumto. *SOAVE*.

(*z*) His de rebus fuſius erimus locuturi *cap.* 25. & *ſeq. praeſ. lib.* *SOAVE*.

(aa) Rapide percurram, alibi enodatius hoc evolvemus. *SOAVE*.

(*bb*) Pariter nos hac de re alibi diſceptabimus.

ut, remoto objecto, hæc continuo adſi, reliquæ evaneſcant. Actus modo, quo diſpeſco qualitatem hanc ab aliis omnibus, quibus naturaliter conjungitur, *abſtractio* vocatur, & idea vel notio, quam mihi ego formo, *idea* vel *notio abſtracta* appellatur.

46. Qualitates enim, præter diviſiones factas in *reales* & *apparentes*, *ſenſibiles* & *perceptibiles*, aliam habent diſtinctionem quæ eſt illa *phyſicarum* & *metaphyſicarum*. Qualitates phyſicæ ſunt omnes eæ, quæ vel realiter in objectis exiſtunt, vel concipiuntur a nobis, ut realiter in ſe exiſtentes, videlicet omnes, de quibus ratiocinamur, ut *extenſio*, *figura*, *color*, *ſapor* &c. Qualitates *metaphyſicæ* ſunt contra, quæ tantum conſiſtunt in relationibus, quas inter res nos concipimus, ut *magnitudo*, *parvitas*, *pulchritudo*, vel *deformitas*, *probitas*, vel *improbitas* &c.. Hæ qualitates, cum nullam habeant exiſtentiam extra noſtram mentem, reponuntur enim, in noſtro modo concipiendi res, una habita ratione ad alias, non poſſunt ſane nobis aliquam repræſentationem facere. Interdum nullam ideam proprie dictam de eis habere poſſumus, ſed tantum de notionibus, & revera non paucæ earum apud metaphyſicos hoc nomen acquiſivere. Ideæ ſic recte dictæ omnes ergo, quot ſint, *phyſicæ* extant, ex eo quia omnes a phyſicis repræſentationibus pendent. Contra *notiones* aliæ ſunt *phyſicæ*, ut illæ *odoris*, *ſaporis* &c., aliæ *metaphyſicæ*, ut illæ *magnitudinis*, *parvitatis*, *pulchritudinis*, *probitatis*. Quæ omnes in hoc conveniunt, quod nullam per ſe nobis efficiunt repræſentationem, & quod cum alia repræſentatione ut in eis cogitare queamus, debent ſe comitari, quod eſt idem ac dicere, vel cum proprio eorum nomine, vel cum rerum imagine, e quo eruitur notio. Non diſſimili modo ac ego poſſum odorem difficillime cogitare, ſuo nomine neglecto, vel olfaciendi actu, vel tandem imagine objecti, in quo illum ſenſi (*bb*): nequeo ad *magnitudinem* cogitare, non repræſentando mihi aliquam extenſionem: ad *pulchritudinem* ſine repræſentatione quarumcunque rerum, quæ pulchrum conſtituunt, vel ſaltem neglectis duobus nominibus *magnitudinis* vel *pulchritudinis* (*σσ*).

47. Hac de re duo ſe nobis offerunt ad obſervandum. 1. Quod

(bb) Numero 34. 37. rationem attulimus. *SOAVE*.

(σσ) Coexiſtunt cum objectis & in objectis, ita ut ſunt eorum modificationes. Modificationes abſque ſubjecto dari nequeunt, per conſequens neque magnitudo, vel pulchritudo: hinc eſt, quod anima, nec percipere, nec reflectere, nec ad eas attendere poteſt, ſibi ſubjectum non repræſentando. Et cum nomine nihil efficimus, quam ideam ſubjecti excitare, & iſtud cernere.

quanquam ideæ, quæ per ſe conſiderantur, ſint accurate diſtinguendæ ab illis, quæ tantum pro ſignis, notionibus, cæteriſque ideis inſerviunt; tamen noſtræ abſtractæ cogitationes omnes habent ideas pro ſundamento. 2. Quod etſi valeant nomina pro ſignis promptiſſimis ad notiones cæteraſque ideas revocandas, non ſunt ideo ſigna idearum, earundemque notionum repræſentantia. Verba, *color* ac *æqualitas*, per ſe non mihi efferunt, quam repræſentationes actuales, vel mentales eorum ſonorum, qui nullam habent ſimilitudinem cum rebus, quæ ſignificant (ττ). Ex quo fit, quod quando intereſt, res exacte concipere, non ſufficit menti adeſſe nomina, convenit ſibi repræſentare imaginem earundem rerum, ubi de ideis proprie dictis agitur, vel rerum, e quibus fuere erutæ, ubi de notionibus intelligitur. Si cupio, me clare concipere *rubrum colorem*, convenit, me ſuperficiem rubro colore tectam animo repræſentare: Si luculentius volo æqualitatem concipere, oportet, me duo ſolida, vel duas ſuperficies vel lineas tanquam præſentes habere, & menti meæ comparationem innovare (*cc*).

48. Ex actu abſtrahendi, memoriæ conjuncto, venit ille actus ad genus reducendi. Ideam, vel generalem notionem efformare, non eſt, quam a compluribus individuis abſtrahere qualitates, quæ omnibus conveniunt, omiſſis reliquis, quæ cujuſcunque propriæ, ac particulares ſunt, & aggregatum efficere (*uu*). Si ex coloribus variis, *flavo*, *rubro*, *viridi &c.* abſtrahendo qualitates, quas omnes habent, quamdam repræſentationem mihi facio, generalem *coloris* ideam efformo; ex diverſis odoribus, ex. gr. *roſæ*, *caryophylli*, *violæ &c.* abſtrahendo qualitates excitan-

---

(ττ) Ratio primæ partis innoteſcit ex dictis, quoad ſecundam partem ſigna potius dici debent occaſiones ad contemplandas ideas. Inferius dicemus, ſigna non eſſe, quam ideas comitatas, ita ut, cum anima ſemper, ac perinde ſemper, ſignum ſibi repræſentaverit cum aliquo reali ſubjecto, videt unum in altero. At de hoc inferius.

(*cc*) Errores, qui hoc titulo oriri poſſunt a ratiocinatione facta ſuper verbis, rerum imagines non revocando, demonſtrabimus in *lib.* III. *SOAVE*.

(*uu*) Huic non aſſentimur: non inficimus, turbam metaphyſicorum ita opinari, tantum credimus, animam non aliud efficere, quam peculiares notas, ac characteres ſibi repræſentare, cum plura ſubjecta ſibi repræſentet, & per conſequens non format aggregatum, ſed tanquam aggregatum conſiderat. At diffuſius infra.

tantes quamdam modificationem, phyſicam, ac generalem *odoris* notionem efficio. Ex vitiis *ſuperbia*, *avaritia*, *intemperantia &c.* abſtrahendo relationem, quam habent, contrarietatem ſcilicet rectæ rationi (ξξ), & legibus, mihi metaphyſicam generalemque vitii notionem efformo.

49. Dixi, quod actus reddendi ideas generales, non ſolum ex abſtrahendi actu, verum etiam a memoria provenit. Revera nunquam ego poſſem mihi efformare ideam generalem *arboris*, ſi dum ex *quercu* proprietatem abſtraho, ſcilicet truncum, ramos, folia &c., non veniret mihi in mentem, quod has proprietates obſervavi pariter in *abjetibus*, *pinetis*, *ulmis*, *populis &c.*

50. Major Methaphyſicorum pars opinatur, quod ideæ & notiones generales nec formari, nec revocari poſſint ſine nominum uſu. Ego contrarium opinor. Cum mihi repræſentem vel oculo, vel cogitationi ſuperficiem variis coloribus, puta *rubro*, *flavo*, *viridi*, *cæruleo &c.* pictam, ego nullam adinvenio difficultatem ideam generalem coloris efformandi, & quando mihi placet, illam renovare, non cogitando, nec vocabulum coloris, nec nomina *rubri*, *viridis*, *flavi*, *cærulei &c.*. Non diſſimili modo, cum mihi repræſentem flores varios, roſam, caryophyllum, violam, jaſminum &c., & cum eos olfaciendi actum imaginem, ac ope actuum delectationis, vel moleſtiæ, quos ego, aliter olfaciendo, feci, ſuas modificationes commemoro, non invenio difficultatem, generalem odoris notionem renovare, etſi huic nomen, minime cogitem. Eodem modo cum animo repræſentem actus, qui *ſuperbum*, *avarum*, *ebrium*, *vindictæ cupidum* ſignant, nulla difficultas in me extat, in quandocunque repetendo notionem generalem vitii, vocem hanc non cogitando (υυ). Immo

 circa

(ξξ) Hæ ideæ duplici abſtactione fiunt, vel, ut ego autumo, duplici attentione. Anima attente percipit effectum a ſuperbia, avaritia &c. allatum, per conſequens amittit ſubjectum, & ad modificationem tantum attendit: denuo percipit effectus a vitiis productos, & neglectis determinationibus inter ſe non reſpondentibus, inhæret reliquis, & ibi immoratur. Melius infra.

(υυ) Quidquid eſt vel fit, eſt vel fit ratione ſufficienti (20). Extare debet ratio, qua mens commemoret modificationes a floribus excitatas. Per conſequens ſine uſu ſignorum potius, non tantum nominum, nequit notio, vel idea, ut ille ait, revocari. Nomen eſt ſpecies ſignorum, poteſt, hac ſpecie neglecta, mens aliam ſignorum ſpeciem adhibere. Verum ſi cupio mihi

circa objecta compoſita, non neceſſe eſt, ſibi adhuc plura repræſentare. Sufficit, unum adeſſe, & omnes ſeparando qualitates ei ſoli convenientes, tantum eas conſiderare, quæ ei una cum aliis, communes extant (ζζ). Sic ut ideam generalem arboris, mihi animo revocarem, ſatis eſt, me imaginem unius trunci, folii, non ſecus ac mihi ſe repræſentet, ſi arborem in permagnam diſtantiam videam, non internoſcendo ſpeciem (ααα). Hac ſola imagine ego, quando mihi placet, poſſum proprietatibus generalibus arboris cogitare, quamquam nomen deſit (βββ). Eſt fatendum igitur, nominum uſum magnopere proficere, ut demonſtrabimus fuſius *lib. III.*, at non video, abſolutam neceſſitatem ei ineſſe (γγγ).

51. Multo minus admittere poſſum novum fibrarum genus, quas, in cerebro, cauſa adhærendi eis ideas generales & abſtractas, *Bonetus*, ac *Robinetus* ſunt imaginati, & fibras intellectua-

---

mihi vitium repræſentare, duplici attentione egeo, ut modo diximus, ſi uti vellem reliquis ſignis illud excitantibus, non ita ſi proprio nomine utar; mens acquiſivit habitum ſub illo ſigno quaſdam vitii determinationes concipere, & adnotare; facili modo concipit ergo ſub eodem ſigno ſignatum.

(ζζ) Quæſo, quomodo ab anima internoſci poteſt, quaſdam determinationes aliis determinationibus ſimiles eſſe, his neglectis? quomodo has ſibi repræſentare poſſit ſubjectis, quibus adhærent, omiſſis?

(ααα) Dum ſibi anima repræſentat arborem, modo a *Soave* indicato, poteſt ne concipere alios adeſſe, huic apprime ſimiles? poteſt ne arguere prædictas determinationes alios arbores adhuc habere? inter ideam individualem & univerſalem arboris ecqua eſſet differentia? Video arborem, truncum, foliis conflatum, quomodo concipere poſſum, quod ſit corpus hujus, vel illius ſpeciei, ſi eam mihi in mente nunquam efformavi? Ratione dubito, quod *Soave* ideas individuales cum univerſalibus hic confuderit.

(βββ) Vereor, ne hoc cum experientia conveniat. Sub nomine comprehendo ſpeciem, ex eo quia anima acquiſivit habitum omnes determinationes quorumdam ſubjectorum una cum quibuſdam modificationibus organis ſenſoriis excitatis, percipere: ex quo fit, quod velut ideas comitatas habet, & unam in altera videt; per conſequens, audito nomine, ad imagines peculiari modo adhæren.& determinationes ſibi repræſentat: contra neſcio quomodo id poſſit efficere.

(γγγ) Ex dictis noſtris patet, an legitime fluat hæc concluſio, & quomodo debeat modificari.

ctuales appellant. Hæ fibræ mihi inintelligibiles ſunt, & nullam video neceſſitatem, eas commemorare. Idea *quercus* non diſtinguitur ab idea generali *arboris*, niſi quod, præter generales proprietates iſtius, amplectitur quoque proprietates ſuas particulares. Fibræ igitur, quæ primæ inſerviunt, mihi videtur, multo magis poſſe inſervire ſecundæ, abſque ſomniis, in quibus genus, prorſus ignotum, nobis repræſentamus. Quis in memoria tenet quod de notionibus peculiaribus, ac generalibus dixi, adinveniet, quod idem argumentum adhuc ipſis exacte applicabitur, & hoc genus fibrarum novum non eſt ſane neceſſarium (*ttt*).

52. Ex eadem abſtractione, conjuncta imaginationi, proprie dictæ, oritur idearum compoſitio, quæ conſiſtit in plurium idearum unione, quæ realiter ſic in natura minime exiſtunt. Sic Pictor varias ſimul conjungendo figuras juxta quaſdas poſitiones, & modos, imaginatione ſibi picturam repræſentat antequam in tabula pinxiſſet. Hæc imaginationis feracitas eſt, quæ pretium in pulchrioribus artibus efformat.

53. Ex eadem abſtractione ad cognitionem conjuncta oritur operatio *decomponendi ideas*, vel formandi illarum analyſim. quæ conſiſtit in ſemovendo inter ſe notiones, vel ſimplices ideas, quæ ad formandam notionem, vel ideam complexam ſubintrant. Exactitudo in analyſim efficiendo eſt, quod primum philoſophi pretium efformat.

54. REFLEXIO ANIMÆ IN SEIPSAM producit imprimis operationum, modificationumque conſcientiam, ſcilicet actus, quo internoſcit, quod adeſt in ſeipſa. *Condillac* cum ipſa perceptione conſcientiam confundit, quapropter ille generaliter intelligit, quod nos apprehenſionem appellavimus (*uu*). Quod revera

(*ttt*) Convenimus cum *Soave*, & credimus faciliori modo nos poſſe demonſtrare, operationem mentis in ideis univerſalibus, neglectis, fibrillarum genere, & nova determinationum conjunctione, ut vulgo ſupponitur.

(*uu*) Si nos nobis blandiri nolumus, debemus fateri, hanc reflexionem animæ in ſe ipſam nos non concipere luculenter. Ecquis ſcit, id quod adeſt animæ, dum cogitat, percipit &c.? Videt objectum, percipit, adnotat illud. Quid amplius in ſe extat, quam actus videndi, percipiendi, adnotandi? ſcit, ſe videre, percipere, adnotare objectum, ex eo quia illud videt, percipit, adnotat, ſecus non videret, neque perciperet, atque adnotaret. Multoties ideas confundimus, diſtinguendo actus men-

vera habeat anima ſenſationem vel perceptionem, cum non ſit conſcia de ea, non eſt captu difficilius. Hæc enim conſcientia quæ ſenſitiva dici poteſt, non eſt quæ conſtituit conſcientiam proprie dictam, videlicet *conſcientia reflexa*, quæ in illo actu conſiſtit, propter quem anima in ſeipſam ingrediens expreſſe conſiderat ſuas operationes actuales, ab illis ſe diſtinguit & quodam modo ſibi ait; *ego ſentio*, *ego attendo*, *ego reflecto*, *ego recordor*, *ego judico*, *ego ratiocinor* (ϕϕϕ). Idem *Condillac* conſcientiam cum attentione confundit, volens, hanc non eſſe præter conſcientiam, quam anima alicujus determinatæ impreſſionis, majorem habet, reliquis omnibus coexiſtentibus. At in hac parte mihi videtur adhuc, quod ejuſmodi major conſcientia ſit effectus attentionis, nunquam ideo debet cum ipſa attentione confundi.

55. Reflexio modo dicta producit ſecundo propriæ *exiſtentiæ* conſcientiam. Major pars credit, quod anima evadat conſcia ſuæ exiſtentiæ uſque a prima ſenſatione. Vera hic quoque conſcientia hæc pure ſenſitiva diſtinguenda eſt a conſcientia reflexa, quapropter anima in ſe ipſam revertens, & ſentiens ſe conſciam ſuarum operationum, modificationumque, certo quodam modo ſibi ait: *ego exiſto*. *LIGNAC* contendit, animam habere innatam cognitionem propriæ exiſtentiæ adhuc ab omni ſenſatione independenter. Hæc vero ingenita cognitio ab eo ſuppoſita ſaltem inintelligibilis eſt, non ſecus ac reliqua, quæ olim congenita credebantur (϶϶϶).

56.

---

mentis, quando unum idemque eſſe, videmus. Male a *Soave* ergo deprehenditur *Condillac*, & perceptionem cum conſcientia jure merito confundi, arbitror. Hoc luculentius pertractabimus infra.

(ϕϕϕ) Hæc omnia ſunt judicia eruta ex præhabitis ideis, concipit quid ſit ſentire, attendere reflectere &c. cum ſit in operatione, ait, ergo ſentio, attendo &c.: eſt per conſequens hic mentis actus a perceptione diverſus, quatenus mens eruit judicium, non quatenus, ut ait *Soave*, ſit a conſcientia ſenſitiva diverſus. Quod differt ab hac conſcientia eſt, quod in ideis abſtractis & univerſalibus anima tantum immoratur, per conſequens ſibi repræſentat ſubjectum univerſale, quod revera non exiſtit quam in peculiaribus determinationibus ab anima antea ſignatis. Plura inferius.

(϶϶϶) Hæc eſt hypotheſis aliis hypotheſibus ſimilis. Quomodo probari poſſit, non video. Ego cenſeo, ut infra demonſtrabi-

56 Eadem reflexio memoriæ conjuncta producit tertio conſcientiam propriæ *perſonalis*. Ego actu ſentio, ego, aliter ſenſiſſe, recordor; præſenti ſenſationi meæ, & præteritis meis ſenſationibus reflecto, ac mecum dico: *Ego idem ſum, qui nunc ſentio, & qui tum ſenſi*. En perſonale. De hac, ut de cæteris cognitionibus, quas acquirit anima ope reflexionis in ſeipſam, Auctor diffuſius pertractat in præſenti libro, & abſque alio verbo hoc ad eum remittimus.

57. Ut hactenus dicta paucis colligamus. Objecta in noſtris ſenſibus ſuas faciunt *impreſſiones*, hæ nervorum ope probabiliter in cerebrum transferuntur; ex quo animæ communicentur (ιιι). Anima eas advertit, en *apprehenſio* quæ *ſenſatio* eſt, ſi anima ſentit *modificationem* internam voluptatis vel doloris; eſt *perceptio*, ſi anima tenet ante ſe ſolam externam objecti repræſentationem (λλλ). *Veracitas Impreſſionis, vel quævis* alia ratio efficit, quod anima cuidam determinatæ modificationi, vel repreſentationi adhæreat. En *attentio*. Objecto remoto modificationes, ac receptæ repræſentationes adhuc per aliquod tempus perdurant: hæ *ideæ*, illæ *notiones* (kkk) evadunt. Ad cogitandum ſequitur illa: En *contemplatio*. Ideæ & notiones accuratæ uno tempore conſideratæ per ignotum modum inter ſe ligantur, quapropter impoſterum occaſione unius aliæ excitantur; illa excitationem ſentit: En *reminiſcentia*. Internoſcit, quod illa aliter eas habuiſſet: En *cognitio*. In ejuſmodi modificatione vel repræſentatione attentionem deliberare ſiſtit, ex una ad alteram transfert, illam alternatim ab exterioribus impreſſionibus ad ideas

---

bimus, corpus antequam ab ulla impreſſione extrinſeca ſit muratum, nibil animam in ſe percipere, & forſan cognitionem ſuæ exiſtentiæ prorſus deficere.

(ιιι) Quomodo poſſint impreſſiones animæ communicari, non video. Vereor ne, hoc poſito, in Lockii ſententia, loquerenur. Intellectum agentem, patientemque in medium afferre (19), eſt quid gratis aſſerere. Nos credimus, hanc impreſſionum translationem ex cerebro in mentem fruſtraneam eſſe, non quia cum Leibnitio convenimus, ex ſe ipſa animam conficere ideas intellectuales ſenſualibus motionibus reſpondentes (23), ſed quia ſimpliciori modo phænomena a nobis in nobiſipſis obſervata poſſumus diverſimode enodare. At de hoc inferius.

(λλλ) Hac ſuper re vide, quod ſcripſimus adnotationibus ιι ξξ υυ δδδ.

(kkk) *V. adn.* kk.

ideas vel notiones intrinſecus excitatas revolvit, in ſeipſam perinde in centrum propellit: En *reflexio*. Translatio deliberata attentionis ex una ad alteram impreſſionem, efficit quod ea comparat inter ſe: En *comparatio*. Diſtinguit ſuas differentias: En *diſcretio*. In genere *relationes* habitas inter ſe detegit: En *cognitio*. Has relationes affirmat: En *judicium*. Cum nequeat detegere immediate relationem ambarum rerum ambas uni tertiæ comparat: En *ratiocinium*. Fixatio deliberata attentionis efficit, quod illa ex una parte adhæreat, vel ex ſola qualitate objecti, quod ſeparet illam ex omnibus reliquis partibus, quod ſibi ideam efformet, vel evulſam notionem: En *abſtractio*. qualitates quæ ſunt omnibus communes, ab objectis ſeparat, efficit ex his aggregatum, hoc ab objectis individuis, e quo abſtractum fuit, ſeorſim contemplatur: En formatio idearum generaliumque notionum, quæ ultimæ ſunt *phyſicæ*, & *metaphyſicæ*, juxta quod qualitates ſunt una vel alia ſpecie, e quibus conflantur. Complures ſimul conjungit ideas, quæ realiter non actu coexiſtunt: En *idearum compoſitio*. Dividit ideam compoſitam in ideas ſimplices, quæ eam componunt: En *idearum decompoſitio*, vel *analyſis*. Reflexio in ſeipſam efficit, quod internoſcat ſuum actualem ſtatum, ſuam exiſtentiam, ſuam identitatem tempore præſenti, & præterito, de quo recordatur: En *conſcientia*. Facultas, quam habet, omnes has operationes exercendi, eſt quæ dicitur *INTELLECTUS*. Quomodo verum illum exerceat, quomodo ſentiat, quomodo percipiat, quomodo recordetur, quomodo reflectat, quomodo motus fibrarum cerebri ſit ipſi communicatus, e quo ſenſatio, & perceptio ducunt originem, quomodo hic idem motus ex organis externis ad cerebrum uſque transferatur, modo quo excitetur in exterioribus organis, quid intrinſecus ſint corpora eum excitantia, quid intrinſecus ſit eadem anima, ſunt myſteria nobis quidem imperſcrutabilia.

LI-

L I B E R II.

DE IDEIS.

C A P. I.

De Ideis in genere, & illarum origine, ubi ſimul etiam examinatur, num mens noſtra ſemper cogitet.

§. I.

Idea eſt objectum cogitationis.

CUm quilibet ſibi conſcius ſit, ſe cogitare, atque illud, circa quod cogitando verſatur, ſint ideæ (*), quæ in mente ſunt: extra dubium eſt, eſſe in animis hominum varias ideas; id genus ſunt, quæ exprimuntur per voces, *albedinem*, *duritiem*, *dulcedinem*, *cogitationem*, *motum*, *hominem*, *elephantem*, *exercitum*, *ebrietatem* & alias: primo igitur quærendum eſt, unde oriantur? Scio veterem & communem eſſe opinionem, inſitas eſſe, in illorum ſtatim ortu, in animis hominum naturales quaſdam *ideas*, ſeu rerum characteres. Sententiam hanc fuſius antea examinavi; nec dubito, quin quod in ſuperiori libello

(*) Vocabula *ideæ*, *apprehenſionis*, *ſenſationis*, *perceptionis*, *reflexionis &c.* non in ſignificatu exacto, præciſo, quem nos credidimus, eſſe figendum, ſunt ab Auctore adhibita. Hoc non obſtante, haud lectores moleſtia afficimus, paſſim eos admonendo terminorum, qui auctoris terminis eſſent ſubſtituendi, nam ex ſeipſis arguere queunt. SOAVE.

bello a me dictum erat, fidem facile inveniat, cum demonſtravero, unde intellectus omnes iſtas, quibus præditus eſt, ideas adipiſcatur, & quibus modis gradibuſque mentem ſubire poſſint; atque in hac re ad ipſam uniuſcujuſque animadverſionem & experientiam provocabo.

§. II.

Omnes ideæ a ſenſatione aut reflexione oriuntur.

Supponamus igitur, mentem eſſe, prout vulgo dicimus, inſtar tabulæ raſæ, omnium characterum, *idearumque* omnium expertem; unde ergo ingens iſta *idearum* multitudo, quas negotioſa hominum phantaſia, nullius concluſa limitibus infinite propemodum in illam depinxit? undenam larga iſta cognitionis & ratiocinandi ſupellex? ad hæc uno verbo reſpondeo, ab *experientiâ*: in ea initium eſt & fundamentum omnis noſtræ cognitionis. Diuturna noſtra obſervatio, quæ verſatur vel circa externa ſenſuum objecta, aut internas iſtas mentis operationes, quas in nobis animadvertimus, & de quibus nos ipſi ratiocinamur, omnem cogitandi materiam intellectui ſuppeditat. Ab hiſce duobus ſcientiarum fontibus, omnes, quæ in nobis ſunt, aut eſſe poſſunt, ideæ originem ducunt (90).

§. III.

(90) Fuit ſatis probatum, per ſenſus nobis ideas extare, nunc videmus animæ operationes præſtitas circa eas. Objecta externa, nos quocunque modo afficiant, nobis excitant mutationes, quæ ope nervorum connexionis ab organo ſenſorio quaſi deferentes in cerebrum perveniunt, vel ibi, ut mihi probabiliter videtur, ope ipſius nervorum connexionis vel continuitatis, primis apprime ſimiles, ac analogæ aliæ exoriuntur. En ergo cauſa, qua anima, dummodo aliis mutationibus, a ſe gravioribus

§. III.

Una idearum origo eſt a ſenſationis objectis.

PRimo, *ſenſus noſtri*, qui circa particularia objecta ſenſibilia verſantur, *in mentem ingerunt* varias diſtinctaſque rerum *perceptiones* juxta modorum diverſitatem, quibus ab objectis iſtis afficiuntur (91). Hinc iſtæ, quæ nobis inſunt, *flavedinis*, *albedinis*, *caloris*, *frigoris*, *mollitiei*, *duritiei*, *amaritudinis*, & *dulcedinis* ideæ, atque omnes iſtæ, quæ ſenſibiles vocantur, qualitates, quas cum a ſenſibus in animam intromitti dico, ita intelligi velim, ac ſi dicerem, ab objectis ſenſibilibus id, ſenſuum adminiculo, in animum introduci, quod *perceptiones* iſtas efficit. Ingentem hunc omnium propemodum idearum noſtrarum fontem, cum tantum ſenſibus nitatur atque inde in intellectum deferatur, *Senſationem* voco (92).

§. IV.

---

ribus recenſitis, non præeſt, quadam, quaſi dicam, neceſſitate ad impreſſiones trahitur, & eas videt, adnotat, contemplat. Hinc ſimpliciter videndo, vel ſibi repræſentando, mutationes cerebro exiſtentes, idea gignitur, eaſdem contemplando, reflexio (*μμ uſq. νν*), & juxta Lockii opinionem, oritur perceptio. Quænam vero ſit differentia inter ideam, & perceptionem modo evolvemus.

(91) Triplici modo poteſt perceptio modificari I. ratione objecti producentis. II. ratione organi ſuſcipientis. III. ratione attentionis adhibitæ. Paſſim examinabimus.

(92) *Senſatio* nihil aliud eſt „ quam repræſentatio rerum in „ organis ſenſoriis noſtri corporis mutationem producentium „. (*V. Baum. inſt. metaph.* §. 499.). Qua ſuper re eſt adnotandum, quod quidam Philoſophi animum, animam, & mentem diſtingunt (φ), quapropter ad animum tantum ſenſationes pertinere autumant. Recentiores merito hæc vocabula confundunt. Revera ſenſatio, & cogitatio actus ſunt diverſi, quod eſt contra eos, qui mentis humanæ eſſentiam in ſola poſuere cogitatione. Si noſmetipſos paululum perpendemus, inveniemus ſenſatio-

§. IV.

Alter idearum fons ſunt operationes mentis noſtræ.

SEcundo, fons alter, unde experientia *ideas* in intellectum derivat, eſt *operationum, quæ in mente ſunt, perceptio*, quatenus circa ideas, a ſe collectas, verſatur; quæ operationes, poſtquam animo eas conſiderate contemplamur, aliud genus *idearum* intel-

---

ſationem a cogitatione longe diverſam: dicere, illam fluere ab agitatione cujuſdam mediæ animæ, quam animum appellitabant, idem eſt ac dicere, *neſcio quid*. Quam ob rem recte concludimus, ſenſationem non eſſe præter ſimplicem perceptionem, vel quod idem ſonat „ confuſa repræſentatio mutationum, quæ or- „ ganis ſenſoriis noſtris excitentur „ non ſic cogitatio, ut infra videbimus. Lockius diſtinguit ſenſationem ab idea, ut & nonnulli fieri debere, putant. Juxta illius mentem, ſenſatio eſt idea ad intellectum delata, & idea eſt quidquid menti obverſatur cum cogitat. (§. VIII. *introd.*) Timeo ne ſatis inintelligibilis ſit hæc ideæ definitio. Quid eſt quod menti obverſetur? Species, forma, notio quædam? Hæc quæcunque ſit, remanet in corpore, vel fertur ad animam. Primo caſu idea non differt a ſimplici mutatione, ceu impreſſione organo ſenſorio, vel cerebro facta, quam ob rem nullam haberet relationem ad animam, per conſequens impreſſiones in cerebro factæ, etiamſi non advertantur ab anima, eſſent ideæ, & eſſet dicendum, nos ſemper idearum habitarum eſſe conſcios, quod eſt contra ipſum Lockium. (§. XII. *lib. I.*) Secundo caſu confunditur cum perceptione. Quapropter cenſeo, ideam & perceptionem merito confundi debere, & diſcrimen inter ſenſationem & perceptionem non eſſe, niſi quantum adeſt inter ſpeciem & genus. Vocabulum *perceptionis* comprehendit omne id, quod mens ſibi repræſentat, *ſenſationis*, poſtea quidquid ſibi repræſentat actu in organo ſenſorio excitatum. Adnotandum quod Lockius paſſive ſumit mentem, per conſequens juxta illum mens recipit, non format, vel repræſentat; hinc ait, ad *intellectum deferatur*. Errat ſane; infra demonſtrabitur.

Ex dictis arguitur, ideas & perceptiones a nobis confundi. Equidem ſcio, hac ſuper re magnam eſſe contentionem inter philoſophos,

intellectui ſuppeditant, quæ a rebus externis oriri non poterant: in eo numero ſunt, *perceptio* (93) *co-*

ſophos, pace tamen eorum, qui contrarium impugnant, non video qua ratione, vel modo debent differri. Si eſſent unum & idem, ait Genuenſis, alterutrum ſequi deberet, vel mentem eſſe ſubjectum mere paſſivum ſuarum cogitationum, vel ſibi ideas creare. Utrumque negamus. Sufficit, animam mutationes organo ſenſorio excitatas cernere, nec requiritur, mentem ſibi ideas creare, vel tanquam paſſive ſuſcipere, ut ille ait. Verum eſt, quod objici poteſt, dummodo cernit, cur ſubjectum impreſſionum non videt? Reſpondemus, requiri proportionem inter reſpiciens, & reſpectum, inter impellens & impulſum, & ita dicam, quamdam analogam qualitatem. Tactui aufugiunt tenuiſſima corpora, ut & oculo. Sic anima non cernit quam ea quæ ad ſuam accedunt naturam, ita ut poſſint dici partibus carentia, hæc ſunt profecto modificationes, quæ etſi partibus inſint, attamen non ſunt partes, nec cum partibus poſſunt confundi, quapropter anima non reſpicit præter ea, de quibus eſt illa capax, & cum ſit ſpiritus, nequit cernere præter quaſdam affectiones, non jam ſubjecta affectionum. Ceteroquin oculus effigiem videt non ſubjectum effigiei, nonne verum eſt, nos non internoſcere in effigie ſubjectum in quo exiſtit, vel eſt inſculpta tantum ſuperficies, & ſchema? Nonne pari modo, neglectis literis, verba in ſcriptis legimus? Pariter ergo anima cernit in cerebro modificationes ab objectis externis excitatas, neglecto ipſo cerebro, vel ſubjecto impreſſionum, & quo ad nos modificationes perſpectæ, vel actus animæ in reſpiciendo, perceptiones appellantur. Si placet demum, ideas a perceptionibus diſtinguere, actus mentis conſiderari poteſt & quoad objecta externa mutationes excitantia, & quoad animam mutationes cernentem, idem actus primo ſenſu conſideratus, appellari poteſt idea, ſecundo perceptio. At ſupervaneum puto hac de re in medium quæſtionem afferre.

(93) En differentia a Lockio facta inter perceptionem, & ideam; hæc eſt objectum cogitationis, illa actus; hæc remanet in intellectu, illa progreditur in mentem; anima in idea tantum immoratur, in perceptione internoſcit, ſe in idea immorari. Verum hac ſuper re fuſius infra. Tantum eſt hic adnotandum, quod anima percipit, etſi ideas habitas non contempletur (90), ergo contemplatio ſupponit actum diverſum ab actu perceptionis, quam ob rem male hunc actum Lockius appellat perceptionem.

gitatio, *dubitatio*, *fiducia*, *ratiocinatio*, *cognitio*, *volitio*, atque alii diverſi mentis noſtræ actus; eorum cum nos ſimus conſcii, ideas æque diſtinctas ab illis in intellectum recipimus, ac a corporibus iſtis, quæ in ſenſus incurrunt. Hunc *idearum* fontem unuſquiſque intus in ſe habet: & quamvis haud ſenſus appellandus ſit, quia nullum huic cum objectis externis commercium eſt, illi tamen ſimillimus eſt, &, nomine ſatis proprio, *ſenſus internus* dici poſſit (94). Quemadmodum autem alterum *ſenſationem*, ita hunc *reflexionem* voco, cum ideæ, quas præbet, tales tantummodo ſint, quales mens ex ſuarum intus operationum contemplatione adipiſcitur. Per *reflexionem* itaque, in hoc tractatu intelligo annotationem in mente operationum ſuarum, & modi quo fiunt; unde accidit, ut harum operationum *ideæ* in intellectu oriantur (95). Ab hiſce duobus, inquam, videlicet ab externis rebus materialibus, tanquam *ſenſationis* objectis; & ab internis mentis operationibus, tanquam *reflexionis* objectis, omnes noſtræ *ideæ* originem mihi ſumere videntur. Vox *Operatio* hic latiori ſenſu a me uſurpatur, quatenus nimirum non ſolum actus mentis circa ideas ſuas, verum affectus etiam quoſdam denotat, qui ab iis proveniunt, cujuſmo-

---

(94) Diſcrimen, quod inter ſenſum internum, & externum ego adinvenio, eſt, quod perceptio (90) ſenſualis proficiſcitur a ſenſibus, non ſic intellectualis. Anima in repræſentando rem, in cerebro, quaſi capſula, repoſitam, exercet eandem vim, quam ſi rem extrinſecus exiſtentem per mutationes organo ſenſorio noſtro excitatas ſibi repræſentaret. Duntaxat percipit quæ ſunt in intellectu, quatenus anima ſibi repræſentat mutationes olim in cerebro habitas, vel in eo extantes, per conſequens vis animæ eadem eſt, ſit nec ne in intellectu. Quo modo intendi debeat, intellectui ineſſe ideam, inferius dilucidabimus.

(95) Reflexio ergo, juxta Lockium non eſt præter perceptionem actus mentis. Hac ſuper re vide adn. (*μμ*)

juſmodi eſt voluptas aut perturbatio, quæ a cogitatione quavis oritur (96).

§. V.

Ab horum fontium alterutro omnes ideæ noſtræ oriuntur.

Mihi quidem intellectus nihil *idearum* videtur habere, quas non ab horum alterutro recipiat. *Objecta externa menti ſuppeditant ſenſibilium qualitatum ideas*, quæ ſunt variæ iſtæ perceptiones, quas in nobis producunt, atque *mens intellectum operationum ſuarum ideis inſtruit*. Poſtquam hæc duo, una cum variis illarum modis, combinationibus, & relationibus, accurate fuerimus contemplati, videbimus *idearum* noſtrarum ſupellectilem univerſam in illis contineri; & nihil eſſe in intellectu, quod non vel hoc vel illo modo introiit. Rimetur quivis, quantum poteſt, intimos mentis ſuæ ſenſus, dein referat, utrum *ideæ* primigeniæ, quas ibi reperit, aliunde ſint, quam a ſenſuum objectis, aut mentis operationibus, ſi conſiderantur tanquam *reflexionis* ipſius objecta: etiamſi fortaſſe mentem ſuam multiplici rerum cognitione cumulatam eſſe cenſeat, poſt accuratam tamen conſiderationem comperiet, *nullam in animo ideam ineſſe*, quæ non uno, aut altero hoc modo fuerit impreſſa; etiamſi intellectus fortaſſe in-

 finita

(96) Si recte loquimur, *operatio* dici debet *actus* tantum, non conſequentia, vel ut ait ille, effectus, quam ob rem vocabulo reflexionis non aliud debet intelligi, quam actus quo mens adnotat quod ſibi repræſentat (88. 133), vel clarius, quod ipſa cernit (*μμ*).

finita varietate illas compoſuerit, atque ampliaverit, prout poſt oſtendemus (97).

§. VI.

Ex parvulis liquet.

QUi conditionem infantis, cum primum naſcitur, diligenter animadverterit, haud rationem inveniet, cur putet, *ideas* tam large & copioſe ipſi inſitas eſſe, ut in iis omnis futuræ cognitionis materies ſit. Gradatim illis inſtruitur: & quamvis *ideæ* qualitatum, quæ ſunt in familiari, & quotidiano uſu, ſpeciem ſuam prius in animo ſignent, quam memoria tempora & ordines rerum in tabulis ſuis conſignare ſolet, ſæpiſſime tamen inuſitatæ quædam qualitates ſero adeo ſenſibus objiciuntur, ut pauciſſimi ſint, qui non in memoria cuſtodiant ipſiſſimum tempus, quo primum illis innotuerunt: & ſi operæ illud pretium foret, nullus dubito, quin puerulus ita tractari poſſet, ut communium *idearum* non niſi pauciſſimæ ante in animo ejus imprimerentur, quam ex

(97) Recte ſane. Addam. Ideæ, quas habemus, ſunt ſenſuales vel intellectuales, quod ideæ ſenſuales per ſenſus nanciſcantur, nullus eſt dubius; quod intellectuales per reflexionem, luculentius demonſtratur. Sunt ideæ abſtractæ vel concretæ; ſi poſterius, habent relationem ad objecta externa, & ad mutationes ab his organo ſenſorio noſtro excitatas, ergo nequeunt adeſſe abſque objectis, & mutationibus præhabitis; ſi anterius, non poſſum mihi repræſentare genus, neglectis ſpeciebus, neque ſpeciem, neglectis individuis (15). Ergo ideæ intellectuales ſupponunt objecta, & actum mentis, quo ſenſuales adnotat, atque notas quaſi in unum redigit, per conſequens *reflexionem* (94).

ex ephebis excederet (*). Cum tamen omnes, quamprimum hujus mundi aſpiciunt lucem, corporibus undique circumdati ſint, quæ perpetuo & alio atque alio modo eos afficiunt, fieri non poteſt, quin magna *idearum* varietas puerorum animis imprimatur, ſive earum cognitionem illis concedere velimus, ſive nolimus. *Lux* & *colores* præſto nobis ubique ſunt, quando oculi aperiuntur; *ſoni* & *qualitates* quædam *tangibiles* proprios ſuos ſenſus ſedulo ſollicitant, & aditum ſibi in mentem per vim aperiunt; omnes tamen, puto, facile mihi dabunt, quod puerulus, ſi in loco foret detentus, ubi nihil unquam præter *Nigrum* & *Album* videret, uſque dum robuſtior ſit factus, haud coccinei aut viridis coloris *ideam* meliorem haberet, quam illi habent ſaporis oſtrei, aut pini, qui nunquam uſque inde ab infantia, ea guſtarunt.

(*) Pueri nemoribus adinventi, perpaucas ideas habebant profecto, & in opere, *Ricerche intorno all' inſtituzione naturale d' una ſocietà, e d' una lingua*, ego de hoc rationem attuli. *SOAVE*.

§. VII.

Homines diverſo modo his inſtituuntur, pro diverſitate objectorum, circa quæ verſantur.

HOmines itaque plures aut pauciores *ideas* ſimplices ab externa parte recipiunt, prout in objectis, quibus familiariter utuntur, major aut minor varietas ineſt; & ab operationibus mentis, prout intellectus aciem magis aut minus ad eas dirigunt ac intendunt. Quamvis enim, qui mentis ſuæ operationes contemplatur, non poſſit non claras & perſpicuas illarum *ideas* habere; attamen niſi cogitationes ſuas eo dirigat, niſi animum ad eas *attendat*, haud citius mentis ſuæ operationum omnium, & cunctorum, quæ in ea poſſunt obſervari, *ideas* percipiet, quam ille tabulæ cujuſdam, in qua res plurimæ ſunt depictæ, aut horologii partium & motuum, particulares omnes ideas habebit, qui oculos in illud conjicere, & partes illius omnes intueri negligit. Tabula, aut horologium ita collocari poſſunt, ut ei quotidie ante oculos verſentur; partium tamen omnium, e quibus coagmentantur, non niſi confuſam habiturus eſt *ideam*, donec ad illas ſingillatim perſpiciendas animum diligenter intenderit (98).

§. VIII.

(98) Hinc facile comprehenditur, qua ratione homines diverſo modo dijudicant, diverſa norma ſuas dirigant operationes;

(28.

§. VIII.

Reflexionis ideæ ſerius percipiuntur, quia attentione opus eſt.

HInc liquet, cur plerique omnes parvuli mentis ſuæ operationum *ideas* non niſi ſero percipiant; & nonnulli per totum vitæ curſum maximæ partis illarum non adeo claras & perfectas *ideas* habeant. Quoniam, etiamſi perpetuo inibi circumvolitant, phantaſmatum tamen ritu fluctuantes, haud in mente alte adeo imprimuntur, ut claras diſtinctaſque *ideas* in ea relinquant, uſque adeo duraturas, quoad intellectus aciem ſuam in ſemet intus intendat, *operationes* ſuas *contempletur*, eaſque ſpeculationis ſuæ objecta faciat. Parvuli quamprimum vitæ hujus lu-

 cem

(28. 29. 56. 67.), atque perſpicaciores ſint nonnulli, aliique ſtupidi, etſi ſub eodem cælo vitam degant, & multoties eandem diſpoſitionem ſortiantur. Diverſus objectorum numerus, & habitus contemplandi, abſtrahendique ideas, diverſimode acquiſitus, totum diſcrimen efformant. Qui circumſcripti, & a commercio hominum quaſi ſejuncti fuere, ut accolæ *Terræ ignis*, vel *canalis natalis* (29.), agricolæ, atque paſtores noſtri ratione numeri objectorum a reliquis recedunt (36) qui poſtea inertia gaudent, nec actione ſpiritum experiuntur, nec a parentibus, præceptoribus, ſociiſque ad hoc compulſi vel agitati fuere, habitu contemplandi carent. Celeberrimi philoſophi pugnant inter ſe: àn ingenia hominum ratione propriæ organizationis diverſa ſint exiſtimanda, ceu potius ratione diſciplinæ. Ad ultimam Helvetius adhæret partem, & contra Rouſeau demonſtrare credit, Hominem præter productum ſuæ educationis non eſſe. (*V. de l'Homme de ſes facultés intellectuelles & de ſon E'ducation*). Verum ego autumo, ingenia hominum dici poſſe diverſa propter ambas rationes, nec debere diverſitatem concipere, quam in ratione compoſita diverſitatis, organizationis a natura largitæ, & diſciplinæ ab hominibus, objectiſque reliquis tributæ. At ſemper hinc recte arguitur, conſtantem ſagacemque educationem ad homines informandos maximopere requiri (69).

cem ingrediuntur, rerum novarum multiplici varietate undique ſepti ſunt, quæ perpetuo ipſorum ſenſibus magnam novorum & diverſorum objectorum copiam objiciunt, & ita mentem eorum ad hæc ipſa cognoſcenda alliciunt, quorum jucunditate jam capti ſunt. Hoc pacto primoribus annis cum rebus externis ſine ulla intercapedine conſueſcunt; atque inde evenit, ut circa ſenſationes externas conſtanter verſantes, rariſſime ea, quæ intus fiunt, antequam ætate fiant provectiores, ac plurimi vix unquam, ſerio perpendant (99).

§. IX.

Animam ideas habere, cum percipere incipit.

SI quis vero *tempus rogaret*, *quo homo primum ideas habere incipiat*, hoc perinde eſſet, ac ſi perceptionis ipſius initium ſciſcitaretur, cum *ideas* habere, & percipere idem ſit (100). Scio conſtantem eſſe opinionem, animam ſine intermiſſione cogitare, eamque, quamdiu exiſtit, ideas ſuas in ſe ſemper actu percipere, nec poſſe actualem cogitationem ab ea magis ſeparari, quam extenſio actualis a corpore poteſt (101); hoc ſi verum ſit, inquirere, quo tem-

(99) Deficit habitus, qui duntaxat acquiritur exercitio, atque monitis, exemplis, tempore &c.

(100) En confuſio perceptionis cum idea. Sæpeſæpius obſervatur.

(101) Inter philoſophos hujus præſertim ætatis de perenni mentis cogitatione magna lis eſt, atque contentio. Carteſius, ex eo quia in actuali cogitatione mentis eſſentiam conſtituit, cum cogitatione, aſſerit, neceſſe tollere & ipſam mentem, quam ob rem mentem perenni cogitatione præditam acerrime ſubſtitit. Hunc ſecuti ſunt *Claubergius*, *Malebranchius*, *Silvanus Regis*, *Leibnitius*, *Wolfius*, aliique complures. Peripatetici altera ex parte impugnarunt, & Auctor noſter, ut modo videmus, adhuc refellit.

tempore homo habere ideas incipiat, idem eſſet, ac inveſtigare, quando ipſius anima exiſtere cœperit. Ex hoc enim calculo anima & ipſius ideæ, uti corpus & extenſio eodem tempore exiſtere incipient.

§. X.

Anima non ſemper cogitat; id enim probandum eſt.

UTrum vero anima cenſenda ſit exiſtere, aut ante prima organorum corporis rudimenta, aut ſimul cum iis, aut denique poſtquam natura vires ſuas vitales in corporibus exerit, illis diſcutiendum relinquo, qui ſagacius rem iſtam mente contrectarunt (102). Fateor equidem, me unam ex illis ſegnioribus mentibus ſortitum eſſe, quippe quæ, *ideas* ſuas indeſinenter ſe contemplari, haud percipit, nec ſibi imaginari poteſt, cur *conſtans cogitatio* magis neceſſaria eſſet *animæ*, quam perpetuus motus corpori: cum *idearum* perceptio (ut mihi videtur) id ſit animæ, quod motus corpori (103), non quidem illius

(102) Hac ſuper re duplex ſententia viget, quum corpus organis eſt ſufficienter inſtructum, ut poſſint operationes vitales exercere, ipſum animam recipere ajunt, credunt hi, germen primo conceptionis tempore membrorum apparatu protius eſſe deſtitutum; reliqui poſtea autumant, a primo conceptionis momento fœtum animari. Hæc opinio probabilior videtur. Si germen attente obſervetur a primo ſuæ exiſtentiæ tempore, membrorum configuratione, etſi minima eſſet, præditum perbelle inveniemus, eget ergo, quod anima membra, & organa illius evolveret atque vivificaret: quidquid enim de hoc ſit, non eſt diſputandi opus.

(103) Complures philoſophi in vi motrice eſſentiam corporis conſtituerunt. Potiſſimum, annumerantur Leibnitius (*V. act. Lipſ.* 1686.), Koechlerus (*V. diſſ. de nat. hum moral.*), Baumeiſterus (*V. inſtit. metaph. Coſm. cap. III.*) Wolfius &c. Non ſequi-

illius eſſentia, bene tamen una ex ipſius operationibus : utcunqne igitur cogitatio ſit proprius & peculiaris actus animæ; haud neceſſe tamen eſt ſupponere, eam ſemper cogitare. Id omnipotenti rerum omnium artifici & conſervatori peculiare eſt, qui *neque dormitat*, *neque dormiſcit*; ſed illud Enti finito, ſaltem animæ humanæ, haud competit (104). Ex experientia certo ſcimus, nos nonnunquam cogitare, hinc extra dubium habemus, eſſe in nobis aliquid cogitandi poteſtate præditum : utrum vero ſubſtantia iſta indeſinenter cogitet, nec ne, id non aliunde, quam experientia certo edoceri poſſumus. Qui enim dicit, cogitationem actualem animæ eſſe eſſentialem, petit, quod in quæſtione eſt, non vero ratione illud probat : quod fieri tamen oportet, niſi propoſitio per ſe manifeſta ſit. Utrum vero, *anima ſemper cogitat*, propoſitio ſit per ſe evidens, & cui auditæ omnes ſtatim aſſenſum præbeant, penes unumquemque judicium eſſe velim. In dubio eſt, utrum tota heſterna nocte ſemper cogitaverim, nec ne; cum de re facti diſputetur, petitur illud, quod in quæſtione eſt, cum hypotheſis, ſive res, quæ venit in controverſiam, pro argumento ad rem iſtam probandam aſſumitur: hoc modo omnia facile argumentis probari poſſunt; & ſi ſupponere velit quis, horologia omnia, quamdiu pendulum vertitur, cogitare; tunc ſatis liquido demonſtratur, & extra dubium ponitur, meum horarium, quod ſponte ſua vertitur, per totam heſternam noctem cogitaſſe. Qui autem ſe

ſequitur hinc corpora ſemper moveri, habent vim movendi, obſtacula verum effectum ſenſibilem deſtruunt, per conſequens poſitis obſtaculis motus deeſt.

(104) Divus Thomas pariter negat intellectum humanum ſemper in actu eſſe. Hoc pertinere ad intellectum divinum, inquit. (*V. Sum. Theol. p. p. q. 79. art. 2.*)

ſe præcipiti ratione in errorem dare nolit, debet hypotheſin ſuam in rebus facti fundare, eamque confirmare experientia, non vero rem ita de facto eſſe concludere, propter hypotheſin ſuam; hoc eſt, quoniam nos ſupponimus, rem ita ſe habere: quod genus argumentandi in ſe rurſus redit. Oportet, me per totam noctem ſemper cogitaſſe, quoniam alter, me ſemper cogitare, putat, etiamſi perpetuæ iſtius cogitationis ipſemet haudquaquam mihi conſcius ſim. Hac vero occaſione non mihi temperare poſſum, quo minus profitear, homines, quibus dogmata ſua nimium arrident, non ſolum illud, quod in quæſtione eſt, pro conceſſo habere, verum aliquando res aliter, quam ab iis, qui contrariæ ſunt ſententiæ, fuere enunciatæ, repræſentare conſueviſſe. Sic etiam mihi nuper accidit. Fuit enim auctor quidam, qui, perlecta prima hujus mei operis editione, nondum de hujus rei veritate, quod ſcilicet anima non ſemper cogitet, convictus fingit, *me concludere, rem non omnino exiſtere, quoniam haud eam dormientes perſentimus*. At vero haud dico, animam non homini ineſſe, quoniam medio in ſomno nullum iſtius ſenſum habet; dico tamen, ipſum neque vigilantem neque dormientem cogitare poſſe, ni cogitatio iſta percipiatur. Senſus iſtius ad nihil aliud, præter cogitationes noſtras, pertinet; ad illas eſt, ſemperque erit neceſſarius, donec poterimus cogitare, & non eſſe cogitationum noſtrarum ſimul conſcii.

§. XI.

Non ſemper iſtius conſcia eſt.

Fateor equidem, animam vigilantis nunquam eſſe cogitationis expertem, quoniam hoc vigilare eſt: utrum vero ſomnus abſque ſomniis haud totius hominis affectio ſeu proprietas ſit, animæ nimirum

æque ac corporis, hæc res eſt vigilantis conſideratione digna; aliquid enim cogitare, & iſtius haud conſcium eſſe, res eſt haud facile concipienda. Si anima dormientis cogitat, & ipſe haud ſibi conſcius ſit, ſe cogitare, rogo, utrum in media iſta cogitatione, voluptatem aut aliquem dolorem ſentiat, utrum felicitatis aut miſeriæ capax ſit? Certus ſcio, hominem omnibus hiſce affectibus æque vacare, ac lectus aut humus ubi requieſcit. Haud conſentaneum enim eſt, ut ſine mente, ſortis ſuæ conſcia, quempiam felicem aut miſerum prædicemus. Sin poſſibile eſt, ut anima, dum corpus ſomno obruitur, cogitationes ſuas, oblectationes aut angores, voluptates aut dolores ſeorſim a corpore habeat, quorum homo nec conſcius, nec particeps eſt; certiſſimum eſt, *Socratem* dormientem non eundem eſſe cum Socrate vigilante; verum *Socratis* dormientis animam, & *Socratem* hominem ex corpore & anima complexum vigilantem, eſſe duas perſonas: quoniam Socrates vigilans neque cognitionem aut curam aliquam iſtius felicitatis aut miſeriæ animæ ſuæ magis habet, qua illa ſola, & inſcio *Socrate* fluitur, quam de *Indi* cujuſvis ignoti felicitate aut miſeria ſollicitus eſt: ſi enim τὸ conſcium eſſe actionum & ſenſationum noſtrarum, præſertim voluptatis & doloris, &, quæ illa ſequitur, ſollicitudinis penitus tollamus, in quo conſiſtat perſonalis identitas, ſtatuere difficillimum erit (105).

§. XII.

(105) Fuſius demonſtrabitur cap XXVII. hujus libri, in quo Auctor noſter agitat quæſtionem de indentitate, ac diverſitate, & in quonam identitas conſiſtat, quam ob rem de identitate perſonæ loquitur ibidem.

§. XII.

Si dormiens cogitat, nec illud ſcit; idem dormiens & vigilans duas conſtituit perſonas.

ANima, inquiunt illi, dum quis altum dormit, cogitat. Dum cogitat & percipit, voluptatis aut doloris procul dubio, ſicut aliarum perceptionum, capax eſt; atque *fieri non poteſt*, *quin conſcia ſit perceptionum ſuarum*. Atqui hæc omnia ſola ſeorſim ſentit: dormientem nihili horum conſcium eſſe, manifeſtum eſt. Supponamus itaque, animam *Caſtoris* ſe inter dormiendum de corpore ſubducere; atque ſuppoſitio hæc haud debet illis, quibuſcum jam mihi res eſt, impoſſibilis videri, qui vitam, abſque anima cogitante, reliquis animantibus liberaliter concedunt. Juxta illorum ſententiam haud impoſſibile eſt, nec contradictionem implicat, ut corpus abſque anima vivat: neque, ut anima ſine corpore ſubſiſtat & cogitet, aut una cum aliis perceptionibus, felicitatis aut miſeriæ ſenſum habeat. Supponamus itaque, ut dixi, animam *Caſtoris*, inter dormiendum a corpore ſeparatam, ſeorſim cogitare. Supponamus inſuper, eam pro theatro cogitationum ſuarum alterius corpore uti, v. gr. *Pollucis*, quem ſine anima etiam dormientem offendit: ſi enim anima *Caſtoris*, dum ipſe ſomnum capit, id cogitare poteſt, cujus ille haud conſcius eſt, haud magni refert, quem locum ſibi eligat, tanquam ſcenam cogitationum ſuarum. Ecce! itaque hominum duorum corpora, quibus una tantum anima communis eſt, quam vicibus alternis dormire & vigilare ſupponemus; atque animam iſtam in vigilante ſemper eſſe cogitantem, cujus alter, qui dormit, nunquam conſcius eſt, & ne minimum ſenſum habet. Rogo itaque, annon *Caſtor* & *Pollux*, quibus una anima hoc modo inſervit, quæ in uno cogitat & percipit ea, quorum alter penitus ignarus,

&

& de quibus ne minimum ſollicitus eſt, duo ſint æque diverſi ac *Caſtor* & *Hercules*; aut, *Socrates* & *Plato* fuere? utrum etiam fieri non poſſit, ut prementibus alterum miſeriis & ærumnis, alter ſit feliciſſimus? Simili ratiocinio animam & corpus in duas perſonas diſtrahunt, qui animæ cogitationes ſeorſim tribuunt, quarum homo nihil ſit conſcius? Nemo enim, arbitror, perſonarum identitatem in eo poſitam eſſe dicet, quod anima ſit iiſdem numero materiæ particulis unita; ſi illud enim ad identitatem requireretur, impoſſibile foret, ut, in perpetuo iſto corporearum particularum fluxu, quidam per biduum continuum, aut per duo temporis puncta, eandem perſonam retineret (106).

§. XIII.

Impoſſibile eſt, convincere eos, qui abſque ſomniis dormiunt, ſe cogitare.

Hoc modo, ut mihi videtur, quælibet nutatio ſomnolenta doctrinam illorum convellit, qui docent animam ſemper cogitare. Illi ſaltem, qui interdum abſque ſomniis dormiunt, haudquaquam convinci poterunt, ipſorum cogitationes, inſciis ipſis, per quatuor horarum ſpatium ſæpe occupatas teneri; qui gnari ſunt, ſe, ſi e ſomno, in media contemplatione, excitantur, haud illius rationem aliquam reddere poſſe.

§. XIV.

(106) Ibidem, (105) ſtatuit auctor identitatem perſonæ eſſe poſitam in identitate conſcientiæ cogitationum. Quo poſito, valet allatum argumentum.

§. XIV.

Homines ſomniare & non illud recordari, fruſtra aſſeritur.

DIcet fortaſſe aliquis, animam *in altiſſimo ſomno quidem cogitare, illud vero non memoria retineri*. Quomodo dormientis anima nunc in cogitationes ſuas eſſet intenta, proxime vero inſequenti momento, cum quis e ſomno excitatur, nullas e cogitationibus iſtis in memoriam revocare poſſet, haud facile concipi poteſt; atque ad huic rei fidem faciendam, fortiori aliquo argumento, quam nuda affirmatione, opus eſt. Quis enim, de ea re non aliunde, niſi aliorum teſtimonio edoctus, putet, hominum partem longe maximam, quamdiu in vivis ſunt quotidie per horas aliquot, de eo cogitare, quod memoria excidiſſe fateri neceſſum habent, cum quis eos, in mediis cogitationibus, quid illud ſit interroget (107)? Plerique omnes, puto, magnam tempo-ris

(107) Nos fortaſſe poſſumus cogitare, & cogitatione peracta nihil nobis de ea invenire. Hoc accidere poſſe, puto, propter debilitatem impreſſionum, quæ ſenſorio communi excitantur, vel ex debili ſpirituum impulſu. Tempore quo cogitamus, objecta nobis animo repræſentamus, notas abſtrahimus, ideas conficimus. Si non eſt nobis datum, ideas confectas, vel præhabitas denuo excitare, quod pendet tantum a ſpirituum energia, ut infra demonſtrabimus, nec etiam erit nobis facultas recognoſcendi actus mentis; per conſequens nullum veſtigium remanet, quo videat anima, ad objectum ſe applicuiſſe, & cogitaſſe. Mihi & ipſi vigilanti hoc expertus ſum: multoties cogitavi, perexiguo tempore tranſacto, nihil inveni de cogitatione, & hoc a me factum iri, vix conſcius fui; omnibus notis obliteratis, de quibus cogitavi non amplius deprehendi, & de cogitatione ipſa dubitavi. Quid mirum ergo, quod tempore ſomni hoc eveniret? Quid mirum, quod perexiguum illud cogitationis adminiculum, quod vigilantibus ſupereſt, dormienti-bus

ris iſtius partem, quod ſomno datur, abſque ſomniis tranſigunt. Novi hominem, qui literis operam dabat, haud fluxa memoria prædium, qui mihi dixit, ſe nunquam ſomniaſſe, ante febrim iſtam, ex qua nuper convaluerat; quod erat circa vigeſimum quintum, aut ſextum ætatis annum. Credo, per terrarum orbem alios quoque inveniri natura eadem præditos: certe uniuſcujuſque cum aliis conſuetudo ſatis abunde exemplorum præbere ejuſmodi hominum poterit, quibus maxima pars noctium abſque ſomniis elabitur.

§. XV.

Ex hac hypotheſi dormientis cogitationes maxime rationales eſſe debent.

SÆ*pius cogitare, & nunquam illud ne per unum quidem momentum in memoria retinere, inanis eſt & valde inutilis cogitatio:* atque anima in eo cogitandi ſtatu, paululum, aut ne vix quidem ſpeculo præſtat, quod varias imagines, vel *ideas* recipit, retinet vero nullas; ſtatim evaneſcunt, & illarum nulla veſtigia, ſimulacra nulla remanent; ut itaque tales *ideæ* haud proſunt ſpeculo, ita nec ejuſmodi cogitationes animæ (*a*). Objicietur forſan, in homine vigilan-

bus penitus extinguatur? Tempore ſomni ſpiritus languent, organa propria inertia graveſcunt, imaginulæ debiliores ſunt, & motores ipſi impotentes ad quoddam perexiguum cogitationis ſignum renovandum, ut eſſemus nobis conſcii habitæ cogitationis. Nolo vos credere, quod hoc argumento probare cupiam, animam ſemper continuoque cogitare; de hoc infra diſputabimus; ſolum hic dico, poſſe animam cogitare, & peracto cogitationis actu, conſciam non eſſe ſuæ cogitationis.

(a) Argumentum a Lockio allatum circa harum cogitationum inutilitatem hic contra ſe nimis probat, concludi enim poſſet, quod

lante, corporis materiam & ſupellectilem circa cogitationes ſuas verſari; & factarum in cerebro impreſſionum, &, quæ remanent poſt cogitationem, veſtigiorum ope, res cogitatas in memoria retineri; in ea vero animæ cogitatione, quæ *in dormiente* non percipitur, animam ſeorſim a corpore cogitare, ac proinde eam nullis imaginibus eſſe impreſſam, nec retinere cogitationum memoriam, quoniam organis corporis haudquaquam utitur. Ut nihil ulterius addam de duarum perſonarum abſurditate, quæ ex hac opinione naſcitur, porro reſpondeo, rationi conſentaneum eſſe, ut concludamus, mentem poſſe ideas iſtas omnes abſque corporis adminiculo retinere, quas poteſt abſque illius ope recipere & contemplari, ſecus, haud e re erit animæ, aut ſpiritus cujuſdam in ſeparationis ſtatu, quod cogitandi facultate

quod abſque utilitate in hoc ingenti cogitationum numero anima eſſet occupata, ſi homines haberent eas in non mediocri eorum vitæ parte, & obliviſcerentur adhuc in inſtanti ſuæ excitationis, vel mens niſi confuſo atque manco modo illas ad ſe revocaret. Tum cui bono eſſent tot cogitationes? Videtur, has non majoris uſus homini extare, quam ipſas cogitationes, quas philoſophi ſolent tribuere animæ illius, qui magno profundoque ſomno eſt deprehenſus, & excitatus nullam in ſe notam invenit. Quoad inutilitatem harum cogitationum, neſcio, utrum ejuſmodi ſit, velut Lockius hic declamat. En quod communior experientia contrarium probat. Puer duodecim, vel quindecim verſiculos Virgilii debet apprehendere, ipſe ter quaterve ante ſomnum legit, & illos ſurgente ſole, e ſomno excitatus recitat perbelle. His verſiculis anima, ipſo dormiente, cogitavit unquam? Puer nihil ſcit. Interdum ſi anima, ut cenſeo, poſſe ratione ſuſpicari, cum effectu verſiculos iſtos ruminavit, ſane utilitas iſtis cogitationibus eſſet, etſi non poſſet homo recordari, nec etiam per unum momentum ibidem ſe occupaſſe. (*) *COSTE*.

(*) Hic obſcurum per æque obſcurum demonſtrat. Meditantibus patet.

prædita ſit (108). Si cogitationum ſuarum nullam ha-

(108) Neſcio, quomodo id tuto animo aſſerat Lockius. Hoc permagnæ quæſtionis cenſeo. Non eſt inquirendum, an ſpiritus a corpore ſejunctus, poſitis quibuſdam circumſtantiis, poſſit cogitare, & præterita retinere: tantum eſt hic diſceptandum, an actu id fiat. Continuo actu fieri dicetur? ſequitur ſemper cogitare. Negetur ne? Eſſet ratio ſufficiens, qua hoc, illove tempore id anima nequeat facere. En permagna, complicataque quæſtio. Quonam hæc ratio ſit reponenda? Qua ratione animus nequeat ſemper cogitare? Hac ſuper re ſic arguo. Anima a corpore ſejuncta abſolute per ſe, & quod intendi volo, in ſe in integrum relicta, non habet, niſi potentiam ad cogitandum: actum cogitationis nequit habere. Eſto. Cogitatio nihil eſt aliud„ quam ejuſmodi repræſentatio, cujus anima „ eſt ſibi conſcia „ vel, ut ait Lockius, de quo infra „ actus mentis, quo „ proprias contemplatur ideas „ (*Cap. XIX. hujus lib.*). Supponit ergo actus repræſentationis, quo deficiente ruit actualis cogitatio. Duobus modis fieri poteſt repræſentatio, vel quatenus objecta externa organis ſenſoriis noſtris mutationem excitant, vel quatenus mutationem hanc in ſenſorio communi quaſi repoſitam anima propria vi renovat, & reviviſcit, ſi hi modi deficiunt, deficit repræſentatio, quam ob rem adhuc cogitatio ipſa. Anima ergo a corpore ſejuncta nequit actum cogitationis habere. Ubinam tum eſſent mutationes, vel mutationum ſignacula, ac veſtigia in ſenſorio communi repoſita? Scio, equidem ſcio, nonnullos reſpondere, in ipſamet anima; at vereor, ne in ſententia Lockii ita loquamur (111). Nos demonſtrabimus, animam conficere actum repræſentationis, cernendo duntaxat notas cerebro impreſſas, vel *ſignacula* ab externis objectis productas. Hinc eſt, quod cum evaneſcerent hæc ſignacula, deficeret cogitario. Quam ob rem, ſoluto corpore, omnia in Deo, nec amplius, ut ſcripſit Paulus Apoſtolus, per ſpeculum, & in ænigmare videmus, hoc eſt per analogas mutationes, objectis externis quodam modo reſpondentes, & animæ ſe traditæ, verum de facie ad faciem, per conſequens non recordamur eorum, quæ hac vita peregimus, niſi Deus ea nobis repræſentet, & potentia ſua propemodum reviviſcat. Hinc haud improbabile cenſeo, animam a corpore ſeiunctam, & ſuæ naturæ, atque conſtitutioni ſimpliciter a Deo relictam, indifferentiæ ſtatu gaudere, non differenti modo, ac tot Patriarcharum animæ ante *VERBI* reſurrectionem fuere. Hac ſuper re fuſius infra.

habeat memoriam , ſi in uſus ſuos eas monumentis conſignare , & cum opus fuerit , e memoria , rerum omnium theſauro , expromere nequeat ; ſi ad præterita reſpicere , ſi ratiociniis , & contemplationibus iſtis , quas priſtina experientia docuit , uti neſciat , quorſum prodeſt iſta cogitatio ? qui animam hujus generis ſubſtantiam cogitantem eſſe ſtatuunt , haud majorem ei præſtantiam tribuunt , quam illi , quibus tamen vehementer propterea ſuccenſent , quod dicant , eam nihil aliud eſſe , præter ſubtiliſſimas materiæ particulas . Exarati in pulvere characteres , qui ad primum venti flatum ſtatim evaneſcunt : aut factæ in atomorum acervo , vel ſpiritibus animalibus impreſſiones , ſunt æque utiles , nec ſubjectum , cui inſunt , minus honeſtant , quam cogitationes animæ , quæ in media cogitatione intereunt ; quarum memoria, ut primum provenerunt, æternum deletur. Haud natura voluit , ut res excellentes nullis , aut indignis uſibus inſervirent : nec credibile eſt , infinite ſapientem rerum omnium artificem voluiſſe , præſtantem adeo facultatem, uti eſt cogitativa, facultatem , quæ ad naturæ ſuæ excellentiſſimæ dignitatem proxime accedit , tam male occupatam fore , per quartam ad minimum ætatis partem , ut cogitaret conſtanter , & nullas e cogitationibus iſtis recordaretur , nec ſibimet aut generi humano exinde utilitatis aliquid afferret . Si per rerum univerſitatem oculos circumferamus , videbimus , arbitror , motum inertis materiæ nuſquam adeo caſſum eſſe, aut tam nullis uſibus inſervire.

§. XVI.

Ex hac hypotheſi ſequitur, animam ideas habere, nec a ſenſatione nec reflexione deſumptas, quod non omnino liquet.

FAteor equidem, manere aliquando in memoria rerum perceptiones, de quibus *dormientes* cogitavimus: quam confuſæ vero & male utplurimum inter ſe cohærentes; quam parum ſint conſentaneæ perfectioni & ordini naturæ rationis participis, haud opus eſt, apud eos commemorare, quibus ſomnia ſunt familiaria. Hoc unum libenter ſcire velim, utrum anima, quando ſeorſim ita cogitat, & quaſi ſeparata a corpore (*b*), minus rationabiliter agat, nec

(b) Ego autumo, eos, quos hic Lockius impugnat, nunquam aſſerere voluiſſe, animam eſſe magis e corpore disjunctam, homine dormiente, quam homine vigilante, quoad cogitationes, quæ in ſomno fiunt, etſi, ut volet, tam abſurdæ ſint, atque minoris momenti, non idcirco hic adhærent philoſophi, verum contra Lockium poſſent hi arguere, quod ex ipſis nugatoriis cogitationibus eruitur, animam poſſe cogitationes habere plus, vel minus, ceu tam leviores, ut illas, tempore ſomni confectas; & de eorum gravitate nequiret decidi, ſi nunquam eædem fuere. Ex eo quia, juxta Lockium, cogitationes non ſunt graviores, ſæpe ſæpius evenit, quod ex animo deponantur illæ, e quibus homo tempore ſomni deprehenditur abſque poſſibilitate aliquid eorum revocandi, præter confuſam dubitationem, *ſe cogitaſſe*. Aliquoties unus non recordatur ſomnii, niſi diu poſt excitatus. Hoc ſuppeditat rationem, qua credamus, poſſe fieri, animam ſomniare, & quicquam non retinere, per conſequens habere cogitationes, de quibus nunquam memoriam extare. Id omne non ideo probat, ut cenſeo, animam actu continuo cogitare, vero quidem contra Carteſium, & Lockium concludere, neque poſſe affirmare, neque negare ***animam ſemper continuoque cogitare***: In hac quæſtione, ut exacte diſtincteque percipiatur, requireretur cognitio exacta ac diſtincta de natura animæ, qua nos

nec ne, quam, cum eo conjuncta, ſolet: ſi cogitationes ſeparatæ ſint minus rationales, tunc fateantur neceſſe eſt, animam cogitationum iſtarum perfectionem corpori debere; ſi non debet, nec ipſius cogitationes deteriores ſunt iis, quæ ſimul cum corpore

---

nos omnimode caremus. Aliquid pyrrhonicæ ſectæ non erit, hic fortaſſe, arbitror, ſupervacaneum (*). Hoc internoſcitur ingenue ex opuſculo Anglice conſcripto, cui titulus, *Deſenſio Doct.* CLARKE de *exiſtentia*, *ac attributis Dei*. Hic Auctor loquitur de natura animæ, & ſpeciatim de *extenſione* ejus inquit, „ quod omnis difficultas, quam habet, in concludendo ſuper „ ſuæ extenſionis articulo, ineſſe videtur in incapacitate, in qua „ ſumus, ſervare illud quod dicitur cogitatio, & in quo- „ nam hæc vere conſiſtat. Si eſſet, pergit ille, animæ opera- „ tio, non vero eſſentia, quod autumo permagne verum, non „ videretur unquam, ut Lockius fuit opinatus, quod *cogitatio* „ animæ eſſet ut *motus* corpori, quoniam operatio poſſet eſſe, „ quæ nunquam ceſſaret „. Quod poſterius argute probat auctor, & demonſtrat modo, quo ſubjectum ipſum permittit. Tandem concludit. *Quod ſcire, an continuo cogitet anima, queſtio eſt valde diſputabilis, & queſtio eſſe poteſt, nullo modo nobis reſolvenda*. Ex eo quia complures extant Anglicano idiomate callentes, permagne referre puto, hic vera Auctoris verba recenſere. *The whel difficulty whether a Thinking Bergis extended or no, ſeeems to ariſe from our inability in conceiving What Thinking is, & wherenit conſiſts. That it is an operation of the Soul, & not its eſſence. I thinck is pretty certain, tho it dos not appear to be as Motion is tho the Body: as Mr. Locks ſuppoſes. Fon it may be an operation which cannet cauſe, & vill appear to be very likely ſo upon conſideration ... Whether the ſoul always thinks, is a very diſputable queſtion, & perhaps incapable of being determined*. (*pag.* 44. 45.) *COSTE*.

(*) Hoc modo argumentando quoad animæ naturam ad Lockium accedamus. Dubitandum quoque eſſet, an cogitatio materiæ repugnet. Ceteroquin, nos ita ratiocinia conficientes de reliquis mentis operationibus deberemus dubitare, nec de eis verba facere. Verum, quoties nobis innoteſcit aliquid alicui repugnare, etſi non internoſcamus hujus, vel illius naturam, tamen poſſumus aſſerere, unum alteri non convenire. Non diverſimode hic eſt argumentandum, per conſequens Reflexionem Domini Coſte parvi momenti eſſe, arbitror.

concipit, mirum eſt, ſomnia noſtra maxima ex parte adeo inepta eſſe, & a ratione aliena; atque animam nihil retinere iſtorum ſoliloquiorum & meditationum rationi maxime congruentium, quæ in ipſa formantur ſine corporis interventu.

§. XVII.

Si quando cogito, id neſcio, haud alius id ſcire poteſt.

QUi animam ſemper actu cogitare confidenter affirmant; velim oſtenderent, quales ſint ideæ iſtæ, quæ in animo ſunt infantuli, antequam cum corpore uniuntur, vel in eo ipſo, quo unio iſta perficitur, temporis articulo, priuſquam aliquas per ſenſationem receperit (*c*). Dormientium *ſomnia*, ut mihi videtur, *ex illis ideis, quas iidem homines habuerunt vigilantes*, *conficiuntur*, etiamſi iſtæ utplurimum inter ſe ordine præpoſtero diſpoſitæ ſint. Mirum eſt, ſi anima proprias *ideas* habeat, quas neque ſenſationi, nec reflexioni acceptas refert, (prout neceſſario haberet, ſi prius cogitaſſet, quam aliquid ipſi eſſet a corpore impreſſum (109)) eam nunquam, in

(c) Puer antequam corpus habeat, puer non eſt, per conſequens a tempore quo haber animam, hæc eſt cum corpore actualiter conjuncta. Scire, an anima extiterit priuſquam anima pueri eſſet, quæſtio eſt, quæ, ut cenſeo, philoſophiæ non intereſt. Illi, contra quos ait Lockius, poſſent abſque contradictione dicere, animam cogitare ſtatim ac corpori conjungitur, nec non eidem per ſenſationem ideas venire. *COSTE*.

(109) Satis luculenter. Nec valet hic reſponſio Domini Coſte modo allata, concipi enim debent duo actus diverſi, & ille creationis animæ, & ille unionis iſtius cum corpore. Sit, quantumvis hic actus immediatus, ſemper inſtans indiviſibilis, in quo anima e nihilo trahitur, non eſt idem, ac ille, in quo in corpore ponitur, per conſequens etſi ſecundus actus immediate conficiatur, eſt hoc non obſtante a primo diverſus.

in privatis & particularibus cogitationibus (quæ ſecretæ adeo ſunt, ut homo ipſe eas non animadvertat) nihil illarum retinere in eo temporis puncto, quo expergiſcitur, quæ hominem, propter novum aliquod inventum, gaudio afficerent. Quis rationi conſonum eſſe dicet, ut anima, durante ſomno, in receſſu ſuo, per tot horas cogitaret, & tamen in nullas incideret ex iſtis *idéis*, quas neque a ſenſatione aut reflexione mutuata eſt, aut ſaltem non aliarum memoriam conſervaret, niſi talium, quæ a corpore ortæ, enti ſpirituali minus ſunt naturales? Mirum eſt, animam ne ſemel quidem per vitæ totius curriculum, ullas e puris ſuis, germaniſque cogitationibus, aut ideis iſtis in memoriam revocare, quas prius habuit, quam aliquid a corpore mutuata eſt; eam vigilanti ideas nullas ob oculos ponere, præter eas, quæ fæces corporeas olent, & plane ab unione iſta cum corpore oriuntur. Si ſemper cogitat, atque ita ante iſtam unionem *ideas* habuit (*d*), vel antequam aliquas a corpore accepit, neceſſe eſt, ut, durante ſomno, proprias & nativas ſuas *ideas* contempletur, ac iſto temporis ſpatio, quo a communione corporis ſegregata eſt, & ſeorſim cogitat, ideæ, circa quas verſatur, aut ſaltem maxime germanæ aut congenitæ iſtæ, quas in ſe antea habuit, tales eſſe debent, aut certe interdum, quales haud oriuntur e corpore: quoniam vero vigilans illarum nunquam meminit, ex hac hypotheſi concludendum eſt, aut animam aliquid recordari, quod homo non facit

(d) A continua in homine animæ cogitatione, non ſequitur quod anima ante ſuam unionem cum corpore ideas habuiſſet, quoniam potuiſſet incipere ſua exiſtentia, tempore quo corpori conjuncta fuit, & ſi non animi fallor, hæc eſt majoris philoſophorum partis opinio, quam Lockius hoc capite impugnat (*). *COSTE*.

(*) Reſpondetur modo enunciato (107).

cit (110) ; aut memoriam ad eas ſolummodo ideas pertinere , quæ fluunt e corpore , aut mentis operationibus circa illas.

§. XVIII.

Unde ſcit aliquis , animam ſemper cogitare ? niſi enim propoſitio ſit per ſe clara , probationis indiget.

Lubens etiam ab iis diſſere vellem , qui ad ravim usque clamitant , animam humanam , aut , quod idem ſonat , hominem ſemper cogitare , unde illud ſciant , imo , *unde compertum habeant* , *ſe cogitare , quando ipſimet haud illud percipiant*. Vereor , ne hoc ſit demonſtrationem habere , ſine argumentis ; & ſcire , abſque perceptione : ſuſpicor hanc confuſam eſſe notionem , ideo ab illis arreptam , ut hypotheſi ſubſerviat ; & non unam e claris iſtis veritatibus eſſe , quibus propria ipſarum evidentia fidem conciliat , quaſque , propter crebra experimenta , impudentiæ eſſet aſpernari . Dicent , quod caput eſt & ſumma hujus argumenti ; poſſibile eſſe , ut anima ſemper cogitet , nec tamen rem cogitatam in memoriam teneat : mihi dicere fas ſit , æque poſſibile eſſe ut anima non ſemper cogitet (*e*) ; & eſſe proba-

(110) Si cogitat, nec ſpatietur in ideis per ſenſus acquiſitis, tum adnotat, renovatque quod per ſenſus non habuit, per conſequens recordatur de eo, quod homo non fecit.

(e) Si Lockius volebat ſe adhærere huic ſpeciei pyrrhoniſmi, quod hac de re analogum rationi videbatur , major argumentorum pars , quæ hic affert , nimis probarent , nam illa perinde omnia tendunt ad probandum , *non ut probabile* , ſed ut prorſus verum, animam hominis continuo non cogitare. Quid enim reſpondiſſet Lockius, ſi aliquis ei dixiſſet, quod vi ſuæ doctrinæ, hominem inſtante ante dormiendum non cogitare ? Nam nequit homo

babilius, animam interdum non cogitare, quam quod cogitet ſæpe, idque per tempus diutinum & continuum, & momento proxime ſequenti ſe cogitaſſe, non ſibi conſcia ſit (111).

§. XIX.

---

homo inſtantem hunc ab illo, qui ſequitur immediate, diſtinguere. Juxta Lockium, cogitat homo dum vigilat, nec unquam cogitat, quod perſuaſus non ſit, ſe cogitare; per conſequens nunquam cogitat, quod non internoſcat tempus ſuæ cogitationis, & diſtinguat ab illo, in quo non cogitet, quod juxta Lockium accidit, quando homo profundo ſomno corripitur. Neſcio, an quæſtio hæc valde acuta ſit, verum minor eſt ea, quæ a Lockio fit contra aſſerentes, animam ſemper actu cogitare, quando dixit ille initio §. huic anterioris, ſe ab eis ſcire velle, ecquæ ſint ideæ in anima infantuli ante unionem cum corpore? (*) *COSTE*.

(*) Fatendum eſt, hoc argumentum valere, ſi poneretur, animam percipere, & perſuaſam eſſe, ſe cogitare, non tantum actu in quo cogitat, ſed adhuc actu ipſo peracto; non ita ſi tantummodo conſideratur momentum cogitationis, nam hoc elapſo poteſt obliterari omnis cogitationis nota (105). Ante momentum ſomni cogitamus languidius, & hoc peracto nihil de ea cogitatione amplius recordamur.

(111) Falſum, quod pati hic reſpondetur. Qui autumant, animam ſemper & continuo cogitare, hoc aſſerunt non utpote poſſibile, ſed utpote neceſſarium. Juxta eorum mentem, ut aperte ait Carteſius, eſſentia animæ poſita eſt in cogitatione, ergo ſequitur, quod ſemper debeat cogitare. En argumentum. Cujuſcunque rei extare debet nota exiſtentiæ, aliter nihil & res eſſet unum & idem. Nullam invenimus notam in ſpiritu præter cogitationem, ergo cogitatio cum ſpiritu ſemper, & continuo debet eſſe. Præterea, ſi ſemper & continuo non cogitaret, oporteret, quod mens tranſiret a ſtatu cogitationis ad ſtatum incogitantiæ, & contra; ergo fit hoc, vel ipſa mentis natura, vel objecto externæ alterius cauſæ. Primum eſſe nequit; nihil ad ſpiritum acceſſit, vel amotum fuit, ergo debet ille, eundem ſervare tenorem; non poſterius, nam ſecus eſſet Deus, vel corpus, non Deus quia origo eſſet cogitationum, quod dici nequit, etſi ſua abſoluta potentia hoc fieri poſſe, non negamus; non corpus, quia agere nequit in mente, ergo nullo modo anima tranſ-

§. XIX.

Ut homo cogitando ſit occupatus , & tamen proximo deinde momento ejus obliviſcatur , valde improbabile eſt .

QUi volunt animam cogitare , hominem vero non illud percipere , unum , ut dixi , in duas perſonas diſtrahunt : & ſi illorum loquendi de hac re formulam diligenter conſideraverimus , illos ita facere ſuſpicabimur . Qui enim dicunt , animam ſemper cogitare , haud unquam aſſerunt , quod ego quidem

---

tranſire poteſt a ſtatu cogitationis ad ſtatum incogitantiæ . Hactenus argumenta eorum, qui contendunt , ſemper & continuo animam cogitare . Ergo non tanquam poſſibile , ſed tanquam neceſſarium ab iis habetur . Quid interim dicemus ? En mea opinio . Ad primum argumentum ſic reſpondeo . Non actualis , ſed potentialis cogitatio eſt nota exiſtentiæ animæ , ſufficit ad animam conſtituendam vis cogitandi , etſi non eſſet cogitatio . (100. uſque ad 106.) . Ad ſecundum . Objecta externa , ſcimus , eſſe quæ ſuppeditent materiem cogitationis , attamen ignoramus modum , quo id fiat . Ratione dubito, ut infra enodabimus, an anima pueruli adhuc in utero clauſi cogitet , vel ſaltem ultra ea quæ ab impreſſionibus mechanicis , ſcilicet a motu fluidorum , ac ſolidorum , quibus vivit , & ſunt producta a rebus nonnaturalibus matris ſuæ . Poſſumus ne rationem , quam tam arctiſſimum , manifeſtumque commercium inter animam & corpus obſervamus , luculenter enodare , atque percipere ? Nec etiam modum, quo cauſa objecti extrinſeci a ſtatu incogitantiæ ad ſtatum cogitationis tranſeat . Status enim cogitationis non eſt animæ noſtræ naturalis , ſed potius incogitantiæ . Aliquid aliud requiritur ut cogitemus . Hæc eſt ratio , qua ſtupidi remanent qui a rebus externis , accidentibus , educatione , commercio non fuerunt perpoliti , & quodam quaſi modo ad cogitandum coacti . Intellectus conſtituit animam . Quid aliud eſt , quam facultas ſibi diſtincte repræſentandi res ? Si deficiunt res, quid ergo ſibi repræſentare debet ? & ſi non repræſentat, quid cogitat ? Per conſequens ſufficit ad conſtituendam animam facultas cogitandi, vel quod idem ſonat, potentialis , non actualis cogitatio.

dem meminerim, hominem ſemper cogitare. Poteſtne anima ſemper eſſe cogitans, & homo non item? aut homo cogitare, & non iſtius conſcius eſſe? hoc in aliis, fortaſſe, *ineptiarum* argueretur. Si dicunt, hominem ſemper cogitare, at non ſemper iſtius conſcium eſſe; perinde eſt, ac ſi dicerent, corpus eſſe ſine partibus extenſum. Qui hoc modo loquuntur, eadem ratione dicere poſſent, ſi modo ad hypotheſin id neceſſarium eſſet, hominem ſemper eſurire, non vero ſemper ſentire famem: cum tamen fames in ea ſenſatione juxta conſiſtat, ac cogitatio in eo, ut quis cogitationis ſuæ conſcius ſit. Si dicant, hominem, ſe cogitare, ſemper ſibi conſcium eſſe; rogo, unde illud ſciunt? τὸ conſcium eſſe, eſt illud percipere, quod intus in animo agitur. Poteſtne alius percipere, me rei cujuſdam eſſe conſcium, cum ipſemet haud illud percipiam? In hoc caſu nullius cognitio ſuam ultra experientiam extenditur. Expergiſcatur aliquis altum dormiens, & interrogetur de qua re iſto momento cogitaverit. Si ipſemet nullius cogitationis conſcius ſit, oportet, ut in rimandis cogitationibus alter acutiſſimus ſit, qui ipſi perſuadere poteſt, eum tunc fuiſſe cogitantem: annon major eſt ratio, ut quis, ipſum plane non dormiviſſe, fidem illi facere conaretur? Hoc aliquid eſt, quod limites philoſophiæ tranſcendit, nec aliud quid, præter revelationem, poteſt alteri aperire cogitationes in animo meo, cum ipſemet nullas ibi reperiam: atque fieri non poteſt, quin illi oculatiſſimi ſint, qui me cogitare perſpiciunt, cum ipſemet illud cernere nequeam, imo cum contrarium affirmem (*f*); qui tamen cernere poſſunt, nullam in canibus, aut elephantibus

---

(f) Lockium hic reſpicere Carteſium ac ſuas aſſeclas, evidenter videtur. *COSTE*.

tibus ineſſe cogitationem, etiamſi omnibus ferme aliis argumentis contrarium evincitur, excepto quod, ſe cogitare, palam nobis verbis facere nequeant. Dicent fortaſſe nonnulli, majorem hanc eſſe inſaniam, quam quæ in lymphatica Hermeticorum Philoſophorum gente ridetur; facilius enim aliquis ſe aliis inviſibilem præſtet, quam alterius cogitationes mihi palam ante oculos ponat, quæ tamen ipſimet haud apertæ ſunt. At definitur anima *ſubſtantia cogitans*, dirimitur itaque lis, controverſiiſque ſuperſedendum eſt. Si definitio iſta aliquid habeat momenti, iſte videtur mihi eſſe uſus ejus, movere nempe quibuſdam ſuſpicionem, ſe animarum eſſe expertes, cum videant, ætatis haud partem exiguam abſque cogitatione tranſigi. Nullæ enim, quod certiſſime ſum perſuaſus, definitiones, nulla ullius philoſophorum ſectæ dogmata illud evertere poſſunt, quod longa & conſtans experientia abunde docuit. Et profecto magna nimiæ arrogantiæ ſignificatio eſt, ſi plura ſcire volumus, quam revera poſſumus percipere; id quod tantis turbis, atque tam vanis diſputationibus anſam præbuit.

§. XX.

§. XX.

Nullas eſſe ideas niſi per ſenſationem aut reflexionem, manifeſtum erit in pueris.

HAud rationem itaque video, cur crederemus (*g*) *animam cogitare*, *priuſquam ideæ, quæ ſunt materia cogitationum, ipſi a ſenſibus ſuppeditantur*; & prout iſtarum numerus augetur & ipſæ conſervantur; ita fit, ut frequenti exercitatione cogitandi facultatem, in omnibus partibus ſuis excolat, haud ſecus ac poſtea, *ideas* iſtas componendo, & ſuas contemplando operationes, auget ſupellectilem ſuam, ſicut etiam facilitatem in recordando, imaginando, ratiocinando, & reliquis cogitandi modis ſibi hac re conciliat.

§. XXI. Qui obſervatione & experientia magiſtra ſe erudiri dignabitur, & non excogitatam a ſe hypotheſin naturæ normam & regulam eſſe contendet, in infante *recens* nato animæ ipſius cogitationibus aſſuetæ rara admodum veſtigia reperiet, cujuſdam vero

ro

(g) Ipſo momento, in quo anima corpori conjungitur, ſenſus, propter impreſſionem ab objectis externis receptam, poſſunt ideas ſuppeditare, & ea impreſſio ſic animæ communicata (*) producit id quod *perceptionem* vel *cogitationem* appellamus. Qui credunt, animam ſemper & continuo cogitare, hoc debent defendere Philoſophi nimis in hoc reſoluti, at Lockius eos impugnat, argumentis non ſatis demonſtrativis, ut hactenus libere demonſtravit. *COSTE*.

(*) Repeto quod dixi: Supponere, impreſſionem objectorum externorum animæ communicari, eſt idem quam ſupponere, animam eſſe materialem. Ut fiat impreſſio requiritur capacitas ſubjecti ad impreſſionem recipiendam. Hactenus non obſervavimus, neque poſſumus concipere capacitatem hanc præter in corpore. Ut fiat impreſſio debet mutari forma alicujus ſubjecti, alioquin eſt nulla, per conſequens debent mutari partes.

ro ratiocinationis longe pauciora (*h*). Concipi tamen vix poteſt, quomodo anima cogitet indeſinenter, ratiocinetur nunquam. Qui cum animo ſuo conſideraverit, infantulos recens natos, maximam partem temporis in ſomno tranſigere, & raro eſſe eo ſolutos, niſi cum fames mammas appetit, aut dolor aliquis, (ſenſationum omnium longe importuniſſima) aut quævis alia *idea* moleſta, mentem percipere, atque iſti attentam eſſe, ſubigit. Qui hoc, inquam, conſideraverit, rationem videbit, cur credat, *parum intereſſe inter fœtum in utero matris & aliud vegetabile* (112); fœtus enim maximam illius temporis, quo adhuc in matris utero habitat, partem abſque perceptione, aut cogitatione agit, nec aliud quid ipſi incumbit, niſi in loco dormire, ubi de cibis parandis haudquaquam eſt ſollicitus, verum liquore circumdatur, ſemper æquabiliter molli, & ejuſdem ferme temperamenti: ubi oculi luminis ſunt expertes, atque aures ita ſunt occluſæ, ut ſonos recipere nequeant; atque

---

(h) Neſcio quo Lockius hic miſceat cum cogitatione ratiocinium. Hoc non valet quam ad quæſtionem magis complicandam. Verum eſt, infantem tempore ſui ortus cum candelam accenſam vidiſſet, habere ideam luminis, quapropter cogitat tempore quo lumen candelæ videt. Ille dubitat, conficere de lumine ratiocinium, at nequit hic dubitare, quod eo tempore, quo ſpiritus ab illa perceptione eſt percuſſus, non cogitet. Idem dici debet de reliquis perceptionibus. *COSTE*.

(112) Errat ſane. Vegetabile ſuſtinet mutationes, at non ſentit, nec eas percipit; non ſic pueruli, etiamſi in utero matris extent Adeſt illis anima vel non. Si non, non eſt de perceptione diſceptandum; ſi extet, natura iſtius entis eſt percipere mutationes in organo ſenſorio excitatas. Deficiunt aures, oculi? remanent & alii ſenſus, olfactus ſcilicet, guſtus, tactus, ope quorum transferuntur ad animam, ut ita dicam, mutationes a fluidis & a ſolidis ſuſceptæ (109). Immo mihi probabile videtur, illo temporis exordio pueruli aſſueſcant ſe ad cogitandum, & forſan ad ratiocinandum at lente, obſcureque de habitis perceptionibus id fieri.

atque ibi rara admodum, aut nulla eſt objectorum varietas, qua ſenſus jucunditate perfundantur (113).

§. XXII. Sectemur parvulum inde a primo ortu, &, quas efficiat tempus mutationes, animadvertamus, videbimus, mentem magis expergefieri, prout, ſenſuum adminiculo, idearum, quas recepit, numerus in majus augetur; ejuſque cogitationes augentur, prout augentur ea, quæ præbent materiam cogitationibus. Poſt aliquod tempus, objecta ea cognoſcere incipit, quæ per familiariſſimam conſuetudinem ſpecies ſuas intus in ejus mentem ſignarunt. Hoc modo paulatim cognoſcit homines, quibuſcum quotidie conſueſcit, eoſque a peregrinis diſtinguit; quod exinde contingit, quia anima conſervat, & ideas iſtas diſtinguit, quas haurit a ſenſibus: hinc obſervare licet, quomodo anima in hiſce gradatim excolatur, & hinc altius nitatur ad exercitationem aliarum facultatum, nimirum ampliandi, componendi, & abſtrahendi ideas ſuas; & cir-

(113) Luculentiſſima hic utitur contradictione, differt ne a vegetabili propter perceptionum privationem? ergo admitti debet tum nullam habere mutationem in ſuo corpore; ſi habet, eſt concederdum, habere quoque perceptiones. Ideæ inſunt homini, factis impreſſionibus cuidam corporis parti, quomodo per conſequens dici poteſt, puerulos & vegetabile eſſe unum & idem, vel penes idem? Si reſpiciatur ad numerum perceptionum, quæ tractu temporis commercio, & uſu acquiruntur, ille perceptionum, quæ puerulis in utero matris clauſis inſunt, ſane perexiguus eſt, at una ſenſatio, una perceptio ſufficit ad conſtituendum diſcrimen inter vegetabile & hominem deprehenſum. Ulterius, quis audet decernere extenſionem mutationum in fœtu exiſtentium? Quis præſcribere gradus intenſitatis? Quis poteſt inficiari, quod quælibet mutatio exorta ideam novam non excitaret, & hæc ab alia ejuſdem naturæ ratione intenſitatis non differret? Quis interim ſcire modos mutationum? Quis ergo internoſcere quot ſint ideæ & perceptiones, nec non qua natura, & differentia extent?

circa illas ratiocinandi, atque retro in hæc omnia reſpiciendi, de quibus fuſius tractandi anſa mihi poſt dabitur.

§. XXIII. Si quis interrogaverit: *quo tempore ideæ in homine eſſe incipiunt?* reſpondetur, quamprimum aliquam habet *ſenſationem*. Quoniam enim haud conſtat, ullas eſſe *ideas* in mente, priuſquam per ſenſus intromittantur, cenſeo *ideas* in mente eſſe ejuſdem ætatis cum *ſenſatione*; quæ eſt impreſſio aut motio, ita in aliqua corporis parte facta, ut perceptionem aliquam in mente producat (114).

§. XXIV.

Omnis noſtræ cognitionis origo.

IMpreſſiones itaque, factæ in *ſenſibus* noſtris ab objectis externis, quæ menti ſunt extranea, atque ipſius mentis *operationes* circa has impreſſiones, in quas ipſa, tanquam contemplatione ſua dignas, aciem ſuam *retroflectit*, mihi videntur *fons* eſſe, & origo omnis cognitionis; atque humani intellectus prima potentia in eo conſiſtit, quod mens apta nata eſt ad impreſſiones omnes recipiendas, quæ in eam fiunt, vel ab objectis externis per ſenſus, vel ſuis ipſius operationibus, quando eas acie *reflexa* contemplatur. Atque hic primus eſt gradus, quo ad rei cujuſvis notitiam pervenitur, atque fundamentum notionum omnium, quas in hoc ævo naturaliter & proprio marte adipiſcimur. Omnes iſtæ cogitationes ſublimes, quæ in altum ſupra nubes feruntur, & ad cælos uſque penetrant, hinc originem ducunt: in immenſo iſto campo, quo mens longe lateque vagatur, in remotis iſtis ſpeculationibus, quibus videtur in altum fer-

(114) Repetit quod pluries dixit.

ferri, haud pedem unum ab *ideis* iſtis diſcedit, quas *ſenſus* aut *reflexio*, contemplationi ſuæ objecit (115).

§. XXV.

Intellectus in ſimplicibus ideis recipiendis ut plurimum paſſivus eſt.

IN hoc caſu intellectus eſt pure paſſivus; nec penes eſt iſtum hæc principia, & quaſi materiam cognitionis, pro arbitrio ſuo eligere, aut aſpernari. Pleraque enim ſenſuum objecta, nobis renitentibus, particulares *ideas* mentibus noſtris obtrudunt: nec licet nobis per operationem mentis, obſcuris ſaltem quibuſdam iſtarum notionibuus vacare. Nemo, dum cogitat, iſtius, quod agit, penitus ignarus eſſe poteſt. Haud magis intellectui liberum eſt, ſimplices haſce ideas rejicere, cum animo proponuntur, nec alterare aut delere impreſſas, atque novas intus in ſe excitare, quam ſitum eſt in poteſtate ſpeculi aſpernari, mutare, aut obliterare i magines aut *ideas*, quæ a poſitis coram objectis in eo producuntur; prout corpora, quæ circum nos ſunt, ſenſus alio atque alio modo afficiunt, mens

(115) Fortiter de neceſſitate perceptionum fuit diſputatum: major pars concluſum habet, mentem habere perceptiones, tamquam motionibus phyſicis conſecutivas. At neſcio quo modo hoc ſenſu poſſit facultas mentis explicari. Juxta Lockium tum eſt intellectus pure paſſivus. Sic quoque ait Bilfigerus. „ Poſitis conditionibus ad ſentiendum neceſſariis, organo, objecto, „ & medio recte conſtitutis, non eſt penes mentem, an velit „ admittere ſenſationem, habet illam neceſſario, non eſt penes „ illam qualem ſenſationem eſſe, velit „ (*V. dilucid. p.* 242). Hoc poſito, mens nihil agit, per conſequens recipit, non format. Sunt qui diſtinguunt ſenſationes in neceſſarias ratione eſſentiæ & qualitatis, & in liberas ratione præliminarium (*V. Baum. inſtit. met. cap. III. Pneumat.* §. 507. *pag.* 142.). At de hoc luculentius infra diſputabimus.

mens impreſſiones neceſſario ſuſcipit, atque annexas iſtis *ideas* non poteſt non percipere (116).

CAP. II.

De ideis ſimplicibus.

§. I.

Species non compoſitæ.

UT cognitionis noſtræ naturam, modum, & amplitudinem accuratius intelligamus, unum circa ideas noſtras diligenter obſervandum eſt; *alias* nimirum illarum *ſimplices eſſe*, *alias compoſitas*.

Etiamſi qualitates, quæ ſenſus afficiunt, ſunt in rebus ipſis adeo conjunctæ, & inter ſe complexæ, ut nulla inter eas intercedat ſeparatio, aut intervallum; manifeſto tamen patet, *ideas*, quas in mente producunt, ſimplices & ſine ulla miſtura in ſenſus ingredi. Licet enim viſus & tactus ſæpe ab eodem objecto, eodem tempore, diverſas ideas ſimul in ſe recipiat; uti homo motum & colorem ſimul cernit; atque manus in eadem cera mollitiem & calorem ſimul perſentit: attamen ſimplices *ideæ* in eodem ſubjecto hoc modo conjunctæ, æque plane diſtinctæ ſunt, ac illæ, quæ diverſos per ſenſus ingrediuntur. Fri-

(116) Adnotandum, quod ſola reflexione non habetur idea tanquam ab extrinſeco, ut hic a verbis auctoris poteſt deſumi. Dicitur tantum, quod ope reflexionis, novas poſſet conficere ideas; hoc eſt annotare, diſtinguere quod prius confuſe, male perciperetur, & novas quaſi exurgere ideas.

Frigiditas quippe & durities, quam quis in glacie ſentit, ideæ ſunt æque in mente diſtinctæ, ac odor & albedo lilii, aut ſapor ſacchari, & roſæ odor: nec quid homini poteſt magis eſſe perſpicuum, quam ea, quam in ſe habet, ſimplicium iſtarum idearum clara & diſtincta perceptio, quarum ſingulæ cum ſint incompoſitæ nihil in ſe continent præter *unam uniformem ſpeciem aut conceptum in mente*, nec in plures *ideas* diſtingui poſſunt.

§. II.

Mens eas neque efficere, nec delere poteſt.

SImplices iſtæ *ideæ*, quæ omnis noſtræ cognitionis materiam in ſe complectuntur, duobus tantum modis ſuperius memoratis, *ſenſatione* nimirum & *reflexione* menti ſuggeruntur. Cum intellectus ſimplicibus iſtis *ideis* ſemel inſtruitur, poteſt eas denuo repetere, inter ſe comparare, & varietate propemodum infinita unire, atque ita, pro lubitu ſuo novas *ideas* complexas efficere. Haud penes tamen eſt quempiam, in quo etiam vel acerrima eſt ingenii vis, per animi aut cogitationis motum celerrimum *excogitare aut in mente formare ſimplicem unam novam ideam*, quæ non, duplici hoc ſuperius memorato modo, introiit (117): nec poteſt intellectus vis aliqua eas *delere*, quæ intromiſſæ ſunt. Hominis enim dominatio in anguſto iſto intellectus ſui regno parum ab ea diſcrepat, quæ in rerum viſibilium ingenti mundo cernitur; in quo vis ejus utcunque arte & ſolertia ſit adjuta, non ad aliud quippiam pertinet, præterquam

 rerum

(117) Hæc eſt operatio mentis, quæ dicitur reflexio, ope cujus erui poſſunt novæ ideæ, at ideis a ſenſibus habitis innixæ.

rerum materialium, quas, ante factas, ad manum habet, compoſitionem & diviſionem (118); novæ autem materiæ ne minimam quidem particulam creare, neque prius creatæ atomum unam annihilare poteſt. Similem in ſe impotentiam experietur quiſquis conabitur in intellectu ſimplicem quandam *ideam* fingere, quæ non fuerit per ſenſus ab objectis externis: aut mentis ſuæ operationibus circa ea recepta. Velim, ut quis ſaporis cujuſdam ſenſum, quo palatum nunquam antea afficiebatur, in ſe excitatum iret; aut odoris, qualem unquam odoratus fuerat, ideam ſibi formaret: hæc cum perfecerit, fatebor, eſſe in cæco colorum ideas, & in ſurdo veras & diſtinctas ſonorum notiones.

§. III. Hæc ratione licet haud impoſſibile eſſe credamus, ut Deus animal crearet, aliis organis præditum, aut modis rerum corporearum notitias in intellectum intromittendi, præter vulgo receptos quinque iſtos ſenſus, quos homini attribuit; (i) credimus ta-

(118) Duriſſima potius, ſi labetur per experientias. (*V. atti dell' Accad. del Cim.*)

(i) Hoc omne modo ſuo explicat Montagna, & cum curioſus ſatis ſit, etſi aliquantulum perlongum articulum hoc propriis verbis in integrum referam „ La premiere conſideration, dit-il, que j'ai ſur le ſujet des ſens, eſt que je mets en dout que l'homme ſoit pourvu de tous ſens naturels. Je vois pluſieurs animaux qui vivent une vie entiere & parfaite, les uns ſans la vue, les autres ſans ouie: qui ſait ſi á nous auſſi il ne manque pas ancore un, deux, trois, & pluſieurs autres ſens? Car ſi il ne manque quelqu'un, notre diſcours n'en peut decouvrir le défaut. C'eſt le privilege des ſens, d'etre l'extrême borne de notre appercevance: il n'y a rien au delà d'eux, qui nous pouiſſe ſervir à les découvrir: voire ni l'un des ſens, ne peut deſcouvrir l'autre.

An poterunt oculos nares reprehendere, an aures
Tactus; an hunc porro tactum ſapor arguet oris,
An confutabunt nares, oculive revincent?

Ils

tamen, haud *poſſibile eſſe* cuipiam, in corporibus qualitercunque affectis, alias *concipere* qualitates, quibus innoteſcere poſſunt, præter ſonos, ſapores, odores, viſibiles, & tangibiles qualitates. Et ſi homines in creatione quatuor tantum ſenſibus præditi fuiſſent, in eo caſu qualitates, quæ ſenſus quinti ſunt objectum, a noſtra notitia & conceptu adeo alienæ & ſemotæ forent, ac poſſibile eſt nunc, quaſdam qualitates adhuc dari, quæ pertinent ad ſextum, ſeptimum, aut octavum ſenſum; cujuſmodi ſenſus in aliis quibuſdam animalibus uſquam, per immenſam hanc rerum univerſitatem reperiri poſſe, haud auſim inficiari. Qui ſibimet ipſe, ad rerum omnium faſtigium perveniſſe, arroganter haud ſumſerit, verum machinæ hujus immenſitatem, & ingentem iſtam rerum varietatem, quæ in anguſta iſta regiuncula reperiuntur, in qua ipſe commoratur, æquo conſideravit animo; haud difficulter adducetur, ut credat, poſſibile eſſe, in aliis iſtius univerſi regionibus, alia eſſe & longe diverſa entia intelligentia, quarum facul-

T 3

Ils ſont treſtous la ligne extrême de notre faculté. Que ſait-on, ſi les difficultés que nous trouvons en pluſieurs ouvrages de nature, viennent du défaut de quelques ſens? Et ſi pluſieurs effets des animaux qui excedent notre capacité, ſont produicts par la faculté de quelque ſens que nous ayons à dire? Et ſi aucuns d'entr'eux ont une vie plus pleine par ce moyen, & plus entiere que la notre? Nous ſaiſiſſons le pomme quaſi par tous nos ſens: nous y trouvons de la rougeur, de la poliſſur, de l'odeur, & de la douceur: outre cela elle peut avoir d'autres vertus, comme d'aſſeicher ou reſtraindre, auſquelles nous n'avons point de ſens qui le puiſſe rapportet. Les propriétés que nous appellons occultes en pluſieurs choſes; comme à l'aimont d'attirer le fer, n'eſt-il pas vraiſemblable qu'il y a des facultés ſenſitives en nature propres à les juger, & à les appercevoir, & que le defaut de telles facultés nous apporte l'ignorance de la vraie aſſence de telles choſes? (*V. Eſſais, tom. II. liv. II. Chap. XII. pag. 562. & 565. Ed. de la Haye, 1727.*)

cultates ipſi haud magis cognitæ ſint, quam ſenſus & intellectus hominum ſunt vermiculo in capſulæ cellula quadam incluſo; cum tanta ejuſmodi varietas, & præſtantia ſit ſummi artificis ſapientiæ, & potentiæ maxime conſentanea. Hinc communem ſecutus ſum opinionem, quæ quinque tantummodo ſenſus homini tribuit, plures fortaſſe numerari poſſent, utraque vero ſuppoſitio noſtro huic inſtituto æqualiter inſervit.

CAP. III.

De ideis unius ſenſus.

§. I.

Diviſio idearum ſimplicium.

UT *ideas*, quas a ſenſatione recipimus, accuratius concipiamus, conſentaneum erit, ut eas conſideremus, prout mentem alio atque alio modo ſubeunt, & ſemet nobis percipiendas offerunt.

Primo itaque, quædam ſunt, quæ per unicum tantum ſenſum in mentem incurrunt.

Secundo, aliæ ſunt, quæ per plures ſenſus mentem ſubeunt.

Tertio, aliæ a *reflexione* ſola oriuntur.

Quarto, aliæ ſunt, quæ viam ſibimet aperiunt, & menti ſuggeruntur *per omnes modos ſenſationis & reflexionis*.

Nos ſingulas ſeorſim ſub diverſis hiſce capitibus tractaturi ſumus.

Ideæ

Ideæ ſenſus unius.

Primo, quædam ſunt *ideæ* per unicum tantum ſenſum *admiſſæ*, qui ad eas recipiendas peculiariter aptatus eſt. Hoc modo lumen & colores, album nempe, rubrum, flavum, cæruleum; una cum intermediis & ab iis intermiſtis coloribus, uti viride, coccinum, purpureum, praſinum, &c. per oculos tantum intro-eunt: ſapores & odores diverſi per nares, & palatum. Et ſi organa hæc, aut nervi, qui ſunt canales, per quos extrinſecus deferuntur ad auditorium cerebri, quod (ſi modo ita loqui liceat) mentis *prætorium* eſt, ita forte quovis modo lædantur, ut nequeant muneribus fungi, in eo caſu nullum habent poſticum, per quod mentem ſubire liceat; nec via ulla reliqua eſt, per quam dare ſemet in conſpectum, & ab intellectu percipi poſſint.

Præcipue illarum, quæ ad tactum pertinent, ſunt calor, frigus, & ſoliditas; reliquæ omnes non niſi in ſenſibili configuratione, ut lævitas & aſperitas, aut magis minuſve firma partium adhæſione, ferme conſiſtentes, uti durities & mollities, lentor & friabilitas, ſenſibus ſatis obviæ ſunt.

§. II.

Paucæ ideæ ſimplices nomina habent.

SUpervacaneum eſſe puto, particulares omnes *ideas* ſimplices enumerare, quæ ad ſingulos ſenſus pertinent, nec quidem illud fieri poteſt, plerique enim omnes plures peculiares ſibimet *ideas* habent, quam nomina, ut ſuppetant ad eas ſignandas. Ingens iſta odorum multitudo, quorum, in mundo non multo minor, & haud ſcio an major eſt quam corporearum ſpecierum varietas, nominibus maxima ex parte carent. *Suave* & *fœtidum* ſatis nobis vulgo faciunt

ad omnes iſtas *ideas* exprimendas, quod perinde ferme eſt, ac ſi odores iſtos gratos aut ingratos appellaremus; etiamſi roſæ & violæ odores, quarum utraque eſt ſuavis, diſtinctæ ſint *ideæ*. Nec ad ſapores exprimendos, quorum *ideas* in palatis recipimus, vocum ſupellex uberior adhuc inventa eſt. Dulce, amarum, acidum, auſterum, & ſalſum, vocum propemodum univerſitatem conficiunt, quæ ſunt nomina ſaporum, qui diſtincti reperiuntur, non ſolum in unoquoque ferme genere entis, verum ejuſdem etiam plantæ aut animalis partibus diverſis. Idem de colore & ſono dici poteſt. In *idearum* itaque ſimplicium ratione, quam hic redditurus ſum, mihi ſatis erit eas ſolummodo memorare, quæ ad hoc noſtrum inſtitutum maxime pertinent, aut quæ ipſæmet rarius animadvertuntur, etiamſi complexarum *idearum* compoſitionem ſæpiſſime ingrediantur, in hoc numero ſoliditatem ponendam eſſe puto, de qua in capite ſequenti.

CAP.

CAP. IV.

De Soliditate.

§. I.

Ideam hanc a tactu recipimus.

SOliditatis *ideam* a tactu recipimus, atque oritur a repugnantia iſta, qua unum corpus alterum ab aditu in locum ſuum tantiſper prohibet, dum ipſummet iſtum deſeruerit.

(*) Haud ullam aliam *ideam* a ſenſatione conſtantius

(*) Alibi Lockius aſſerit corpora dici ſolida ſive impenetrabilia, quatenus concipiuntur implere locum capacitati ſuperficiei eorumdem æqualem; eamque eſſe connexionem inter ideam *replendi loci æqualis capacitati ſuperficiei corporum*, atque ideam *ſoliditatis* ſive *impenetrabilitatis* ipſorum corporum, ut *ex immediata* atque *intuitiva perceptione* concipiatur clare atque evidenter, *duo corpora non poſſe ſimul eodem loco eſſe*; lib. 4. c. 7. §. 5. At cum per ſolum viſum mens concipiat omnia corpora implere locum æqualem capacitati ſuperficiei eorundem; merito hinc colligitur per ſolum viſum acquiri poſſe ideam ſoliditatis ſive impenetrabilitaris, abſque eo quod ut ad tactum confugiatur, neceſſe ſit. (**) Præterea addi poteſt *ſoliditatis* ſive *impenetrabilitatis* ideam per ſolum tactum recipi poſſe, non ſatis probari, ſiquidem licet experientia nos doceat. quoslibet conatus, ut duo corpora ſe ſe invicem penetrent, irritos eſſe, ac prorſus fruſtraneos; ex ea tamen repugnantia neceſſario concludi nequit, eadem corpora abſolute eſſe impenetrabilia; at ad ſummum

(**) Male arguit illuſtrans. Idea ſpatii non excludit corpora, per conſequens ſi oculis ſpatium percipimus, non deprehendimus ſoliditatem. Requiritur ſane tactus ad percipiendam hanc corporis proprietatem.

tius recipimus, quam *ſoliditatem*. Sive moveamur ſive quieſcamus, aut quocunque demum in ſitu ſimus, ſemper experimur aliquid nobis ſubeſſe, quod firmamentum eſt ſtabilitatis noſtræ; impeditque, ne ulterius deorſum feramur; atque corpora, quæ contrectamus quotidie, faciunt, ut ſentiamus illa, dum in manibus ſunt, inexpugnabili quodam robore impedire, quo minus partes manuum, a quibus undique premuntur, inter ſe coeant, & altera pars alteram plane contingat. Quod duorum corporum contactum impedit, cum hoc modo adverſus ſe invicem moventur, *Soliditatem* appello. Non hic pluribus verbis diſputaturus ſum, utrum vox *ſolidum* propria adeo ſignificatione hic ſumatur, ac vulgo a mathematicis uſurpari ſolet: mihi ſatis eſt, quod ſoliditatis notio communis hunc uſum comprobet; ſi quis autem dixerit, id *impenetrabilitatem* rectius dici, haud repugnabo. Mihi quidem vox *Soliditas* viſa eſt magis idonea ad *ideam* hanc ſignandam, non ſolum quia iſta vulgo uſurpatur; verum etiam, quia vocabulum iſtud poſitivam entitatem proprie magis denotat, quam *impenetrabilitas*, quæ eſt pura negatio; & verius fortaſſe dici poteſt *ſoliditatem* conſequi, quam

mum tantum probatur, hiſce corporibus relativam viribus noſtris ineſſe impenetrabilitatem, quæ ut abſoluta conciperetur, requireretur, ut pariter infinite abſolutæ forent humanæ vires (***). Et quemadmodum ſi ſaxum, ſive lapis quibuſcumque humanis, atque iis fortioribus viribus reſiſteret, adeo ut nunquam dividi poſſet: perperam hinc concluderetur, hujuſmodi ſaxum, ſive lapidem, abſolute eſſe indiviſibilem; ita & ex eo, quod duo corpora ſeſe invicem non penetrent, quibuſcumque humanis viribus, & conatibus adhibitis, concludi nequit ea corpora abſolute eſſe impenetrabilia, ac proinde a tactu minime ducendam eſſe abſolutæ impenetrabilitatis ideam, compertum eſt *THIELE*.

(***) Perridiculum argumentum, inepta, pueriliſque diſtinctio. Reſiſtit corpus? ergo eſt ſolidum, & impenetrabile; quid ad rem gradus reſiſtentiæ?

quam eſſe *ſoliditas* ipſa. Hæc ex omnibus aliis *ideis* videtur eſſe corpori maxime eſſentialis, & arctiſſimam cum eo connexionem habere, adeo ut in ſola materia reperiatur: & licet ſenſus noſtri non alibi eam animadvertant, niſi in corporibus grandiuſculis, quorum moles ſatis idonea eſt ad ſenſus afficiendos: mens tamen, poſtquam *ideam* iſtam ab ejuſmodi craſſioribus ſimplicibus corporibus hauſit, ulterius progreditur; videtque eam, haud ſecus, ac figuram, in minimis, quæ exiſtere poſſunt, materiæ particulis inveniri, & corpori qualitercunque modificatum ſit, ſemper inſeparabili ratione inhærere.

§. II.

Soliditas ſpatium replet.

HÆc eſt *idea* iſta propria corporis, per quam *ſpatium* illud *replere* concipimus. Cujus ſpatii replendi *idea* in eo conſiſtit, quod ubi imaginamur ſpatium aliquod a ſubſtantia ſolida occupari, ita illud repleri concipimus, ut omnes aliæ id genus ſubſtantiæ excludantur; atque ſubſtantia iſta ſemper impediet, ne alia quædam corpora duo, quæ verſus ſe invicem linea recta tendunt, ſe mutuo tangant, niſi ex medio iſto loco ſe moveat in linea non parallela ad eam, in qua illa moventur. *Ideam* hanc, quæ in manibus quotidie habemus, corpora nobis plane exhibent.

§. III.

A ſpatio diſtincta eſt.

REpugnantia hæc, qua ex ſpatio, quod occupat, alia corpora excludit, tanta eſt, ut vis nulla, quanta quanta ſit, eam ſuperare poſſit. Si corpora omnia, quæ

quæ in mundo reperiuntur, unam aquæ guttulam ab omnibus partibus premerent, obſiſtentiam tamen ejus, etiamſi molliſſima ſit (119), haud exſuperarent, nec poſt ſummum conamen, prius in unum coirent, quam aquæ globulus iſti loco ceſſiſſet: atque hinc patet, *Soliditatis ideam*, non ſolum a *puro Spatio*, quod neque renitentiæ neque motus capax eſt, verum a vulgari etiam *idea* duritiei diſtingui. Poſſumus enim concipere, duo corpora ita a ſe invicem diſtare, ut unum, non attacto vel remoto quodam intermedio corpore ſolido, ad alterum poſſit eouſque appropinquare, donec ſuperficies illorum contiguæ ſunt: quod demonſtrare puto, nos puram *ideam*, ſpatii abſque ſoliditate habere (120); rogo enim (nec de annihilatione corporis cujuſdam loquor) annon poſſit quis habere *ideam* motus unius tantum corporis, abſque alterius immediata in locum ejus ſucceſſione? hoc fieri poſſe manifeſto patet: quoniam motus *idea*, uno in corpore, non magis *ideam* motus in alio, quam quadratæ figuræ *idea* in uno, eandem figuram alio in corpore includit. Non quæro, utrum corpora ita exiſtant, ut motus unius haud realiter eſſe poſſit abſque motu alterius? controverſiæ hujus quovis modo deciſio, eſſet petitio ejus, quod in quæſtione eſt circa *vacuum*. Quod ego quæro, eſt, annon in nobis ineſſe poſſit *idea* corporis, quod in motu eſt, dum alia quieſcunt? hoc, puto, nemo inficiabitur: quod ſi ita ſit, tum locus hoc modo derelictus exhibet nobis *ideam* puri ſpatii abſque ſoliditate, in quod aliud corpus intrare poſſit ſine ullius rei reſiſtentia aut protruſione. Cum cochleæ antlia hauritur, ſpatium, quod in tuba reple-

---

(119) **Duriſſima potius. (*V. Atti dell'Acc. del Cimento*).**

(120) **En tam pervulgata quæſtio de ſpatio vacuo; eam referre ſupervacaneum puto.**

plevit, idem procul omni dubio remanet, ſive aliud quoddam corpus antliæ motum ſequatur, nec ne: nec implicat contradictionem, ſi, moto uno corpore, aliud illi proximum, haud motum ejus ſequeretur; talis motus neceſſitas tantum in ea ſuppoſitione fundatur, quæ affirmat, quod omnia ſint in mundo plena, non autem in diſtinctis *ideis* ſpatii & ſoliditatis, quæ non minus inter ſe differunt, quam repugnantia & non repugnantia, protruſio & non protruſio. Eſſe vero in hominibus *ideas* ſpatii abſque corpore, ab iis, quæ de vacuo diſputantur, plane demonſtratur, ut alio loco oſtendetur.

§. IV.

A duritie diſtinguitur.

SOliditas etiam a *duritie* in hoc *diſtinguitur*, quod ſoliditas in pleno conſiſtat, atque ita in excluſione omnium corporum a loco, quem occupat: durities vero in firma adhæſione partium materiæ, e quibus ſenſibilis magnitudinis moles efficiuntur, adeout totum haud facile figuram ſuam mutet. Et quidem *durum* & *molle*, nomina ſunt rebus impoſita, quatenus ad noſtri corporis conſtitutionem reſpectum habent: id enim vulgo *durum* vocamus quod dolore nos citius afficiet, quam, poſt partis cujuſdam corporis preſſuram, locum ſuum mutabit; id, contra *molle*, quod poſt levem & non moleſtum tactum ſitum partium ſtatim mutat.

Hæc vero difficultas ſenſibilium inter ſe invicem partium ſitum, aut totius figuram mutandi, haud duriſſimo corpori plus *ſoliditatis*, quam molliſſimo tribuit: neque hilum adamas aqua ſolidior eſt. Quamvis enim duorum marmorum planæ ſuperficies, inter quæ nihil præter aquam aut aerem intercedit, facilius ad ſe invicem coeant, quam ſi adamas eſſet in medio poſitus: non inde tamen provenit, quod partes

tes adamantis, aquæ partibus ſint ſolidiores, aut contra impetum fortius reſiſtant; verum, quia partes aquæ, cum faciliori negotio a ſe invicem ſeparentur, per motum reflexum promptius removentur, & cedendo permittunt ut laminæ marmoreæ in unum conveniant: ac ſi obliquus iſte motus in cauſa foret, ut loco non ita cederent, æternum obſtarent, perinde ac adamas, quo minus marmora ad ſe mutuo appropinquarent. Atque æque impoſſibile foret, per vim aliquam factam ab illis reſiſtentiam, ac partium adamantis repugnantiam exſuperare. Corporum omnium molliſſimum haud minus inſuperabili renitentia duorum corporum contactum impediet, niſi e medio moveatur, quam omnium, quæ uſquam reperiri poſſunt, duriſſimum. Qui corpus molle & tactui facile cedens, aere aut aqua impleverit, reſiſtentiam ejus ſtatim experietur: & ſi quis putet nihil, præter dura corpora, impetum manuum, in unum coire nitentium, ſuſtinere poſſe, poteſt iſtius experimentum cognoſcere ab aere in pila pedali (Anglice Foot-ball) incluſo. Experimentum, quo *Florentiæ*, cum cavo globo aureo aqua repleto & obſignato ubique factum audivi, corporis adeo mollis, ac eſt aqua, ſoliditatem ulterius demonſtrat. Cum globus aureus hoc modo impletus, atque in torculum immiſſus, eſſet per ſummam machinarum vim coarctatus; aqua ſtatim per poros denſiſſimi iſtius metalli viam ſibi aperuit, atque locum haud reperiens, ubi particulæ ejus intus propius ad ſe invicem appropinquarent, in globi extremitate roris ad inſtar emicuit, atque guttatim inde decidit, antequam globi latera per violentam machinæ compreſſionem cedere cogebantur.

§. V.

§. V.

A ſoliditate pendent impulſus, reſiſtentia, & protruſio.

PER *ideam* hanc ſoliditatis, extenſio corporis diſtinguitur ab extenſione ſpatii: cum extenſio corporis nihil aliud ſit, præter ſolidarum, inſeparabilium, & mobilium partium cohæſionem aut continuitatem (121). *E corporum ſoliditate* etiam *pendet mutuus illorum compulſus, reſiſtentia, & protruſio* (*k*). Plurimi ſunt (in quibus meum quoque nomen profiteor) qui ſibimet perſuadent, ſe puri ſpatii, & ſoliditatis claras & diſtinctas ideas habere, & ſe ſpatium cogitatione poſſe concipere abſque rei cujuſvis conceptu, quæ corporibus reſiſtit, aut ab iis protru-

(121) In hac verſione non invenio quod adeſt in verſione Gallicana a Coſte elucubrata, videlicet „ econtra ſpatium eſt conti„ nuitas partium non ſolidarum, indiviſibilium, immobilium„ que „ cui adnotat ipſemet *Coſte*.

(k) *The continuity of un ſolid, inſeparable, & immoveable Parts*. En veri originalis termini. Ex quo videtur, Lockium ſpatio partes donare, verum *non ſolidas, inſeparabiles, motu incapaces*. Scire, an poſſibile ſit, ſub idea *partium*, quod nequit concipi ut *ſeparabile*, retineri poſſit illud, cui eodem ſenſu idea partium tribuitur, illud eſt, quod me ſuperat; ſagacioribus ingeniis decidionem relinquo. Ulterius. Spatium quod tenet *Romam*, idem eſt quam illud quod occupat *Pariſios*? Et illud Romæ nonne diſjunctum eſt ab illo *Pariſiorum*, *Florentiæ*, *Mediolani*, *Taurini &c.*? Recordor, quod hanc quæſtionem Lockio propoſui. Non dicam reſponſum mihi factum, illo peracto, e ſpiritu ſtatim exceſſit. *Non datur omnibus habere naſum*, inter quos memet ſine pœna pono, ſatis perſuaſus, quod major pars philoſophorum ſophiſmatum, e quibus deprehenditur gens, poſt longum tempus nos neque meliores neque ſagaciores reddit (*). *COSTE*.

(*) Dominus Coſte magno criterio, atque ſuavitate hic contra Lockium reflectit. Supervacaneum eſſet, aliud addere.

truditur. Hæc, inquam, puri ſpatii *idea* eſt, & hanc non minus claram eſſe putant, quam ideam extenſionis corporis: cum intervalli *idea*, inter partes oppoſitas ſuperficiei concavæ, æque clara ſit abſque, ac ſimul cum intermediarum partium ſolidarum *idea*: atque contra, ſibimet perſuadent, ſe, ſeorſim a [b] idea puri ſpatii, ideam habere rei alicujus, quæ ſpatium replet, quæ per corporum aliorum impulſum protrudi aut illorum impulſui reſiſtere poteſt. Si alii ſint, qui has duas *ideas* non diſtincte concipiunt, verum eas in unum confundunt, haud video, quomodo *homines*, qui eandem *ideam* ſub diverſis nominibus, aut diverſas *ideas* habent ſub eodem nomine, ſermones magis inter ſe ſerere poſſint, quam homo, qui, cum neque cæcus ſit, nec ſurdus, colorem coccini & ſonitum tubæ diverſis *ideis* concipit, poſſit ſermocinari de colore coccini cum cæco iſto, de quo alibi mentionem facio, qui putavit *ideam* coccini tubæ ſonitui ſimilem fuiſſe.

§. VI. Si quis me interrogaverit, quid ſit *ſoliditas* iſta? relego eum ad ſenſuum experientiam. Silicem, aut pilam pedalem manibus ſumat; eam collidere contendat, liquido illud diſcet. Si putet, hoc non ſufficienter explicare, quid ſit ſoliditas, & in quo conſiſtat; in me recipio, id me clarius demonſtraturum, cum mihi oſtenderit, quid ſit, & in quonam conſiſtat cogitatio; aut, quod multo facilius fieri poſſe videtur, cum explicaverit, quid ſit extenſio, aut motus. Simplices, quas habemus, *ideæ* id ſunt, quod experientia eas eſſe monſtrat; ſi ulterius quæramus, & verborum multitudine conemur eas in animo magis perſpicuas reddere, haud plus profecturi ſumus quam ſi animo cæci caliginem diſcutere & lucis colorumque ideas illi multo ſermone immittere niteremur. Hujus rationem alio in loco oſtenſurus ſum.

CAP.

CAP. V.

De ſenſuum diverſorum ſimplicibus ideis.

IDeæ, quas per plures ſenſus recipimus, ſunt, *ſpatii*, *extenſionis*, *figuræ*, *quietis*, & *motus*: hæc enim ſpecies ſuas in oculis & tacto ſenſibiliter imprimunt, poſſumuſque corporum extenſionis, figuræ, motus, & quietis *ideas* in mentem per viſionem & tactum recipere. Quoniam vero alio in loco anſa mihi dabitur fuſius de hiſce diſſerendi, hic loci eas enumeraſſe tantum ſufficiat.

CAP. VI.

De Reflexionis Ideis ſimplicibus.

§. I.

Sunt operationes mentis circa alias ideas ſuas.

CUm mens *ideas*, ſuperius memoratas, extrinſecus accipit, quando ſe ipſamet intus contemplatur, atque operationes ſuas circa eas, quas habet, ideas animadvertit, haurit inde alias, quæ non minus idoneæ ſunt, quibus pro contemplationis objecto utatur, quam illæ, quas foris adepta eſt.

§. II.

Ideam perceptionis, atque volitionis a reflexione habemus.

INſignes & præcipui actus animi, qui præ aliis animadvertuntur; quique adeo crebri ſunt, ut, quiſquis voluerit, in ſemet obſervare poſſit, ſunt hi duo; *perceptio* nimirum ſive cogitatio, & *volitio*. Potentia cogitandi vocatur *intellectus*, atque volitionis *voluntas*, hæ duæ potentiæ animi dicuntur *facultates*. De modis quibuſdam ſimplicium harum *idearum reflexionis*, cujuſmodi ſunt *reminiſcentia*, *perceptio*, *ratiocinatio*, *judicium*, *cognitio*, *fides*, tractandi anſa poſt dabitur.

C A P. VII.

De ſimplicibus Ideis tam ſenſationis quam reflexionis.

§. I.

Voluptas & dolor.

SUnt aliæ *ideæ* ſimplices, quæ per omnes modos tam ſenſationis quam reflexionis ſemet in mente inſinuant, videlicet.

Voluptas ſive *Delectatio*, & ejus oppoſitum.
Dolor ſive *Moleſtia*.
Potentia.
Exiſtentia.
Unitas.

§. II. Quod ad *delectationem*, ſive *moleſtiam* attinet

tinet, harum alterutra ſe immiſcet omnibus propemodum *ideis* noſtris tum ſenſationis, tum reflexionis: & quidem vix aliqua eſt ſenſuum externorum affectio, aut interior cogitatio mentis, quæ non poſſit *voluptatem*, aut *dolorem* in nobis excitare; Per *voluptatem & dolorem* omnia intelligo, quæ delectationem nobis, aut moleſtiam pariunt; ſive ea a cogitationibus animi, aut rebus oriantur, extrinſecus in corpus agentibus. Sive enim hinc *jucunditas*, *delectatio*, *voluptas* aut *felicitas* &c. vocetur; ſive illinc *moleſtia*, *perturbatio*, *dolor*, *cruciatus*, *anxietas*, *miſeria*, &c. certiſſimum eſt, ea diverſos tantum gradus eſſe ejuſdem rei, & pertinere ad *ideam voluptatis* & *doloris*, *delectationis* aut *moleſtiæ*. Quæ ſunt nomina, quibus ad ejuſmodi *ideas* ſignandas communiter uſurus ſum (122).

V 2 §. III.

(122) Tria hic ſunt adnotanda I. quod delectatio vel moleſtia adhæret omnibus ideis. II. quod moleſtia, perturbatio, dolor, cruciatus, anxietas, miſeria ſit, unum idemque. III. quod hi affectus poſſent cogitatione animi oriri. Quod attinet ad primum non ſemper hoc eveniſſe, puto: ſunt & aliæ ideæ, quæ neque delectationem, neque moleſtiam afferunt. Quid doloris vel voluptatis idea ſandaliorum Magni Kam Scythiæ mihi excitat (k)? Ad ſecundum ſic habeo. Unum & idem eſſet, ſi tanquam mutationes nonnaturales contempletur, non ſic ut modificationes; mentem meam explico. Quidquid corpori morboſe innovetur moleſtiam affert, at non pariter dolorem, pro hac affectione aliquid aliud requiritur, ut infra diſputabimus. Ad tertium denique affirmative reſpondeo, tametſi non deficiant qui hoc impugnant. *Dominus de la Roche* aſſerit, conſtare luculenter, memoriam ac imaginationem non diſtincte renovare præter ideas viſus & tactus. Senſus doloris, juxta eum renovari nequit. Dicit, non probat. At neſcio, quo ſua dicta primis reſpondeant. Per ſe, ideæ tactus renoventur, at idea doloris ad quam aliam ideam referri debet? Potentia magis activa, etſi eadem, effectum violentiorem producit: hujus naturæ eſt dolor; pendet a tactu, differt a ſenſationibus ejuſdem

§. III. Deus ſapientiſſimus, naturæ noſtræ auctor, cum nobis eam poteſtatem in varias corporis partes conceſſerit, ut nos penes ſit, eas movere, aut in quiete retinere, prout libitum fuerit; atque etiam per illarum motum noſmet, & alia corpora contigua movere, in quibus corporis noſtri actus omnes conſiſtunt: cum etiam mentibus noſtris tribuerit poteſtatem, in multis caſibus, eligendi inter *ideas* ſuas de quibus cogitare velit, & diligenter etiam conſiderateque inquirendi, quid ſit in hoc aut illo ſubjecto, quod ad eos actus cogitationis aut motus, quorum ſumus capaces, nos excitare poſſit; variis cogitationibus & ſenſationibus plurimis, *delectationis perceptionem* annectere dignatus eſt (123). Si ea ab omnibus ſenſationibus externis & internis cogitationibus penitus foret ſeparata, haud ratio ulla eſſet, cur unam cogitationem aut actionem pluris, quam alteram faceremus; verbi cauſa, negligentiam, quam attentionem; aut motum, quam quietem. Atque ita neque moveremus corpora noſtra, neque animos exerceremus, verum cogitationes noſtras (ſi ita loqui liceat)

---

dem naturæ, ratione intenſitatis; hæc intenſitas tota pendet a potentia agentis, quæ poteſt ſane organa mutare (*V. malatt. Flat. tom. II. cap. IX.*) vel reviviſcere ſenſationes, & ſic dolores excitare. En verba inſignis acutique philoſophi ac Medici Domini de Sauvages; complectentur omnia quæ ad evidentiam probant quod hac ſuper re dici poteſt. „ Perceptio „ moleſta a ſenſatione, ſeu actione corporis cujuſvis in fibras „ nerveas oriunda, dolor eſt ſenſitivus; quæ vero ab actione „ ſimili in fibras cerebri medullares, aut ſine ulla actione in „ corpus, ab animæ affectione dependet, dolor *IMAGINARIUS* eſt, qualem experiuntur ſomniantes, hyſtericæ, artubus truncati, pathematis agitati ſine ullo vitio corporeo „. (*V. M. tom. IV. pag. 6.*) ergo & voluptatem.

(123) Tum anima tamquam bonum habet quod ſibi repræſentat, quare cogitando, vel præſtando ſenſationibus ſuam attentionem ulteriora momenta deprehendit, & gaudet.

ceat) ſineremus ſine ulla directione & deſignatione paſſim per omnia vagari, & committeremus, ut mentis *ideæ*, inanium phantaſmatum ritu, quæ, nulla impreſſione facta, ſtatim evaneſcunt, inanem aliquam ſpeciem, prout ſors ferret, in animo ſine omni iſtius rei animadverſione ſignarent. Quo in ſtatu homo, intelligendi & volendi facultatibus licet utcumque præditus, ignavum eſſet & iners genus animantis, atque in otioſo lethargicoque inſomnio ævum ſuum tranſigeret (124). Sapienti itaque rerum omnium artifici viſum eſt, cum variis objectis, &, quas ab iis recipimus, *ideis*, uti & pleriſque e cogitationibus noſtris, voluptatem ſociam connectere, idque in diverſis objectis, pro graduum diverſitate, ut facultates iſtæ, quas in nobis inſevit, haud incultu & ſocordia torpeſcerent.

§. IV. *Dolor* eadem vi & efficacia nos ad agendum, qua voluptas, excitat, haud minus enim prompti & lubentes omnes facultatum vires adhibemus, ad eum devitandum, quam ad hanc conſequendam: hoc tamen conſideratione dignum eſt, *dolorem ſæpiſſime ab iiſdem objectis, & ideis produci, quæ in nobis voluptatem pariunt*. Hæc propior ipſarum inter ſe conjunctio, quæ in cauſa eſt, cur in ſenſationibus, in quibus voluptatem expectavimus, dolorem ſæpius inveniamus, præbet nobis occaſionem novam, creatoris noſtri ſapientiam & bonitatem mirandi, qui, cum nos tueri & conſervare ſtatuiſſet, rebus plurimis, quæ corporibus noſtris applicantur, dolorem connexum eſſe voluit, ut monitor nobis eſſet, & cautor periculorum. Ille vero, cum non noſtri tantum, verum uniuſcujuſque partis & organi conſervatio-

V 3

(124) Talis eſt ſtatus puerulorum, barbarorumque Americam incolentium (59). Non ob aliam rationem, quam propter negligentiam animæ in contemplando bonum, vel malum.

§. III. Deus ſapientiſſimus, naturæ noſtræ auctor, cum nobis eam poteſtatem in varias corporis partes conceſſerit, ut nos penes ſit, eas movere, aut in quiete retinere, prout libitum fuerit; atque etiam per illarum motum noſmet, & alia corpora contigua movere, in quibus corporis noſtri actus omnes conſiſtunt: cum etiam mentibus noſtris tribuerit poteſtatem, in multis caſibus, eligendi inter *ideas* ſuas de quibus cogitare velit, & diligenter etiam conſiderateque inquirendi, quid ſit in hoc aut illo ſubjecto, quod ad eos actus cogitationis aut motus, quorum ſumus capaces, nos excitare poſſit; variis cogitationibus & ſenſationibus plurimis, *delectationis perceptionem* annectere dignatus eſt (123). Si ea ab omnibus ſenſationibus externis & internis cogitationibus penitus foret ſeparata, haud ratio ulla eſſet, cur unam cogitationem aut actionem pluris, quam alteram faceremus; verbi cauſa, negligentiam, quam attentionem; aut motum, quam quietem. Atque ita neque moveremus corpora noſtra, neque animos exerceremus, verum cogitationes noſtras (ſi ita loqui liceat)

---

dem naturæ, ratione intenſitatis; hæc intenſitas tota pendet a potentia agentis, quæ poteſt ſane organa mutare (*V. malatt. Flat. tom. II. cap. IX.*) vel reviviſcere ſenſationes, & ſic dolores excitare. En verba inſignis acutique philoſophi ac Medici Domini de Sauvages; complectentur omnia quæ ad evidentiam probant quod hac ſuper re dici poteſt. „ Perceptio „ moleſta a ſenſatione, ſeu actione corporis cujuſvis in fibras „ nerveas oriunda, dolor eſt ſenſitivus; quæ vero ab actione „ ſimili in fibras cerebri medullares, aut ſine ulla actione in „ corpus, ab animæ affectione dependet, dolor *IMAGINA-* „ *RIUS* eſt, qualem experiuntur ſomniantes, hyſtericæ, artu- „ bus truncati, pathematis agitati ſine ullo vitio corporeo „. (*V. M. tom. IV. pag. 6.*) ergo & voluptatem.

(123) Tum anima tamquam bonum habet quod ſibi repræſentat, quare cogitando, vel præſtando ſenſationibus ſuam attentionem ulteriora momenta deprehendit, & gaudet.

ceat) ſineremus ſine ulla directione & deſignatione paſſim per omnia vagari, & committeremus, ut mentis *ideæ*, inanium phantaſmatum ritu, quæ, nulla impreſſione facta, ſtatim evaneſunt, inanem aliquam ſpeciem, prout ſors ferret, in animo ſine omni iſtius rei animadverſione ſignarent. Quo in ſtatu homo, intelligendi & volendi facultatibus licet utcumque præditus, ignavum eſſet & iners genus animantis, atque in otioſo lethargicoque inſomnio ævum ſuum tranſigeret (124). Sapienti itaque rerum omnium artifici viſum eſt, cum variis objectis, &, quas ab iis recipimus, *ideis*, uti & pleriſque e cogitationibus noſtris, voluptatem ſociam connectere, idque in diverſis objectis, pro graduum diverſitate, ut facultates iſtæ, quas in nobis inſevit, haud incultu & ſocordia torpeſcerent.

§. IV. *Dolor* eadem vi & efficacia nos ad agendum, qua voluptas, excitat, haud minus enim prompti & lubentes omnes facultatum vires adhibemus, ad eum devitandum, quam ad hanc conſequendam: hoc tamen conſideratione dignum eſt, *dolorem ſæpiſſime ab iiſdem objectis, & ideis produci, quæ in nobis voluptatem pariunt*. Hæc propior ipſarum inter ſe conjunctio, quæ in cauſa eſt, cur in ſenſationibus, in quibus voluptatem expectavimus, dolorem ſæpius inveniamus, præbet nobis occaſionem novam, creatoris noſtri ſapientiam & bonitatem mirandi, qui, cum nos tueri & conſervare ſtatuiſſet, rebus plurimis, quæ corporibus noſtris applicantur, dolorem connexum eſſe voluit, ut monitor nobis eſſet, & cautor periculorum. Ille vero, cum non noſtri tantum, verum uniuſcujuſque partis & organi conſerva-

V 3 tio-

(124) Talis eſt ſtatus puerulorum, barbarorumque Americam incolentium (59). Non ob aliam rationem, quam propter negligentiam animæ in contemplando bonum, vel malum.

tionem in perfectione ſua deſtinatam habuiſſet, multis in caſibus, cum *ideis* iſtis, quæ voluptate nos afficiunt, dolorem conjunxit. Hoc modo calor paulo remiſſior nobis perquam gratus eſt, ſed juſto intenſior nos graviter affligit, & lux ipſa, omnium, quas cernimus rerum jucundiſſimum, ſi nimia fuerit, & in majus augetur, quam oculorum ratio fert, ſenſationem maxime moleſtam in nobis efficit (*). Atque hoc ſapienter & benevole a natura effectum eſt, ut, quoties objectum aliquod, per operationis ſuæ

(*) Ex hac obſervatione argumentum inſtituit P. Malebranchius, ut probet actiones corporum eſſe ſolum occaſiones ſenſationum mentis, minime vero efficientes cauſas, ſive immediatas. Sic autem ſe habet. Ex quavis cauſa oriri debet effectus, qui illis iiſdemmet viribus, quibus eadem agit, omnino reſpondeat; unde ſi cauſæ vires in duplum ſive in triplum augeantur, in duplum quoque aut in triplum augeatur effectus neceſſe eſt, & eo uſque, quo vires in majus augentur. Sic ignis actio, aut lucis oculis perquam grata eſt; intenſior tamen, quam ferri queat, moleſtam maxime ſenſationem affert; adeo ut quæ voluptate afficiebat, majori vehementia pollens doloris ſenſum valeat excitare. majorem minime voluptatem. Senſationes igitur mentis, cum prorſus non reſpondeant viribus, quibus agunt corpora, concludit conſiderari haud poſſe uti effectus immediatos actionum earundem, & proinde impreſſiones corporum non eſſe niſi cauſas occaſionales, quibus ſenſationes in mente excitantur (**) *THIELE*.

(**) Melius ſi diceret principia. En errores a confuſione principiorum cum cauſis exorti. Actiones corporum non ſunt cauſæ dolorum vel voluptatum, ſunt tantum principia. Cauſa doloris, ut alibi demonſtravimus, eſt ſtatus præternaturalis violentuſque, quo fibra eſt in periculo ſuæ ſolutionis, cauſa voluptatis eſt mutatio ſenſibilis organi ſenſorii a præternaturali ad illud quod eſt machinæ noſtræ, tempore quo fit, magis analogum & naturale. Hoc poſito, quid mirum, quod idem objectum nunc dolorem, nunc voluptatem excitat? ſemper parit effectus ratione ſubjecti, in quo agit. Si eſt debilius, minorem reſiſtentiam præſentat objecto, & per mechanicas Leges mutatio ſenſibilior, & majoris momenti oritur, non ſic contra. (*V. Malatt. ſtat. del Dol. in gen. Cap. XX. Def. XVI. p.* 230. *tom.* II.)

ſuæ vehementiam, lædit ſenſoria, quorum fabrica admirabilis valde ſubtilis ſit, neceſſe eſt; nos per dolorem tempeſtive ita admoniti, receptui prius caneremus, quam organa penitus conturbata muneribus ſuis exequendis imparia in poſterum redderentur. Objectorum contemplatio, quæ iſtum efficiunt, nos docet, hunc finem eſſe & uſum doloris (125). Etſi enim oculi noſtri lucem immenſam ferre nequeant, craſſiſſimæ tamen tenebræ haudquaquam illis officiunt: quoniam illæ, cum motum quemdam turbidum ibi haudquaquam excitent, organum illud, affabre compoſitum, illæſum in naturali ſtatu ſuo relinquunt (126). Frigus tamen nimis intenſum, haud ſecus, quam calor, dolore nos afficit, quia non minus temperamentum illud deſtruit, quod neceſſarium eſt ad vitæ conſervationem, & ad corporis diverſorum munerum functiones, quæ in modico caloris gradu conſiſtunt, aut, ſi mavis, in motu inſenſibilium corporis partium intra certos quoſdam & definitos limites.

§. V. Præter hæc omnia alia invenienda eſt ratio, cur Deus *per res omnes, quæ nos circumſtant & afficiunt, voluptatis & doloris varios gradus hinc inde paſſim diffuderit; eoſque inter ſe commiſcuerit in iis propemodum omnibus, circa quæ cogitationes* & ſenſus noſtri verſantur, ut nos, meram imperfectionem

(125) Oritur ex ipſa natura: Anima reſpicit corpus tanquam ſuum habitaculum, & inſtrumentum ſuarum operationum, ſtatim ac deprehendit in illo mutationem, ope cujus quædam ſui pars a naturali ſtatu recedit, quam ob rem nequit ſuis fungi muneribus, tum contriſtatur, dolet, & cupit evitare objectum quod hujuſmodi mutationem producit, ſic utitur mediis.

(126) Tenebræ ſunt privatio actionum, ergo & mutationum, per conſequens ſtatus inertiæ organorum adeſt in tenebris & cum mutatio nulla nobis adſit in eis, tenebræ nullum excitant dolorem, vel voluptatem.

nem, amaritudinem, nec ullam omni ex parte perfectam beatitatem in iis voluptatibus, quæ a rebus creatis oriuntur experti, eas in illius fruitione quæreremus, *apud quem gaudii eſt plenitudo & cujus ad dexteram ſunt voluptates in æternum*.

§. VI.
Voluptas & dolor.

Etiamſi illud fortaſſe, quod hic diſſeruit, *haud voluptatis & doloris ideas nobis clariores reddit*, quam ante factæ ſunt ab experientia, per quam unice illas adipiſcimur; ad finem tamen earum diſquiſitionum conſequendum haud parum illud conducere videtur, ſi rationem contemplemur, cur hæ ideæ tot aliis annexæ ſint; cum hac occaſione ſummi rerum omnium gubernatoris ſapientiam & bonitatem penitius intelligere potuerimus; illius enim notitia & veneratio præcipuus eſt ſcopus omnium cogitationum, & intellectus noſtri negotium.

§. VII.
Exiſtentia, *& Unitas*.

Exiſtentia & *unitas*, duæ ſunt ideæ, quæ per objectum unumquodque externum, & *ideam* internam menti ſuggeruntur. Cum *ideæ* ſunt in mente, eas contemplamur tamquam actu ibi exiſtentes, prout res conſideramus tanquam extra nos exiſtentes; hoc eſt, eas actu exiſtere, ſe exiſtentiam habere (127): quodcunque vero tanquam rem unam con-

(127) Juxta philoſophos *actualitas*, *& exiſtentia* ſunt ſynonyma. Quod attinet ad notionem exiſtentiæ. hoc habetur. Complures ex veteribus definiebant exiſtentiam, per quod eſt extra cauſas ſuas, vel negative, quod idem ſonat, per quod aliquid de-

contemplamur, ſive ens reale ſit, ſive idea, illud *unitatis ideam* menti ſuggerit (128).

§. VIII.

---

definit eſſe inter cauſas ſuas; nec inepte puto. Statim ac definit eſſe in cauſis ſupponit actualem exiſtentiam. HEBENSTREIT ſic definit exiſtentiam „ eſt qua res actu, & nemine cogitante in hac rerum univerſitate præſens eſt, ac exiſtit „ (*v. Conſ. philoſ. pr. pag.* 150.). Quod luculentius definito dici nequit. BILFINGERUS exiſtentiam explicat, per eſſentiæ ſtatum, quo res apta eſt ad agendum vel patiendum, (*v. Dilucid. phil.* §. 270.) forſan accuratior eſt hæc definitio. Non relinquimus Wolfii definitionem: juxta ejus mentem eſt complementum poſſibilitatis (*V. Ontol. lat. pag* 143.). En ratio hujus definirionis: quod eſt poſſibile: præter poſſibilitatem ſuam eſt complementum poſſibilitatis, & hoc eſt ſtatus quo poſſibile aptum ſit ad agendum vel patiendum, quod conſtituit exiſtentiam, ergo complementum poſſibilitatis dat veram notionem exiſtentiæ. Si verum fateri debeam, unam ex illis eſſe hanc notionem, arbitror, quæ nulla indigeat definitione. Non eſt inter literis perpolitos, qui non intelligat quid per exiſtentiam intelligi debeat, per conſequens in ea amplius immorari, eſt arenulas colligere.

(128) Sic BAUMESTERUS, Complexus eorum omnium, per quæ ens aliquod præciſe hoc eſt, & non aliud conſtituit entis *unitatem*; (*V. inſt. metaph.* §. 88. *pag.* 63.) THUMINGIUS definit unitatem, per inſeparabilitatem eorum, per quæ ens in eſſe ſuo determinatur, (*v. Conſ. inſtit. Phil. Wolf. p.* 47.). Veteres denique diſpeſcebant unitatem in unitatem *metaphyſicam tranſcendentalem*, & *abſolutam*: illa juxta eorum mentem referenda erat inter affectiones entis ſimplicis; quæ ſimpliciter, & ſine oppoſitorum disjunctione cum ente poſſunt reciprocari. Diſtinguebatur unum metaphyſicum ab uno numerico. Unum numericum ſive excluſivum vocabant, quod infert negationem plurium. Unum abſolute ſumtum, & tranſcendentale appellitabant id quod habet eſſentiam indiviſam. *Unitatem* vero conſtituebant in indiviſione eſſentiæ. Addunt & alii *unum per ſe*, & *unum* per accidens, hoc eſt unum per *merum aggregationem*, utpote includit plura entia, quæ nullum ordinem, nullam unionem ſervant inter ſe. Illud quod ex pluribus, quæ a natura ordinatæ ſunt ut uniantur ad conſtituendum quid tale, At hac de re ſatis.

§. VIII.

Potentia.

POtentia etiam una eſt e ſimplicibus iſtis ideis, quas a *ſenſatione & reflexione* recipimus. In nobiſmet ipſis enim actum & potentiam cogitandi animadvertentes; & nos poſſe, lubitu, varias partes corporum noſtrorum movere, quæ ante quieſcebant; cum effectus inſuper, quos corpora naturalia in ſe invicem producere poſſunt, ſenſibus ſemper obvii ſint, nos *potentiæ ideam* utroque hoc modo adipiſcimur (129).

§. IX.

Succeſſio.

PRæter has, alia eſt *idea*, quæ etiamſi per ſenſus ſuggeſta, crebrius tamen per ea infertur, quæ fiunt in mentibus noſtris; ea eſt *ſucceſſionis idea*. Si in nos enim immediate introſpiciamus, & quæ intus obſervari poſſunt, animadvertamus, videbimus, *ideas* noſtras, dum vigiles ſumus, & actu cogitamus, continuo

(129) *Potentia* dicitur facultas poſſibilia perducendi ad exiſtentiam. Oportet diſtinguere poſſibilitatem ab exiſtentia, vel quod idem ſonat poſſibile ab actuali exiſtente; ad exiſtentiam requiritur complementum poſſibilitatis, vel ſtatus quo quid poſſibile redditur aptum ad agendum vel ad patiendum. (127): ad conſtituendum vero poſſibile ſufficit privatio repugnantiæ, vel contradictionis. Hinc eſt quod plura poſſunt eſſe poſſibilia, etſi non exiſtentia eſſent. Quod ſenſibus, & reflexione acquiratur idea potentiæ, hoc eſt facultatis producendi ad exiſtentiam poſſibilia, palam fit ab effectibus productis olim ex viribus, quas adhuc nos perſentiſcimus, ut recte ait Auctor.

tinuo agmine huc illuc indefinenter moveri (130).

§. X.

Simplices ideæ materia ſunt omnis cognitionis noſtræ.

HÆ, ſi non ſolæ, ſaltem (ut opinor) præcipuæ ſunt *ſimplices* iſtæ *ideæ*, quæ animo noſtro inſunt, & e quibus reliqua cognitio conflatur, atque illas omnes tantum recipi per modos, ſuperius nominatos, *ſenſationis* nimirum & *reflexionis*.

Nec putet aliquis, arctas nimis eſſe haſce anguſtias, in quibus exſpatiaretur vaſtus hominis animus, qui alte ſupra ſidera volitat, nec intra mundi hujuſce cancellos concludi poteſt; qui ſæpiſſime ſupra rerum materialium orbem fertur, & in *inane* illud incomprehenſibile penetrat. Fateor equidem; velim tamen, ut quis *ſimplicem* aliquam *ideam* mihi oſtendat, *non alterutro modo*, *ſuperius memorato*, *intromiſſam*, aut *complexam* aliquam *ideam*, non e *ſimplicibus iſtis conflatam*. Nec abſurdum eſt, ut putemus, paucas has *ideas* ſimplices ſufficere, circa quas cogitatio vel celerrima, & maxima vis & facultas animi verſetur; quæque omnimodæ iſtius cognitionis, & majoris longe varietatis phantaſiarum & opinionum, quæ in humano genere cernuntur, materiam ſuppeditent, ſi cum animis noſtris conſideraverimus; quanta vocum multitudo e viginti quatuor literarum varia diſpoſitione & complexione oriantur, aut

(130) Idea *Succeſſionis* haberi nequit niſi per ſenſus. Ab obſervatione quod plura dentur, quorum alterum eſſe incipit, alterum vero deſinit, habetur idea ſucceſſionis. Sic anima conſcia eſt unam cogitationem alteri ſuccedere, ergo hujuſmodi ideam acquirit, ſenſibus & reflexione.

aut ſi paulo ulterius progredientes combinationum varietatem ſpectaverimus, quas efficere poteſt una tantum e prædictis *ideis*, v. g. *numerus*, cujus ſupellex inexhauſta eſt, & vere infinita: aut amplum iſtum immenſumque campum, quem unica *extenſio* mathematicis aperit (181).

CAP. VIII.

---

(131) Omnes enumeratæ ideæ, non ſunt niſi ideæ abſtractæ, ut & complures aliæ haberi poſſunt. An vero ſint ſimplices vel ideæ complicatæ, ſane dubito: Anima in voluptate gaudet eis mutationibus, quæ ab objectis excitantur, ſic & contra in ſtatu doloris; idea hujuſmodi affectionis eſt ſimplex, ut idea omnium aliarum ſenſationum: quæ ſunt ſimplices utpote unæ per ſe (128), compoſitæ quatenus conſiderantur poſſe a compluribus ſenſationibus conflari. Fuit a nobis demonſtratum. (*V. Malat ſtat. tom.* 11. *cap. XXIII.*) dari differentiam dolorum, & juxta fibrarum numerum & juxta mutationum gradus unum ab alio differre, pari ratione dici debet de voluptate, etſi contraria ratione ſit contemplanda. Quis audet ergo ſimplificare mutationes, & hinc idea doloris vel voluptatis? non diſſimili ratione dici quit de potentia, exiſtentia, & unitate. Notio poſſibilitatis ex duobus fontibus fluit, ab intuitione attributorum eſſentialium, quæ ſimul conjungi poſſunt, & ab idea negativa contradictionis ad unionis actum. Quam ob rem Bilfingerus definir poſſibile per id, cui præſtando vires alicujus cauſa exiſtentis ſufficiunt (*V. tract de orig. mal. pag.* 78.). Ubi eſt ergo in hac idea ſimplicitas? Quidquid exiſtit notis characteriſticis exiſtit, quibus palam ſit ſui exiſtentia, notio ergo exiſtentiæ habetur a notione plurium in uno compoſitorum, etſi abſtrahantur ſemper per ſe ſunt compoſitæ. Non diverſo arguitur modo de unitate. Deſtructis omnibus rebus amittitur idea numeri, & per conſequens unitatis, ergo unitatis notionem, quis non videt, eſſe rebus innixam, & propterea ad notas quibus res ipſæ exiſtunt, vel quod idem ſonat ad exiſtentiam.

C A P. VIII.

Ulteriores quædam diſquiſitiones de Ideis noſtris ſimplicibus.

§. I.

Poſitivæ ideæ a cauſis privativis.

DE ſimplicibus *ideis*, quæ per ſenſationem concipiuntur, conſiderandum eſt, in natura ita conſtitutum eſſe, ut omne illud, quod poſſit, ſenſus noſtros afficiendo, perceptionem aliquam in animo efficere, poſſit etiam eodem tempore in intellectu noſtro ſimplicem *ideam* producere; quæ, quacunque a cauſa externa proveniat, quamprimum a diſcernendi facultate animadvertitur, a mente conſideratur, tanquam realis *poſitiva idea* in intellectu, haud minus quam alia quævis; etiamſi fortaſſe cauſa illius non niſi privatio in ſubjecto ſit.

§. II. Ita nimirum *ideæ* caloris & frigoris, lucis & tenebrarum, albi & nigri, motus & quietis, æque claræ ſunt ac *poſitivæ ideæ* in mente; etiamſi fortaſſe quædam e cauſis, quæ illas producunt, meræ privationes ſunt iis in ſubjectis, e quibus ſenſus noſtri *ideas* trahunt. Has omnes intellectus, dum in illarum contemplatione verſatur, conſiderat, tanquam diſtinctas poſitivas, *ideas*, nec cauſas animadvertit, a quibus producuntur: harum enim diſquiſitio non ad *ideam*, quatenus in animo eſt, verum ad naturam rei, extra nos exiſtentis, proprie pertinet. Hæc enim longe inter ſe diverſa ſunt, & caute diſtinguenda; cum aliud ſit percipere & dignoſcere *ideam* albi aut

aut nigri, aliud exquirere, cujuſmodi particulæ eſſe debeant, & quomodo in ſuperficie diſpoſitæ, quæ objectum quoddam album aut nigrum efficiunt (132).

§. III. Pictor, aut Tinctor, qui cauſas nunquam inveſtigavit, in mente habet *ideas* albi & nigri, & aliorum colorum, adeo clare, perfecte & diſtincte, imo fortaſſe magis diſtincte, quam philoſophus, qui in eorum naturis contemplandis aliquandiu verſatus fuit, & putat ſe ſcire, quouſque quivis eorum ſit in cauſa ſua poſitivus aut privativus; & quidem *idea nigri* in mente ejus haud minus *poſitiva* eſt, quam *albi*, utcunque cauſa iſtius coloris in objecto externo, *mera* fortaſſe *privatio* ſit.

§. IV. Si non alienum foret meo inſtituto, cauſas naturales, & modum perceptionis hic perſcrutari, hanc rationem afferrem, *cur cauſa privativa poſſit*, ſaltem in quibuſdam caſibus, *ideam poſitivam producere*, videlicet, quod, cum omnis ſenſatio producatur in nobis, ſolummodo per diverſos gradus & modos motus in ſpiritibus noſtris animalibus, prout per objecta externa alio atque alio modo agitantur, motus cujuſdam prioris remiſſio novam ſenſationem adeo neceſſario in nobis efficit, ac iſtius variatio ſive intenſio; atque ita novam introducit *ideam*, e diverſo tantummodo ſpirituum animalium motu in iſto organo dependentem.

§. V. De re hac, utrum ita ſe habeat, nec ne, haud nunc ſtatuam; ad propriam vero cujuſque experientiam provoco, annon hominis umbra, quæ nil aliud eſt, præter lucis carentiam, (& quo major eſt abſentia lucis, eo viſibilior eſt umbra) cum quis eam intuetur, perſpicuam adeo & poſitivam ideam in

(132) Unico caſu, in quo tanquam ſimplices hæ ideæ haberi poſſunt videlicet habita ratione ad unitatem, hoc vero modo, omnes notiones ſunt ſimplices, ut meditantibus patet.

in animo ejus generet, ipſum ac hominis corpus, etiamſi radiis ſolaribus undique circumdatum ſit? atque ipſa picturæ umbra res poſitiva eſt. Fateor equidem eſſe *nomina* quædam *negativa*, quæ non plane ſignificant ideas poſitivas, ſed tantum illarum abſentiam; ejuſmodi ſunt *inſipidum*, *ſilentium*, *nihil*, &c. quæ voces *ideas* poſitivas, v. gr. *Saporem*, *ſonum*. *Ens*, ſimul cum illorum abſentia denotant (133).

§. VI. Hoc modo quis dici poteſt tenebras videre. Si enim nobis imaginemur foramen eſſe valde tenebroſum, e quo nil lucis reflectitur, certiſſimum eſt, figuram iſtius perſpici, aut ipſum depingi poſſe; & haud ſcio, an atramentum, quo utor in ſcribendo, eandem in animo *ideam* ſignet. Cauſæ privativæ, quas hic aſſignavi, idearum poſitivarum, ſunt juxta communem opinionem; at profecto ſtatuere difficillimum mihi erit, utrum a cauſa privativa quædam ideæ revera oriantur, quoad definitum fuerit, *utrum quies magis ſit privatio*, *quam motus* (134).

§. VII.

(133) Eſt mutatio ſtatus ab anima percepta. Adſit lux, anima percipit mutationem organis ſenſoriis a luce excitatam: en ſtatus, in quo reperitur organum, & anima in ſua perceptione: tollatur lux, en privatio ipſius ſtatus luce acquiſiti, ergo mutatio hæc quæcunque ſit, parit novam ideam, quam anima habet per ideam poſitivam, nam vere exorta eſt mutatio in organis, & ſtatus poſitivus tam animæ quam corporis habetur, ergo & poſitiva idea.

(134) Omnis mutatio facta in organo ſenſorio, poſitis quibuſdam conditionibus, parit ideam (114), tranſlatio ab uno ad alium ſtatum, quocunque modo fiat, vel per cauſam poſitivam, vel negativam, ab anima percepta idea poſitiva eſt. Anima noſtra continuo fluxu, & refluxu labitur. Nihil refert quod redeat ad priſtinum: hæc reintegratio, quæcunque ſit, mutatio eſt, & ab anima percepta. Atramentum, umbra, tenebræ ipſæ ſunt quid diverſum, ope quorum anima diſcrimen videt in ſpatiis; efficies ſpatii non irradiati, vel quod idem ſonat, organi ſenſorii

non

§. VII.

Ideæ in animo, qualitates in corporibus ſunt.

QUo melius *idearum* noſtrarum naturam inveſtigemus, atque ad aliorum captum noſtrum de iis ſermonem accommodemus, par erit, illas dupliciter conſiderare, quatenus ſunt *ideæ* aut perceptiones in mentibus; & quatenus ſunt materiæ modificationes in Corporibus, quæ tales perceptiones in nobis efficiant: idque ne putemus (quemadmodum fortaſſe vulgo fit) eas ipſiſſimas eſſe imagines, aut ſimilitudines rei alicujus in ſubjecto inhærentis; pleræque enim omnes ſenſationis *ideæ* in mente, haud magis ſunt rerum ſimulacra extra nos exiſtentium (135), quam nomina, quæ pro iis ſubſtituuntur, ſunt *idearum* noſtrarum ſimilitudines, quas tamen, quamprimum audiuntur, in nobis excitare ſolent (136).

§. VIII. Quicquid animus in ſeipſo percipit, aut im-

---

non mutari a radiis reflexis, excitant in mente ideam, & ideam poſitivam, ex eo quia percipit mens relationem, & differentiam in qua labitur.

(135) Hujus opinionis fuit Lucretius; autumabat hic, quod avolarent idola e rebus extra nos exiſtentibus: Scholaſtici cenſebant ideas *impreſſas* imprimi ab objectis in cerebro, & ab intellectu agente ſpiritualizari, & illuminari, & intellectui paſſivo præſentari, quapropter has ideas *expreſſas* appellitabant (19).

(136) Perpaucæ literæ, diverſo modo connexæ diverſas nobis excitant ideas. Nomen alicujus objecti excitat in mentem ipſum objectum inquit CONDILLAC. „ Uſus rebus ſigna alligandi „ tam naturalis evaſit ab eo adhuc tempore, quo non erat nobis „ datum valorem verborum cogitare. ut aſſuefacti ſumus ad eandem „ objectorum realitatem referre, & credimus eorum eſſentiam „ perfecte ipſa ſigna enodare „. (*V. Sag. ſull' Orig. dell' Uman. Cogn.*).

immediatum eſt objectum perceptionis, cogitationis, aut intellectionis, id *ideam* voco: & potentiam producendi *ideam* aliquam in mente, voco *qualitatem* ſubjecti, in quo iſta potentia ineſt. Ita cum globulus niveus potentiam in ſe habeat *ideas albi*, *frigidi* & *rotundi* in nobis producendi, potentias iſtas, quatenus in ſphæra iſta nivea inſunt, *qualitates* appello; & quatenus ſunt ſenſationes, aut perceptiones in intellectu, eas voco *ideas*: de quibus ideis, ſi aliquando loquar, quatenus in rebus ipſis exiſtunt, eas qualitates in objectis intelligi velim, a quibus in nobis producuntur (137).

§. IX.

Primariæ qualitates.

Qualitates hoc modo in corporibus ſpectandæ ſunt, I. Eæ omnes, quæ nequeunt ab iis ſeparari, in quocunque ea ſtatu ſint; verum poſt omnes, quas

(137) Objecta corporea, quæcunque ſunt, agunt in ſenſorio communi totis qualitatibus, quæ ſuſcipi queunt a ſenſu ipſo, ergo & mutationes excitant, quæ cum ſint effectus impreſſionum a qualitatibus productarum, ſunt eiſdem qualitatibus analogæ, & per conſequens inter mutationes & qualitates quædam ſervatur connlventia, & relatio. Anima, quæ habet hypotheticas impoſſibilitates, mutationes productas non percipiendi, eas percipit totis qualitatibus & relationibus. „ Adeo, ait *s'Graveſ-* „ *ſands* arctum eſt mentis & corporis vinculum, ut quidam mo- „ tus in hac cum certis in illa ideis quaſi cohærent, & ſepa- „ rari nequeant: Ex corporis motu; omnibus momentis, ideæ no- „ væ in mente excitantur, taleſque ſunt rerum omnium ſenſibi- „ lium ideæ „. (*V. El. phyſ. tom.* 1. *pag.* 333 *num.* 1168.) Ex quo intelligitur, quod qualitates ſunt in objectis, & ideæ in intellectu, ut ait Lockius, verum adnotari debet, quod perceptiones & ideæ multoties ab eo confunduntur; at de hoc ſatis verba fecimus (92).

quas ſubeunt, mutationes, poſt omnimodam vim ipſis illatam, eas conſtanter retinent; tales ſunt, quales ſenſus noſtri reperiunt in omni materiæ particula grandi ſatis, quæ ſenſibus percipi poſſit, & mens deprehendit, eas inſeparabiles eſſe ab omni materiæ particula, etiamſi propter tenuitatem ſola ſenſum ſuffugiat, v. gr. ſumatur granum tritici, dividatur in duas partes, eſt in ſingulis partibus *ſoliditas*, *extenſio*, *certa quædam figura* & *mobilitas*; poſt aliam etiam diviſionem res ita ſe habebit; atque ita ſi dividatur, uſque dum partes fiant inſenſibiles; ſingulæ nihilominus eaſdem qualitates retinebunt. Diviſio enim, quæ corpus quoddam in partes inſenſibiles comminuendo redigit, (ſicut hoc a mola, piſtillo, aut alio quodam corpore in aliud efficitur) ſoliditatem, extenſionem, certam figuram, aut mobilitatem a corpore nullo auferre poteſt, ex ea tantummodo materia, quæ prius una erat, duas aut plures partes diſtinctas efficit, quæ partes univerſæ, pro diſtinctis nunc corporibus habitæ, poſt diviſionem numerum definitum efficiunt. Has voco originales ſive primarias corporum qualitates, quas palam eſt, puto, in nobis producere ideas ſimplices, ſoliditatem nempe, extenſionem, figuram, motum, ſive quietem, & numerum.

§. X. II. *Qualitates*, quæ revera nihil ſunt in objectis ipſis, niſi potentiæ per *primarias* ſuas *qualitates*, molem nempe, figuram, texturam & partium inſenſibilium motum, varias in nobis ſenſationes producendi, cujuſmodi nimirum ſunt colores, ſoni, ſapores, &c. has voco *qualitates ſecundas*. His addi poteſt tertium genus qualitatum, quæ vocantur *nudæ potentiæ*, etiamſi non minus reales ſuut qualitates in ſubjecto quam eæ, quas ego, juxta communem loquendi formulam, *qualitates* voco, &, ut ab aliis

di-

diſtinguantur, *qualitates ſecundas* (138). Potentia enim in igne novum colorem, ſive partium contextum in cera aut luto producendi, non minus igni, qualitas dicenda eſt, quam vis illa, qua poteſt caloris in me *ideam* aut ſenſum accendere, quo primæ qualitates, moles nempe, textura, & partium inſenſibilium motus, haud me prius affecerant (139).

(138) Si chemice mutantur, ſeparantur corpora in ſuas partes, e quibus conflantur; hæ partes ſi conſiderantur utpote integrantes, tum revera non amittunt qualitares, non ita ſi tanquam componentes habentur; ponamus, igne corpus cruciari hac conditione, quod unum elementum ab alio ſeparetur; tum confecta operatione, non exurgit idem corpus, nec eædem qualitates, quæ corpori inerant, partibus inſunt, ut chemicis conſtat, quapropter hæ qualitates, quæ omni tempore, & ſtatu corporis alicujus non ſemper continuoque conveniunt, ſecundariæ appellantur.

(139) Potentia eadem eſt, ac qualitas, qua quoddam ſuum producit effectum. Dum qualitas in corpore agit, vis, qua agit, modificatur ratione qualitatum ſubjecti. Hinc eſt, quod ignis, ſol ceram liqueſcit, econtra firmat lutum conſolidatque. Ignis habet potentiam vel qualitatem, movendi particulas, & corpora partibus tenuioribus orbandi, cera his non gaudet particulis, omnes ſuæ partes fixæ ſunt & in auras abire nequeunt, ergo tantum movet eas, & ceram fluidiorem reddit, non ſic & lutus; continet hic partes volatiliſſimas, cujus naturæ ſunt aquoſæ, ergo hæ partes ope caloris moventur & volatiles redactæ terream ſubſtantiam relinquunt, quæ orbata ſuis fluidis concreſcit, & indurata remanet.

§. XI.

Quomodo qualitates primæ ideas ſuas producant.

PRoxime conſiderandum eſt, quomodo corpora ideas in nobis producant; atque perſpicuum eſt, hoc non aliter, quam per *impulſum* fieri (140). Etenim concipi nequit, quomodo corpus in illud agat, quod neutiquam tangit, (hoc perinde eſt, ac ſi quis diceret, illud operari poſſe, ubi non eſt) aut quando tangit, ut aliquo modo operetur ſine motu.

§. XII. Si objecta igitur externa haud uniuntur mentibus noſtris, cum ideas in iis producunt; ſi nos nihilominus *primarias haſce qualitates* in iis percipimus, quæ ſingula in ſenſus incurrunt, manifeſtum eſt neceſſarium eſſe, ut motus aliquis inde per nervos, aut ſpiritus noſtros animales, per partes aliquas corporis, ad cerebrum, aut ſedem ſenſationis continuetur; ut ibi *in mentibus noſtris paticulares, quas habemus, ideas producat*. Et quoniam extenſio, figuræ, numerus & motus corporum molis grandiuſculæ, ab oculis e loco diſtanti percipi poſſint, liquido patet; corpuſcula quædam ſingillatim imperceptibilia ab iis ad oculos pervenire, atque ita cerebro motum aliquem impertire, qui eas, quibus præditi ſumus, *ideas* in animum ſignat.

§. XIII.

(140) Hoc valet ad profligandas ideas innatas. Nullam dari poſſe ideam, mutatione prius in organo ſenſorio noſtro non producta, ſatis perſpicuum eſſe, puto; ergo requiritur actio, qua mutatur organum, vel quod idem ſonat, *impulſus*, quo mutatio producatur. Duobus modis hoc fieri poteſt, vel organum in objectum incurrendo, vel objectum in organum, ut conſiderantibus patet.

§. XIII.
Quomodo qualitates ſecundariæ.

Conſentaneum eſt, ut credamus, *qualitatum ſecundarum ideas* eodem modo, quo *primarum*, in nobis produci, videlicet *per operationem particularum inſenſibilium in ſenſus noſtros*. Cum enim manifeſtum ſit, corpuſculorum ingentem eſſe multitudinem, quorum ſingula adeo minuta ſunt, ut impoſſibile ſit, ſenſuum etiam omni contentione, quæ ſit illorum moles, figura, aut motus, percipere, uti hoc liquido patet; in aeris & aquæ particulis, atque aliis quam plurimis iſtis longe tenuioribus, quæ fortaſſe aeris aut aquæ particulis tanto minores ſunt, quanto aeris aut aquæ particulæ ſunt piſis aut grandinis globulis exiliores. Supponamus impræſentiarum, ejuſmodi paticularum varios motus & figuras, molem & numerum, dum diverſa ſenſuum organa afficiunt, excitare in nobis varias iſtas ſenſationes, quas a corporum coloribus & odoribus, haurimus, v. gr. *violam* impulſu inſenſibilium quarundam particularum certis figuris & mole præditarum; atque in motuum ſuorum gradibus & modificationibus diverſis, efficere, ut coloris cyanei & floris iſtius ſuavis odoris ideæ in animis noſtris generentur. Haud conceptu enim difficilius eſt, quomodo Deus tales *ideas* motibus annectere poſſit, cum quibus nullam ſimilitudinem habent; quam, quod doloris *ideam* cum motu connexuerit laminæ calybeæ carnem noſtram ſcindentis, inter quam & *ideam* iſtam nulla eſt ſimilitudo.

§. XIV. Quod de *coloribus* & *odoribus* locutus ſum (*), de

(*) Adnotamus hic, quod in Renato Deſcartes, ut & in operibus P. Malebranche, in phyſica Rohault, & uno verbo in omnibus phyſicæ tractatibus, qua Carteſianiſmum olent, in venitur

de *ſaporibus* etiam, *Sonis* & *aliis id genus qualitatibus ſenſibilibus* intelligi poteſt; quæ, utcunque realitatem nos per errorem illis attribuamus, revera tamen nil aliud ſunt in objectis ipſis, quam potentiæ varias ſenſationes in nobis excitandi, *pendentque a primariis iſtis qualitatibus*, nempe mole, figura, textura, & motu partium, & propterea *ſecundarias qualitates* eas voco.

§. XV.

Ideæ primarum qualitatum ſunt ſimulacra, ſecundariarum non item.

HInc in proclivi eſſe puto, animadvertere, *ideas primarum qualitatum* corporum eſſe *ſimulacra* eorum; archetypa vero earum eſſe in corporibus ipſis, *ideas vero a ſecundariis hiſce qualitatibus in nobis productas nullam habere cum illis ſimilitudinem* (141). Nihil *ideis* noſtris ſimile in corporibus ipſis exi-

---

tur explicatio qualitatum ſenſibilium, quæ apprime convenit cum principiis a noſtro auctore hic appoſitis, En verba *Rohault* in tractatu caloris, & frigoris. „ Ces deux mots ont chacun deux ſignifications; car primiérement par la *chaleur* & par la *froideur*, on entend deux ſentimens particuliers qui ſont en nous, & qui reſſemblent en quelque façon a ceux qu' on nomme *douleur* & *chatouillement*, tel que les ſentiments qu'on a quand on approche du feu ou quand on tauche de la glace: econdement par la chaleur & par la froide, on entend le pouvoir que certains corps ont de cauſer en nous ces deux ſentiments dont je viens de parler „ (*V. Chap. XXIII. par I.*) Juxta ſapientum mentem eadem utitur diſtinctione in capite XXIV. de odoribus, XXV. de ſono, XXVI. de luce, & de calore cap. XXVII. Oportet, me hac adnotatione uti cauſa explanandi aliam, quæ relationem habet cum eo quod Lockius uno aſſerit libro, in quo videtur, eum oblitum eſſe modum a Carteſianis in enodandis qualitatibus ſenſibilibus adhibitum. *COSTE*.

(141) Duo ſunt hic adnotanda contra Lockium. I. ideæ qualitatum, quæ primariæ nuncupantur, ſimulacra eſſe nequeunt. Si

exiſtit; nec in corporibus, quæ certo quodam modo ab illis ſenſationibus denominamus, quas ipſorum præſentia operatur, quicquam eſt, niſi potentia ſenſationes iſtas in nobis excitandi: & quod dulce eſt, Cyaneum aut calidum in *idea*, nil aliud eſſe, præter molem certam, figuram, & motum partium inſenſibilium, ex quibus corpora ipſa ſunt compoſita, quæ a nobis ita denominantur.

§. XVI. *Flamma* ſic denominatur *calida* & *levis*; *nix alba* & *frigida*; *manna alba* & *dulcis*, ab *ideis*, quas in nobis producunt. Quæ qualitates vulgo idem eſſe putantur in corporibus iſtis, quod *ideæ* iſtæ ſunt in nobis, adeo, ut illæ haud minus vere illarum ſpe-

---

Si hanc a Lucretli opinione (134) ſeparamus, quam cordatiores refellunt philoſophi, eſt dicendum quod cerebro imprimantur effigies qualitatum omnino eis ſimiles, ergo hac ablata ſimilitudine, nulla objecti idea oritur. Quot ideas habemus, quæ objectis nullo modo reſpondent? Video corpus, quod etſi eſſet magnum, longe parvum percipio, ſic ante oculos uno obverſato objecto poteſt aliud toto cælo diverſum animam percipere; amentibus, & quibus ſenſibus non rite gaudent, hoc ſæpiſſime accidit. Non pendet ergo idea qualitatum primarum ab ipſarum effigie, ſed a quadam motione, quæ peculiarem relationem cum ipſis qualitatibus, habet: quapropter idem objectum ob diverſam cerebri organorumque modificationem, diverſam ideam gignit quidquid demonſtrare credat Helvetius. II. Idea qualitatum ſecundarum eſt in eadem mutatione poſita, non ſecus ac idea primarum. In quo differt ab altera eſt celeritas, intenſitas &c. qua organum mutatur Si percipio ignem nec mihi calorem excitat, adeſt tum in meo organo ſenſorio mutatio, ſed æqualis, mitis, ordinata, non ſic ſi cum igne calorem ſentio. Tum celeritas particularum ignitarum excitat mutationem ſed cum maxima rapiditate, ac perturbatione (*V. le Malatt. ſtat. tom.* 1. *Cap. V. pag.* 127), & cum hæc celeritas, & confuſio per gradus augeri atque remitti queat, ratione organi ſenſorii, vel cerebri diſpoſitionis augentur, remittunturque ſecundariæ qualitates, & hinc ideæ (*r*); ex hoc fit, quod non ſemper has obſervamus qualitates, & habentur tanquam accidentales, nec diverſo fiunt modo, quam primariæ.

ſpeciem repræſentent , quam in ſpeculo fieri ſolet; & is quidem apud pleroſque omnes ineptus & abſurdus videretur, qui contrarium aſſereret. Si quis tamen ſecum in animo conſideraverit *eundem* ignem, qui ad certam quandam diſtantiam *caloris* ſenſationem in nobis *gignit*; cum vero propius acceditur, longe diverſam, *doloris* ſcilicet, *ſenſationem* in nobis gignere, ſecum reputare debet, utrum rationi conſentaneum ſit, ut dicat, *caloris* ideam iſtam, qui ab igne in ipſo productus erat, actu *in igne* eſſe; *doloris* vero *ideam*, quam idem ignis eodem modo in ipſo producit, *non* eſſe. Undenam fit, ut albedo & frigus ſit in nive, dolor vero non, cum nix has tres *ideas* in nobis producat; & neutrum efficere poſſit, niſi per ſolidarum partium ſuarum molem, figuram, numerum, & motum (142)?

§. XVII. *Revera*, *in igne vel nive certa moles*, *nume-*

(142) Corpora quæcunque ſint, diverſo agunt modo. Unumquodque ſuas habet qualitates, quibus ab omnibus aliis differt, quatenus hæ ſuſcipi qualitates &c. queunt ab organis ſenſoriis noſtris, ſunt a nobis perceptæ. Nix in ſua ſubſtantia continet vim reflectendi radios omnes ſimul, ut & contactu conſtringendi fibras, curſum fluidis noſtris retardandi, necnon ignitas particulas in illis diffuſas fixas reddere, ac propriam celeritatem minuendi (*V. Malatt. ſtat. tom.* 1. *cap. X. XI.*), differt ergo ſenſatio a nive producta a ſenſatione ab aliis corporibus excitata ratione quantitatis radiorum reflexorum, & ratione vis, qua conſtringuntur ſolida, retardantur fluida & celeritates particularum ignitarum diminuuntur. Uſu & experientia percipimus corpora diverſas producere mutationes, & ratione diverſitatum nobis varias oriri ideas. Majores noſtri, neſcio qua ducti ratione, voluere certas peculiares motiones organo ſenſorio excitatas hoc vel illo vocabulo condecorare quanquam diverſum facere, eſſet apud eos facultas. Ideæ ergo non idola, non ſimulacra, non effigies corporibus ſimiles ſunt, ſed tantum motiones, quæ ratione intenſitatis, extenſionis, quantitatis &c. (*V. Malatt. ſtat. tom.* 11. *Cap. XXI. Lem. III. Avv.* 1.) omnes differunt inter ſe & anima unam ab alia ſecernit.

merus, *figura*, *& motus partium exiſtunt*, ſive a cujuſdam ſenſibus percipiantur, nec ne: *reales* itaque *qualitates* dici poſſunt, quoniam in corporibus iſtis realiter exiſtunt. *Lux* vero, *calor*, *albedo* aut *frigus*, *haud magis realiter in illis exiſtunt*, *quam ægritudo aut dolor in manna*. Harum ſublata qualitatum ſenſatione, adeo, ut oculus nec lucem, nec colores cernat, nec auris ſonos percipiat; auferatur a palato guſtus, a naſo olfactus, tunc ſtatim actum erit de omnibus coloribus, ſaporibus, odoribus & ſonis, quatenus nimirum ſunt ejuſmodi *ideæ* particulares, & perventum erit ad veras illorum cauſas, molem nimirum, figuram & partium motum (143).

§. XVIII. *Mannæ* portiuncula, cujus moles eſt ſenſibilis, poteſt rotundæ aut quadratæ figuræ ideam in nobis generare; & cum de loco in locum movetur, motus inſuper *ideam*. Hæc motus *idea* repræſentat eam, prout revera eſt, moventem: figura ejus circularis aut quadrata idem ſunt, ſive in *idea*, menti repræſentata, ſive in manna illa conſideremus; atque *tam motus*, *quam figura realiter in manna exiſtunt*, ſive a nobis animadvertantur, nec ne: hoc omne in confeſſo eſt. Præterea, *manna* molis ſuæ, figuræ, texturæ, & motus partium adminiculo, potentiam habet ægritudinis, & nonnunquam dolorum acutorum, ſeu torminum ſenſationes in nobis producendi. Res hæc etiam ab omnibus conceditur, *ideas* haſce *ægritudinis* & *doloris* haud in manna exiſtere, verum ab operatione ejus in nobis tantum effici, & revera nuſquam eſſe, quando haud eas perſentimus. Haud facile tamen homines adducuntur, ut credant, *dulcedinem* & *albe*-

di-

(143) Tunc deſunt mutationes. Qualitates non percipiuntur, etſi eſſent in corporibus. Ut percipiantur, deberent eſſe in contactu mediato, vel immediato cum organo ſenſorio noſtro, hoc deficiente, deficit impreſſio, mutatio, & hinc idea.

dinem non realiter in manna ineſſe; quæ nihil aliud ſunt, præter effectus operationum mannæ in oculos & palatum, per motum, molem, & figuram particularum ſuarum, ſicut dolor & ægritudo, quæ a manna oriuntur, ex confeſſo nihil aliud ſunt, præter effectus operationum ejus in ſtomachum & inteſtina, per motum, & figuram partium inſenſibilium; (haud aliter enim corpus quodvis operari poteſt, ut ſuperius demonſtratum eſt): quaſi vero haud poſſet in oculos & palatum operari, atque ita particulares *ideas* diſtinctas in animo producere, quas in ſemet non habet, æque ac, ex noſtra omnium confeſſione, in inteſtina & ſtomachum operari poteſt, atque eo pacto *ideas* diſtinctas producere, quibus ipſamet haudquaquam prædita eſt. Cum omnes hæ *ideæ* effectus ſint operationum mannæ in diverſas corporis partes, per molem, figuram, numerum & motum partium, cur illæ ab oculis & palato productæ, in manna realiter exiſtere magis cenſerentur, quam alteræ a ſtomacho & inteſtinis ortæ; aut cur dolor & ægritudo, *ideæ*, quæ ſunt effectus mannæ, nullibi eſſe crederentur, cum non ſentiantur; dulcedo tamen & albedo, quæ ſunt ejuſdem mannæ effectus in alias corporis partes per modos æque incognitos, cenſerentur vel tunc in manna exiſtere, cum neque percipiantur, nec guſtentur, dignum mihi videtur, quod per rationem explicetur (144).

§. XIX.

(144) Diſquirendum eſt, qua ratione albedo, quæ nihil eſt aliud præter motionem vel mutationem organorum noſtrorum, quæ ſunt viſui deſtinata, ab anima refertur ad mannam ipſam, dolor vero a manna productus ad organum, & ut paucis dicam, idea doloris habetur tanquam in organo, tanquam in objecto, ſi omnes ſimul non ſunt præter motiones, a peculiaribus quibusdam qualitatibus objecti organo ſenſorio noſtro excitatæ aliæque ideæ? hoc evenire autumo propter diſtantiam perceptam

§. XIX.

Ideæ primarum qualitatum ſunt ſimilitudines, ſecundarum non item.

RUbrum & album colorem in *Porphyrite* ſpectemus, ſi ab illa lucem prohibemus, ſtatim colores ipſis evaneſcunt; non amplius in nobis tales ideas excitat: quamprimum vero lux illi denuo redditur, reſuſcitantur in nobis iſtæ ſpecies. Putet ne quiſpiam fieri in Porphyrite reales quaſdam mutationes per præſentiam abſentiamve lucis; atque ideas iſtas rubedinis & albedinis, ſi lux ipſi affunditur, realiter in porphyrite ineſſe; cum manifeſtum ſit, *ipſam in tenebris nullis coloribus eſſe præditam*. Habet equidem noctu interdiuque talem partium poſituram, qualis, radiorum luminis adminiculo a partibus quibuſdam per-

ptam inter objectum & oculum in videndo, non ſic in patiendo. *CONDILLAC* ait, quod ſi ſtatuta non haberet tactum, omnes ſuas ſenſationes in ſe non in objectis conſideraret (*V. tract. ſenſat.*). Ego arbitror, majore ratione dici poſſe, ſenſationem tum animam in ſe credere, quando reliquis ſenſibus non conſtat, objectum, a quo oritur, eſſe a ſe ipſo differens. Si ſtatua, ait *Soave* (*V. Analyſis intell. hum.*), manu tabulam pictam tangit, & ipſam percurrit, ſola attentione deprehendit hanc accedere nunc recedere a colore, ergo extra ſe poſitam eſſe arguit, nam tabula colore & ſoliditate ſenſationes excitat, & loco differt ab organo ſenſorio, non ita ſi ſpina figitur manui, tum dolor non ſpinæ ſed ad manum refertur, ex eo quia ſpina cum organo eſt conjuncta, nec conſtat affectionem perceptam gigni a corpore extra organum poſito. Ulterius. Dolor eſt affectio noſtræ fibræ ab impreſſione corporis externi producta, conſtans, & notabilis, (*V. Mal. ſtat. tom.* 11. *Cap. XX. & XXI.*) quam ob rem vel actioni objecti ſupereſt vel non: ſi cum actione finit, durat ille uſquedum objectum tangit organum, per conſequens anima refert affectionem ad organum non ad objectum, ut modo diximus; ſi ſupereſt, ablato omni objecto non poteſt quam ad organum dolorem referre. En ratio, qua dolorem ad nos ipſos referimus, non ſic & alias ſenſationes, quamquam non ſint præter mutationes in organo ſenſorio habitas.

perduri iſtius lapidis retroflexorum, apta eſt rubedinis & , ab aliis partibus, albedinis ideam in nobis producere: albedo vero aut rubedo nunquam in illa inſunt, verum ejusmodi ſolummodo textura, cui ineſt potentia talem ſenſationem in nobis generandi (145).

§. XX. Aliud ſuppeditabimus experimentum, quod dilucide demonſtrabit, ſecundas qualitates non ipſi objecto ineſſe, quod earum ideas in nobis producit. Si conteratur in mortario Amygdala, ſtatim color albus in fuſcum, & dulcis ſapor in oleoſum immutabitur. Quam vero aliam realem alterationem piſtilli contuſio in quodam corpore efficere poteſt, præter texturæ iſtius partium immutationem (146).

§. XXI.

---

[145] Ut fiat nobis impreſſio, e qua idea oriatur, requiritur actio alicujus corporis, quapropter corpora agunt mediate vel immediate. Meam explico mentem. Ut arguam mollitiem vel ſoliditatem, oportet, me percipere majorem minoremve reſiſtentiam meo organo factam; duplici modo obtineri poteſt, vel tactu immediato cum corpore, quatenus nuda manu corpus tangam; vel mediato, quatenus ope alicujus corporis reſiſtentiam illius, quod experior, perpendam: utroque modo agunt qualitates corporis in meo organo, & inſunt in corpore ipſo: ſimilique modo nobis agere qualitates ſecundarias, arbitror. Inſunt corpori quædam peculiares qualitates, quæ nequeunt agere in ſenſorium noſtrum, medio deficiente. Radius abſolvit munus medii corporis, quapropter recepta quadam modificatione a corpore colorato, propter reſiſtentiam, reactionem, reflexionem ipſius corporis ipſi radio factam ad organum pervenit, & impreſſiones ſuſceptas communicat. Ergo hæ qualitates ſunt in corpore, quatenus radium hoc vel illo modo refrangunt, reflectunt, impellunt, non ſecus ac ſoliditas ope cujusdam baculi percipitur. Admonendum eſt, quod non inficior, radium poſſe omnes colores gignere, & eos continere tantum ajo, quod nobis videtur colores eſſe in radiis, quando inſunt in variis radii refrangibilitatibus, quæ haberi poſſent tanquam impreſſiones a corpore refrangenti factæ, vel quod idem ſonat, a qualitatibus ipſius corporis habitæ.

(146) Hoc caſu nova exurgit corporis textura, nec idem remanet corpus, ergo nec etiam illi inſunt eædem qualitates.

§. XXI. Cum ideæ hoc modo diſtinguantur & intelligantur, facile erit rationem reddere, cur eadem aqua, eodem tempore, poſſit frigoris *ideam* per unam manum producere, & caloris per alteram: cum tamen impoſſibile ſit, ut eadem aqua, ſi *ideæ* illæ in ea revera ineſſent, ſimul calida eſſet & frigida. Si imaginemur enim *calorem*, prout in manibus noſtris eſt, *nihil aliud eſſe*, *præter certum quoddam genus & gradum motus in nervorum*, *ſive ſpirituum animalium particulis minutioribus*, in proclivi erit intelligere, quomodo eadem aqua poſſit, eodem tempore, in altera manu caloris, in altera frigoris ſenſationem producere; quod figura nunquam efficit; illa enim haud quadrati *ideam* per manum unam producit, quæ per alteram globi *ideam* produxerit. Sin caloris & frigoris ſenſatio nihil aliud ſit, præter minuſcularum corporis partium motus intenſionem aut remiſſionem, a corpuſculis alterius cujusdam corporis factam, facile intellectu eſt, quod, cum motus iſte in una manu major ſit, quam in altera, ſi utrique manui applicetur corpus, cujus in minutis particulis major eſt motus, quam in manus unius, minor vero quam in alterius minutis particulis; in eo caſu corpus illud manus iſtius motum auctiorem, hujus vero remiſſiorem reddet, atque ita, quæ ab hiſce dependent, diverſas caloris & frigoris ſenſationes excitabit (147).

§. XXII.

(147) Omnis ſenſatio ſupponit mutationem (92), ut ergo calor unius corporis, puta ignis, percipiatur, oportet, quod gradus caloris hujus corporis eſſet ſupra gradum actu perceptum, aliter nova non eſſet mutatio, nec per conſequens perceptio. Hinc eſt, quod ignis per corpora æque diffuſus non percipitur, ſicuti non percipitur ſi manui, qua aliquid tangitur, calor inſit in eodem gradu illius, quo gaudet corpus, nos ſentimus tantum exceſſum unius gradus in alium, & hoc propter ſiul-

§. XXII. His hactenus memoratis, in res, quæ ſunt conſiderationis phyſicæ, longius fortaſſe, quam pro inſtituto, excurſum eſt. Cum vero neceſſario in eo elaborandum ſit, ut natura ſenſationis intelligatur, & *differentia inter qualitates, quæ ſunt in corporibus, & ideas ab illis in animo productas*, diſtincte concipiatur; alias fieri non poſſet, ut de illis intelligenter loqueremur; dabitur itaque, ſpero, venia brevi huic in naturalem philoſophiam excurſioni, cum ad noſtram hanc diſquiſitionem perquam neceſſarium ſit ut *primæ* & *reales qualitates* corporum, quæ ſemper in illis inſunt (nimirum *ſoliditas*, *extenſio*, *figura*, *numerus*, *motus* & *quies*, quæque aliquando a nobis percipiuntur, quando nimirum corpora, quibus inſunt, ea ſunt magnitudine, ut cerni poſſint) a *ſecundariis* iſtis *qualitatibus* diſtinguantur, quæ oriuntur tantum e varia primarum iſtarum inter ſe connexione, quando nimirum operantur, nec diſtincte ſimul percipiuntur. Hinc etiam ſcire poterimus quænam *ideæ* ſint, & quæ non ſint rerum ſimilitudines, realiter in corporibus iis exiſtentium, quæ ab illis ideis denominamus.

§. XXIII.

---

fluidiſſimam ignis naturam, qua æque diffunditur per corpora. Audiamus Boeravem. „ hæc ſunt verba: „ Quod pro doctrina ignis allego, eſt quod ille ignis, qui ita per quietem imprimis æquabiliter per omnia diſtributus ſpatia habetur, nunquam fere advertatur, quoniam quæ ubique eadem ſunt, neque proinde illa variatione uſque ſe diſtinguunt vulgo ſolent haberi pro nullis ab omnibus. (*V. El. Chem. tom.* 1. *pag.* 93. 63. 198.). Vides ergo rationem, qua unum & idem corpus, una manu percipitur calidum, altera frigidum: illa corporis minori caloris gradu gaudet, iſta vero majori. (*V. analiſ. int. hum.*)

§. XXIII.

Qualitatum tria ſunt genera.

QUalitates igitur, quæ in *corporibus* inſunt, ſi rite conſiderentur, *trium generum* ſunt,

Primo *moles*, *figura*, *numerus*, *ſitus* & *motus*, ſive *quies* partium ſolidarum; hæc in illis inſunt, ſive a nobis percipiantur, nec ne, & quando ea ſint magnitudine, ut oculorum aciem non effugiant, eorum adminiculo, rei *ideam*, prout in ſe eſt, adipiſcimur, quod in rebus arte factis plane patet. Has *primarias qualitates* voco.

Secundo, *Potentia*, quæ, inſenſibilium *primarum qualitatum* adminiculo, cuivis ineſt corpori, modo peculiari in quoſdam e ſenſibus noſtris operandi, atque ita in nobiſmet producendi *ideas diverſas* variorum colorum, ſonorum, ſaporum, odorum, &c. hæ *qualitates ſenſibiles* vulgo vocantur.

Tertio, Potentia, quæ primarum qualitatum peculiaris diſpoſitionis ratione, in omni corpore ineſt, *alterius cujuſdam corporis molem*, *figuram*, *ſitum & motum ita immutandi*, ut aliter quam prius, in ſenſus noſtros operetur; ita Soli potentia ineſt efficiendi, ut cera fiat alba; atque igni, ut plumbum fiat fluidum. Hæ vulgo *Potentiæ* vocantur.

Harum primas, ut dictum eſt, proprie, *reales originales*, ſive *primarias qualitates* dicendas eſſe puto, quia in rebus ipſis inſunt; ſive a nobis percipiantur, nec ne: atque a diverſa illarum modificatione ſola qualitates ſecundariæ dependent.

Duæ alteræ, tantummodo potentiæ ſunt diverſis modis in res alias agendi, atque potentiæ iſtæ è primarum iſtarum qualitatum variis modificationibus exoriuntur (148).

§. XXIV.

(148) Hæc diviſio, ſi recte video, reducitur ad qualitates ſenſibiles per ſe, & ſenſibiles per alia, qualitates ſenſibiles per

§. XXIV.

Primæ ſunt ſimilitudines. Secundæ cenſentur eſſe, ſed non ſunt, Tertiæ nec cenſentur eſſe, nec ſunt.

ETſi vero *duo hæc poſteriora qualitatum genera*, nil aliud ſunt præter *nudas potentias*, quæ reſpectum habent ad alia corpora diverſa, & e qualitatum originalium diverſis modificationibus oriuntur; ſecus tamen vulgaris opinio fert. *Secundum* enim *genus*, nimirum potentiæ varias *ideas* in nobis ſenſuum ope excitandi, *qualitates vulgo putantur*, *quæ in rebus*, nos hoc modo afficientibus, *realiter exiſtant*. *Tertium* vero genus inter *nudas ſolummodo potentias vulgo recenſemus*: v.g. *idea* caloris aut lucis, quas per viſum aut tactum e ſole recipimus, repu-tan-

per ſe, ſupponunt actum; qualitates ſenſibiles per alia, ſupponunt potentiam. Corpus tango, percipio molem, ſoliditatem, aſperitatem &c., non ſic ſi corpus video, tum aliquid aliud requiritur; ut deprehendam colorem, figuram, lux poſcitur, quæ irradiato corpore, refrangatur, & oculum feriat. Quam ob rem non invenio in corpore præter qualitates, quibus corpus eſt aptum ad patiendum, agendumque. Si corpus video coloratum ejuſmodi video propter actionem qualitatum, vel ut recte loquar, propter vim, quam philoſophi activam appellant, ope cujus actu refrangitur radius; ſi percipio corpus mole, figura, mutatum, hoc evenit propter potentiam paſſivam. Hæ potentiæ quæcunque ſint, reducuntur ergo ad qualitates ſenſibiles per alia; omnia reliqua, quæ corporibus videmus ad qualitates ſenſibiles per ſe. Id quod differt qualitates ſenſibiles per alia a reliquis eſt potentia ad agendum, vel ad patiendum, quapropter ut paucis colligam, qualitates corporis ſunt ſenſibiles per ſe, & ſenſibiles per alia, hæ diſpeſci poſſunt ratione potentiæ activæ, & ratione potentiæ paſſivæ, activæ quatenus vim pariunt vel parere poſſunt; paſſive, quatenus ſuſtinent vim vel ea ſuſtinere poſſunt; illo ſenſu mutationem afferunt, hoc mutationem ſuſcipiunt.

tantur vulgo *reales qualitates*, in ſole exiſtentes, & plus eſſe creduntur, quam meræ potentiæ; ſolem vero conſiderantes cum reſpectu ad ceram ab eo liquefactam aut dealbatam, albedinem iſtam aut mollitiem in cera productam contemplamur, non tanquam qualitates in ſole, verum effectus *potentiæ* iſtius: cum tamen, ſi rite conſiderentur, qualitates iſtæ lucis & caloris, quas ipſemet a ſole calefactus aut illuminatus in memet percipio, haud magis ſunt in ſole, quam mutationes in dealbata aut liquefacta cera factæ. Omnes æqualiter potentiæ ſunt in ſole, e primariis iſtius qualitatibus pendentes, quarum adminiculo in uno caſu poteſt partium quarundam inſenſibilium meorum oculorum, aut manuum mearum molem, figuram, ſitum, aut motum ita alterare, ut lucis aut caloris *ideas* in me excitet, in altero vero, partium inſenſibilium ceræ molem, figuram, ſitum, aut motum poteſt immutare, ut aptæ reddantur, ad albi & fluidi *ideas* in me diſtinctas producendas.

§. XXV. Ratio, cur *iſtæ pro qualitatibus realibus, hæ vero pro meris tantummodo potentiis ut plurimum ſumantur*, ea videtur eſſe, quoniam, cum *ideæ*, quas habemus, diſtinctorum colorum, ſonorum, &c. nihil molis, figuræ, aut motus in ſe contineant, haud nobis proclive eſt, putare, eas eſſe effectus primarum iſtarum qualitatum, quas in illarum productione operari, haud ſenſus noſtri animadvertunt; & quibuſcum haud apparentem aliquam congruentiam, aut quæ concipi poſſit, connexionem habent. Hinc eſt, cur ſtudio adeo præpropero nobis imaginemur, *ideas* iſtas rerum imagines eſſe in objectis ipſis realiter exiſtentium: quoniam ſenſatio nihil molis, figuræ, aut motus partium poteſt in illarum productione obſervare; nec ratio demonſtrare poteſt, quæ corpora per molem ſuam, figuram, & motum in animo producerent *ideas* cærulei, aut flavi, &c. Contra in alio caſu; in corporum nimirum operationibus, ſuas inter ſe invicem qualitates alterantium, plane videmus, qualitatem ex hac mutatione productam, nullam communi-

muniter cum eo ſimilitudinem habere, quod eſt in objecto producente hanc novam qualitatem, quapropter eam nudum effectum eſſe putamus; quam corpus habet in aliud corpus. Etiamſi enim caloris, aut lucis ideam a ſole recipientes in eam ſtatim cogitationem veniamus, eam nimirum perceptionem eſſe, aut ſimilitudinem ejuſdem qualitatis in ſole exiſtentis; attamen cum ceræ, aut faciei formoſæ colorem a ſole immutari percipimus, haud putamus, id a ſole proficiſci, aut cujuſdam rei, quæ in ſole revera eſſet, imaginem eſſe, quoniam haud varios iſtos colores in ſole deprehendimus. Quoniam enim ſenſus noſtri poſſunt qualitatum ſenſibilium ſimilitudinem, aut diſſimilitudinem in duobus diverſis objectis externis obſervare, hinc concludimus ſtatim, qualitatis ſenſibilis productionem in quodam ſubjecto eſſe potentiæ ſolius effectum, & non qualitatis cujuſdam communicationem, quæ realiter ſit in efficiente, cum nulla id genus qualitas ſenſibilis in re producente reperiri poſſit. Et cum nequeant ſenſus noſtri diſſimilitudinem aliquam invenire inter ideam in nobis productam, & qualitatem objecti, eam producentis, idcirco credimus vulgo, ideas noſtras eſſe ſimilitudines rei alicujus in objectis, & non effectus quarundam potentiarum, quæ in primarum qualitatum modificatione conſiſtant, cum quibus qualitatibus primariis ideæ in nobis productæ nullam ſimilitudinem habeant.

§. XXVI.

Secundariæ qualitates duplices ſunt; I. immediate perceptibiles: II. mediate perceptibiles.

UT omnia concludam, præter ſuperius memoratas corporum *primarias qualitates*, videlicet molem, figuram, extenſionem, numerum, & ſolidarum partium motum; reliquæ omnes, quarum ope corpora dignoſcimus, & a ſe invicem diſtinguimus, nihil aliud ſunt, præter varias potentias a primariis iſtis qualitatibus pendentes; quibus idoneæ redduntur, aut immediate in corpora noſtra operando, quæ multas ideas

ideas diverſas in nobis producant ; aut quæ in alia corpora operando , primarias qualitates ita immutent , ut poſſint ideas in nobis producere , ab iis diverſas , quas prius excitarint . Harum priores appellandas eſſe puto *ſecundarias qualitates immediate perceptibiles :* poſteriores *ſecundarias qualitates* , mediate *perceptibiles* (149).

F I N I S TOMI PRIMI.

(149) Quod reducitur ad diſtinctionem a nobis ſuperius allatam .

ERRATA	*CORRIGE*
a nemime p. 53.	a nemine
queit p. 78.	quit
a te ipſa p. 92.	a ſe ipſa
a hoc p. 94.	ad hoc
queit p. 104.	quit
dictinctæ p. 142.	diſtinctæ
inſemel p. 169.	in ſemet
Mammam p. 176.	mammam
diſputati ſumus p. 224.	Diſputavimus
evitate p. 226.	levitate
Conceptus p. 234	concentus
Qui eas repreſentant p. 241.	Qui eas repræſentant ; & cum Condillac contendit , ſigna ad reflexionem neceſſario requiri . Ego per reflexionem generatim intelligo „ applicationem cognitam & deliberatam „ attentionis ad quamlibet rem „ ($\mu\mu$)
adſi pag. 245.	adſit
Demonſtravit p. 285.	demonſtravi
In organo , tanquam in objecto p. 330.	In organo , albedo tanquam &c.
excitata aliæque ideæ *ib.*	excitatas ?
ſtatuta p. 331.	ſtatua
ea p. 336.	eam

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM

PRæfatio Johan. Leon. Marugj *pag.* 3.
Epiſt. Auct. ad Lect. 7.
Johan. Lockii vita & ſcripta 14.
INTRODUCTIO
Inveſtigatio intellectus jucunda & utilis. 73.
Conſilium Scribendi. 74.
Methodus. 76.
Metam ultimam intelligentiæ noſtræ ſcire utile eſt. 77.
Intelligentia noſtra vitæ ſorti accommodata eſt. 79.
Notitia facultatum animi ad Scepticiſmum & deſidiam remedium eſt. 81.
Anſa & origo operis. 82.
Quid idea ſignificet. 83.
LIB. I.
CAP. I.
Nulla principia animis noſtris ingenita ſunt.
RErum notitiam haud nobis innaſci, ex modo noſtrò ſciendi demonſtratur. 84.
Maximum argumentum a conſenſu univerſali deſumitur. 87.
Conſenſus univerſalis non probat, aliquid innatum eſſe. *ibid.*
Quicquid eſt, neceſſario eſt; atque impoſſibile idem ſimul eſſe, & non eſſe; haud univerſalem aſſenſum obtinent. 88.
Haud menti imprimuntur, quoniam parvulis, & imperitis ſeu inſipientibus non innotuere. *ibid.*
Objectioni reſpondetur, qua dicitur, eas ab hominibus cognoſci, cum ad uſum rationis ventum ſit. 94.
Si rationis adminiculo innoteſcunt, non ſequetur, eas ingenitas eſſe. 95.
Falſum eſt, rationem eas nobis notas facere. *ibid.*
Cum

Cum ad rationis uſum pervenitur, haud tempus eſt, quo propoſitiones iſtas cognoſcere incipimus. 100.
In hoc non ab aliis cognoſcibilibus diſtinguuntur. 101.
Si tempus, quo ratione uti incipimus, eſſet tempus, quo nobis eæ innoteſcunt, non ſequeretur, eas ingenitas eſſe. 102.
Veſtigia, per quæ mens veritates multas aſſequitur. 103.
Ex aſſenſu propoſitionibus dato, ut primum prolatæ ſunt, non ſequitur, eas innatas eſſe. 106.
Si talis aſſenſus ſit innati principii criterium, tunc unum & duo eſſe æqualia tribus; dulcedinem non eſſe amaritudinem; & mille ejuſmodi neceſſario innata ſunt. 107.
Minus generales iſtiuſmodi propoſitiones ante axiomata univerſalia innoteſcunt. 109.
Ad illud reſpondetur, quod dicitur unum & unum eſſe æqualia duobus, non eſſe univerſale nec utile. *ibid.*
Ex eo, quod axiomata iſta nonnunquam haud prius innoteſcant, quam proponuntur, non ſequitur, ea ingenita eſſe. 110.
Implicite cognoſci antequam proferuntur, ſignificat mentem poſſe ea cognoſcere, aut nihil omnino ſignificat. 112.
Argumentum ab aſſenſu poſt terminos auditos falſo nititur fundamento, quaſi nihil novi perciperemus, dum has propoſitiones audimus. 113.
Principia non eſſe innata, quia non iiſdem univerſaliter omnes aſſentiuntur. 115.
Axiomata hæc non eſſe primo congenita. 116.
Ideo non innata. 117.
Non innata, quia minimum ibi apparent, ubi tamen innata eſſent, magis elucere debebant. 118.

C A P. II.

Nulla principia practica nobis naturaliter inſita ſunt.

Nulla principia moralia tam clara & generaliter ſunt recepta, quam quidem ſuperius commemorata axiomata ſpeculativa. 122.
Fides & juſtitia haud ab omnibus pro principiis reci-

recipiuntur. 124.
Objectioni reſpondetur, qua dicitur homines in ſermonibus ſuis aſſenſum iis præbere, in praxi vero contrarium facere. 126.
Regulæ morales probandæ ſunt; ergo non ſunt innatæ. 128.
Exemplum petitur a pactorum fide. 129.
Virtus ut plurimum commendatur, non quia ingenita eſt, ſed quia utilis. 130.
Actiones hominum nobis argumento ſunt, Regulam virtutis non eſſe internum illarum principium. 132.
Conſcientia non probat, moralem quamdam regulam ingenitam eſſe. 133.
Flagitiorum exempla quædam, quæ ſine ullo angore conſcientiæ perpetrantur. *ibid.*
Homines contrariis principiis practicis præditi ſunt. 138.
Univerſæ nationes plurimas regulas morales rejiciunt. 139.
Qui ingenita eſſe principia practica aſſerunt, quæ ſint nobis non indicant. 147.
Domini Herberti principia innata examinantur. 152.
Reſpondetur objectioni, quæ dicit innata practica principia corrumpi poſſe. 164.
In mundo contraria ſunt principia. 166.
Quo modo principia hominibus vulgo ingenerentur. *ib.*
Principia examinari par eſt. 173.

CAPUT III.

Diſquiſitiones aliæ ſuper principiis ingenitis, tum ſpeculativis, tum practicis.

Principia non ſunt ingenita, niſi ideæ illorum ingenitæ ſunt. 174.
Ideæ, præſertim eæ, quæ ad principia pertinent, haud in parvulis innaſcuntur. 175.
Hoc ulterius probatur. 176.
Identitas haud innata eſt idea. 177.
Totum & pars haud ideæ ſunt ingenitæ. 179.
Idea cultus divini haud ingenita eſt. 180.
Dei idea haud innata eſt. 181.

Idea

Idea Dei haud ingenita eſt. 188.
Reſpondetur illis, qui dicunt, Dei bonitati conſentaneum eſſe, ut Dei ideam omnes habeant; ergo naturaliter ab eo imprimitur. 189.
Dei ideæ in diverſis hominibus diverſæ. 191.
Si Dei idea non ſit ingenita, haud alia ulla ingenita eſſe, dici poteſt. 195.
Subſtantiæ idea haud ingenita eſt. 196.
Propoſitiones nullæ innatæ eſſe poſſunt, quoniam ideæ nullæ ſunt innatæ. 197.
Nullæ in memoria ideæ ſunt ingenitæ. 199.
Principia non ſunt ingenita, quoniam nullius fermo ſunt uſus, & parum certa ſunt. 202.
Notionum diverſitas oritur e diverſo facultatum uſu. *ibid.*
Oportet, ut homines pro ſemetipſis cogitent & cognoſcant. 205.
Opinio principiorum ingenitorum unde. 206.
Concluſio. 208.
Analyſis Intellectus humani, a Franciſco Soave Libro II. de Ideis præpoſita. 210.

L I B. II.

De ideis.

C A P. I.

Idea eſt objectum cogitationis. 253.
Omnes ideæ a ſenſatione aut reflexione oriuntur. 254.
Una idearum origo eſt a ſenſationis objectis. 255.
Alter idearum fons ſunt operationes mentis noſtræ. 256.
Ab horum fontium alterutro omnes ideæ noſtræ oriuntur. 259.
Ex parvulis liquet. 260.
Homines diverſo modo his inſtituuntur, pro diverſitate objectorum, circa quæ verſantur. 262.
Reflexionis ideæ ſerius percipiuntur, quia attentione opus eſt. 263.
Animam ideas habere, cum percipere incipit. 264.
Anima non ſemper cogitat; id enim probandum eſt. 265.
Non ſemper iſtius conſcia eſt. 267.

Si dormiens cogitat, nec illud ſcit; idem dormiens & vigilans duas conſtituit perſonas. 269.
Impoſſibile eſt, convincere eos, qui abſque ſomniis dormiunt, ſe cogitare. 270.
Homines ſomniare & non illud recordari, fruſtra aſſeritur. 271.
Ex hac hypotheſi dormientis cogitationes maxime rationales eſſe debent. 272.
Ex hac hypotheſi ſequitur, animam ideas habere, nec a ſenſatione nec reflexione deſumptas, quod non omnino liquet. 276.
Si quando cogito, id neſcio, haud alius id ſcire poteſt. 278.
Unde ſcit aliquis, animam ſemper cogitare? niſi enim propoſitio ſit per ſe clara, probationis indiget. 280.
Ut homo cogitando ſit occupatus, & tamen proximo deinde momento ejus obliviſcatur, valde improbabile eſt. 282.
Nullas eſſe ideas niſi per ſenſationem aut reflexionem, manifeſtum erit in pueris. 285.
Omnis noſtræ cognitionis origo. 288.
Intellectus in ſimplicibus ideis recipiendis ut plurimum paſſivus eſt. 289.

C A P. II.

De ideis ſimplicibus.

Species non compoſitæ. 290.
Mens eas neque efficere, nec delere poteſt. 291.

C A P. III.

De ideis unius ſenſus.

Diviſio idearum ſimplicium. 294
Paucæ ideæ ſimplices nomina habent. 295.

C A P. IV.

De Soliditate.

Ideam hanc a tactu recipimus. 297.
Soliditas ſpatium replet. 299.
A ſpatio diſtincta eſt. *ibid.*
A duritie diſtinguitur. 301.
A ſoliditate pendent impulſus, reſiſtentia, & protruſio. 303.

CA-

CAP. V.

De ſenſuum diverſorum ſimplicibus ideis. 305.

CAP. VI.

De Reflexionis Ideis ſimplicibus.

Sunt operationes mentis circa alias ideas ſuas. *ibid.*
Ideam perceptionis, atque volitionis a reflexione habemus. 306.

CAP. VII.

De ſimplicibus Ideis tam ſenſationis quam reflexionis.

Voluptas & dolor. *ibid.*
Voluptas & dolor. 312.
Exiſtentia, & Unitas. *ibid.*
Potentia. 314.
Succeſſio. *ibid.*
Simplices ideæ materia ſunt omnis cognitionis noſtræ. 315

CAP. VIII.

Ulteriores quædam diſquiſitiones de Ideis noſtris ſimplicibus.

Poſitivæ ideæ a cauſis privativis. 317.
Ideæ in animo, qualitates in corporibus ſunt. 320.
Primariæ qualitates. 321.
Quomodo qualitates primæ ideas ſuas producant. 324.
Quomodo qualitates ſecundariæ. 325.
Ideæ primarum qualitatum ſunt ſimulacra, ſecundariarum non item. 326.
Ideæ primarum qualitatum ſunt ſimilitudines, ſecundarum non item. 331.
Qualitatum tria ſunt genera. 335.
Primæ ſunt ſimilitudines. Secundæ cenſentur eſſe, ſed non ſunt. Tertiæ nec cenſentur eſſe, nec ſunt. 336.
Secundariæ qualitates duplices ſunt; I. immediate perceptibiles: II. mediate perceptibiles. 339.

IN-

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM, QUÆ IN MEDITATIONIBUS JOHANNIS LEONARDI MARUGJ EXISIUNT.

Metaphyſica quid ſit. *pag.* 4. (*a*)
Eſſentia quid ſit. 74.
Scientia & opinio in quo differunt. 76.
Error nimiæ confidentiæ ex quo. *ibid.*
Intellectus humani vires examinandæ ſunt. 78.
Lockius male Pyrrhonicis accenſetur. 81.
Idea quid ſit, & quotuplex conſideratur. 83.
Ideæ an ſint animo impreſſæ: opiniones & diviſiones 84.
earum ratio unde habeatur 104.
Catholicæ veritates non ſunt animo impreſſæ, ut nonnulli credunt. 86.
Ignorantia veritatum non pugnat cum ideis innatis juxta eos, qui ponunt intellectum agentem & patientem. 89.
Ratio ſufficiens. Argumentum à Wolfio allatum valet ad profligandas ideas innatas. *ibid.*
Ratio quotuplex conſideratur: nullæ veritates per eam eruuntur. 96.
Leibnitianum ſyſtema de animæ facultate favet illi idearum innatarum. 96.
Axiomata ſunt notiones abſtractæ, ergo ſupponunt concretas, nec innata eſſe poſſunt. 91.
Voces quæ ſunt? ſupponunt conceptus. 105.
Zelandiam incolentes arithmeticam ultra ſuorum digitorum numerum non extendunt. 106.
Arabes, Maurique dicebant, mentem habere ſpecies, quo ſenſu rudiores homines haberent ideas omnium mathematicorum theorematum. 112.
Vocabula ideas reviviſcunt. 115.
Veritas ſi non ab omnibus pro ejuſmodi tenetur dicen-

cendum eſt, non eſſe ingenitam. 118.
Quid ſit, & ejus diviſio. 123.
Juſti injuſti notio ſi omnibus eſſet, non idcirco innata exiſtimanda. 125.
Jus quid ſit. 143.
Felicitas, & miſeria, ejus amor vel averſatio non eſt innata. 128.
Populi, qui varios habent ritus, mores, leges, noſtræ rationi repugnantes. 134.
Græci, & Romani natos exponebant. 141.
Officia, ex experientia, commercio patefacta. 147.
Conſilium in quonam a lege differt. Conſilium facultate animæ eruitur, non ſic lex. 149.
Principium, quod creditur innatum *fac alteri quod tibi fieri vis*, acquiritur per ſenſus & reflexiones. 154.
Malum quotuplex conſideratur. *ibid.*
Virtus, quo ſenſu ſumatur, non eſt ejus idea nobis innata. 157.
Hominem non occidere non viget apud omnes nationes, nec cetera principia, quæ naturalia dicuntur. 164.
Educatio, ejus neceſſitas, & effectus. 167. 262.
Qua ratione primæ ideæ in infantia nactæ non oblitterentur. 169.
Auctoritas erroribus favet. 170.
Lockius male atheis accenſetur. 172. 184.
Idem ſimul eſſe & non eſſe ſenſibus & reflexione nanciſcitur. 176.
De animabus Platonicorum, Pythagoreorumque ſententia. 177.
Deus: ejus exiſtentia, idea, & providentia 182. 183. 184. 186.
ejus idea per ſenſus, & reflexiones. 197. 211.
Subſtantia, ejuſque idea. 196.
Propoſitio quid ſit. 197.
Reminiſcentia. 199.
Memoria. *ibid.*
Conſenſus inter animam & corpus. 215. (*ſ*)

Ha-

Habitus quid ſit. 218. (ι)
Anima, animus, & mens juxta nonnullos differunt. *ibid.* (φ)
Cauſa. 219. (ϑ)
Principium. *ibid.*
Dolor, ejus gradus. 220. (k)
Definitio. 223. (*)
Senſatio. 255.
ejus gradus. 224. (γ)
Qualitates corporum poſſunt indiſcriminatim modo repræſentationes, modo modificationes excitare contra Soave. 228. (π)
Objecta attrahunt attentionem in ratione directa vivacitatis eorumdem, & reciproca diſtantiæ. 291. (ψ)
Anima poteſt pluribus impreſſionibus attendere uno eodem tempore. 231. (ξ. γγ. δδ. ιι.)
Qua ratione actu plura non percipit. 234. (αα)
Notiones, & ideæ in quonam poſſunt differre. 239. (kk. λλ.)
Reflexio quid ſit. 241. (μμ)
Uſus ſignorum neceſſarius. 243. (ππ.)
Conſcientia & perceptio unum & idem. 249. (ιι)
Ideæ & perceptiones ſunt unum, & idem. 256.
Senſus internus & externus in quo differunt inter ſe. 258.
Ingenia hominum qua ratione ſunt ſupputanda. 262.
De cogitatione perenni opiniones. 264.
Tempus in quo animatur corpus. 265.
Cogitamus, & poteſt, peracta cogitatione, nihil nobis de ea inveniri. 271.
Anima non ſemper cogitat argumenta contrariæ opinioni. 281.
A corpore ſejuncta debet in ſtatu incogitantiæ per ſe extare. 274.
An perceptiones neceſſariæ ſint exiſtimandæ. 289.
An delectatio vel moleſtia adhæreat omnibus ideis. II. an moleſtia, perturbatio, dolor, cruciatus, anxietas, miſeria &c. ſit unum idemque III. an hi affectus poſſint cogitatione animi oriri. 307.

Cau-

Cauſa, & principia doloris. 103.
Cur tenebræ neque dolorem, neque voluptatem excitant. 311.
Quid ſit exiſtentia. 312.
Quid unitas. 313.
Quid ſit potentia. 314.
Quid ſucceſſio. 315.
An ſint ſimplices modo enarratæ ideæ. 316.
An umbræ excitent ideas poſitivas vel negativas. 319.
Opinio Lucretii, ac Scholaſticorum de ideis. 320.
Qualitates in objectis, ideæ in intellectu ſunt. 321.
Quæ qualitates ſecundariæ appellantur. 323.
Potentia eſt qualitas, qua quoddam ſuum producit effectum. *ibid.*
Ideæ primariæ non ſunt ſimulacra. II. ideæ ſecundarum qualitatum inſunt eiſdem mutationibus ac primarum. 327.
Ideæ ſunt ſimiles motionibus in organo excitatis. 328.
Cur dolor a manna productus ad organum ſenſorium, albedo mannæ ad mannam ipſam refertur. 330.
Qualitates ſecundariæ non ſecus ac primariæ in objecto ſunt. 332.
Caloris perceptio quando. 333.
Qualitatum ſecundarum diviſio. 335.

Ad

Admodum Reverendus Dominus D. Dominicus Tata S. Th. Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Die 1. Auguſti 1788.

ANTONIUS EPISCOPUS ORTHOSIÆ V. G.

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

Nomen perſpicaciſſimi Philoſophi *Johannis Lockii* cui notum non eſt? Attente legi ejus librum *de intellectu humano notis &c.*, & nihil hactenus in eo vel moribus, vel fidei dogmatibus adverſum inveni. Sed cum magne voluptate perlegi meditationes humaniſſimi doctiſſimique viri *Johannis Leonardi Marugj*: quibus propoſitiones dubiæ ſatis explanantur, & loca obſcura optime clara, & aperta redduntur. Cenſeo igitur poſſe Typographo hujus operis editionem flagitanti facultatem fieri; dummodo ita E. V. videatur. Datum Neapoli Idibus Novembris 1788.

Humill. obſequentiſs. & addictis
Dominicus Tata.

Attenta relatione Domini reviſoris, imprimatur. Die 14. *Januarii* 1789.

ANTONIUS EPISCOPUS ORTHOSIÆ V. G.

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.

A. & M. Doct. D. Antonius Sementini in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor revideat, autographum enunciati operis, cui ſe ſubſcribat ad finem revidenti ante publicationem num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium ordinum, & in ſcriptis referat potiſſimum ſi quidquam in eo occurrat, quod

quod Regiis juribus, boniſque moribus adverſetur. Ac pro executione Regalium ordinum idem Reviſor cum ſua relatione ad nos directe tranſmittat etiam Autographum ad finem &c. . Datum Neapoli die 20. menſis Decembris 1788.

POTENZA.

S. R. M.

Nullus facile eſt, ex illis qui ſublimiorem Philoſophiam coluere, qui non noverit Ill. Lockii Libros *de humano intellectu* inſcriptos unum eſſe ex raris illi ſummi ingenii, & profundæ meditationis monumentis, quæ identidem in expectato veluti fulgore plurium ſæculorum tenebras momento quaſi fugavere. Toties iteratæ immortalis hujus operis editiones, Doctorum omnium conſenſus, &, quod majus eſt, ingentes, poſtquam illud innotuit, ſanioris metaphyſicæ progreſſus ſatis dicunt; tantum abeſſe ut obſtandum ejuſdem evulgationi ſit, ut potius contrarium ſit maxime optandum. Quod vero ſpectat adjectas pro textus illuſtratione variarum Doctorum notas, & meditationes, quibus nuperrime ipſum auxit Cl. Maruoj, eæ omnes quæm inſigni utilitate certe non careant, nil alioquin continent, quod moribus, Regiiſque juribus obſtet. Eas igitur cum textu publici juris fieri poſſe cenſeo ſi M. V. acceſſerit auctoritas. Neapoli pridie non. Jan, an. 1789.

Antonius Sementini D. P.

Die 26. menſis Januarii 1789, *Neapoli*.

Viſo Reſcripto S. R. M. ſub die 24. currentis menſis, & anni, ac Relatione A. & M. Doct. D. Antonii Sementini de Commiſſione Regii Conſiliarii D. Dominici Potenza Conſultoris Curiæ Reverendi Regii Cappellani Majoris ordine præfatæ Realis Majeſtatis &c.

Realis Cameræ S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma preſentis ſup-

ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris; verum non publicetur, niſi per ipſum Reviſorum, facta iterum reviſione, affirmetur, quod concordat, ſervata forma Realium, ac etiam in publicatione ſervetur Regia Pragmatica, hoc ſuum &c.

PATRITIUS. TARGIANI.

V. F. R. C.

Athanaſius.

Ill. Marchio Citus
P. S. R. C. & cæteri Ill.
Aulario Præfecti tempore
ſubſcriptionis impediti.